



53



~~S. a 7~~

~~27~~

Ja-8



0

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
2

del Collegio de Granada
F. LUDOVICI

32

SOTTO-MAIOR

ORD. PRÆDicatorVM.

STÆ THEOLOGIÆ MAGISTRI,

ET DIVINARVM LITERARVM

CONIMBRICÆ PROFESSORIS,

Ad Canticum Canticorum

NOTÆ POSTERIORES

ET BREVIORES.

Cum Indice verborum, rerumque locupletissimo.

EDITIO PRIMA.




PARISIIS,

Apud MICHAELEM SONNIVM, via Iacobæa,
sub Scuto Basiliensi.

M. DC. XI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Signature of the printer or publisher




AD CANTICVM CANTICORVM NOTÆ

POSTERIORES, ET BREVIORES.

EODEM AVTHORE F. LVDOVICO
SOTTO-MAIOR.

EXORDIVM.



POST QVAM Commentarius ille noster quasi
è tenebris in lucem, & salubritatem produit, &
hominum ora peruolauit, id est, temerario edictionis
honore, vel potius ausu vagari cepit; quædam in
mentem venerunt, quæ tamquam auctarium, &
corollarium quoddam addenda esse putauimus ad pleniorẽ intel-
ligentiam, vel etiam ornatum, atque decorem, seu splendorem, non
solum verborum, sed etiam rerum, ac sententiarum, quæ in Cantico
isto Salomonio, siue carmine nuptiali continentur, necnon eorum
quæ à nobis super ea dicta, id est, elucubrata, atque excogitata sunt,
castigationem. Solent enim ferè, sicut est in veteri prouerbio, po-
steriores cogitationes esse sapientiores, præsertim verò in explicando,
& paulò magis enucleando dulcia hæc Cantica dramatis, id est,
amatoria, & nuptialia, in quibus quidem magna, & profunda
quædam volumina mysteriorum, seu inuolucra, & anigmata diui-

EXORDIUM.

norum amorum delitefcunt; plus plusque etiam indies apparent, quamuis paucis verbis, & Syllabis illa sint comprahensa. Neque proinde vlli labori parcendo in hac parte scriptura tractanda, scruta-
 randa, atque explicanda erit. Est enim si qua pars alia diuina scri-
 ptura ardua, & difficilis, non solum ad intelligendum, sed etiam pro-
 dignitate explicandum, vt iam alias diximus: Qui ergo è nuce nu-
 cleum esse vult, frangat nucem: Sed tamen in primis rogandus nobis
 erit Sponsus ipse caelestis, vt cor nobis aperiat ad intelligendum, at-
 que indagandum, eruendum, & enucleandum arcanos huius libri
 sensus, & diuinos ipsius diuini Sponsi amores, & veritatem, quæ
 in profundo lucet, inueniendam: neque nos allucinari permittat,
 id est, falli, aut etiam alios turpiter fallere, neque in verbis, neque
 in sententiis huius diuini Cantici. Neque enim qui plura intelligit
 (vt eleganter inquit Themistijs) pluris faciendus est, sed qui potiora,
 id est, præstantiora, & diuiniora. Vnde etiam Arist. lib. de part.
 anim. cap. 5. sapienter, & prudenter dixit, quod diuinarum rerum,
 vel parum cognoscere, sit melius, quàm rerum multarum natura-
 lium, & humanarum plurimum. Id quod ille eleganti, & vulgari
 quodam exemplo ibidem manifeste ostendit.

Quoniam autem (vt iam diximus in priori nostra in Canti-
 cum scriptione) totum hoc opus Salomonis quasi quedam perpetua
 allegoria est, seu metaphora, & imitatio historiae, id est, rerum seu
 actionum & personarum rusticarum, potiùs quam historia pura,
 aut res gesta; idcirco non abs re fuerit, nos ad maiorem lectoris eru-
 ditionem, paulò amplius, id est, paulò accuratius, & copiosius de na-
 tura, seu ratione allegoriae nunc per oportunitatem differere, atque
 etiam vtriusque allegoriae, tam sacrae, quàm profanae, differentiam,
 & vsum ostendere.

Allegoria enim non est nouus tropus, seu figura, à metaphora
 diuersa, quemadmodum vulgus interpretum opinari videtur: quia

EXORDIUM.

nihil est aliud, quàm metaphora multiplicata. Nihil autem attinet
 ad artis rationem, an cuiusque generis tropus semel dicatur, an verò
 in oratione multiplicetur, aut continuetur perpetuò. Et quemadmo-
 dum si ironia frequens sit, aut metonymia, aut sinecdoche, non pro-
 pterea sit nouum tropi genus; sic multa continuata metaphora no-
 uam speciem non gignunt, vt quidam bene animaduertit: vt ne quis
 forte vulgariter in hac re fallatur, sicut vulgus fallitur. Sumpta
 est autem hæc allegoria, seu metaphora maxima ex parte ex arte pa-
 storitia: nihilque aliud esse videtur hoc Canticum Salomonis, quam
 ecloga quedam pastoritia, amatoria, & nuptialis, & quidem le-
 etissima, siquidem Author in ea quantum maximè potest, poëma,
 seu carmen bucolicum imitatur: quod quidem genus carminis est om-
 nium antiquissimum, vt pote ex antiquissimo viuendi more produ-
 ctum, qui fere pastoritius, rusticanus, agrestis, id est, rudis & sim-
 plex erat, quemadmodum patet ex vniuersa historia tam sacra,
 quàm profana. Itaque bucolica poësis & rusticana, valde est ac-
 commodata ad significandos diuinos amores, & vitæ piæ simplicita-
 tem. Vnde & Tertull. in lib. de præscriptionibus cap. 7. congruenter,
 & eleganter dixit: Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui
 & ipse tradiderit dominum in simplicitate cordis esse querendum,
 &c. Quoniam scilicet bucolico carmine, non solum rudis, & agre-
 stis, sed etiam vita simplex, pia, & religiosa mirifice exprimitur, at-
 que etiam mysterium, & ratio diuinorum amorum. Plerumque enim
 pastores inter se amantes, gaudentes, laudantes, gratulantes, & can-
 tantes inducuntur. Vnde etiam nonnulli existimarunt carmen bu-
 colicum necessario coniunctum esse debere cum allegoria, videlicet,
 vt aliud dicatur, aliud vero intelligatur. Qualis etiam allegoria est
 illa apud poëtam Græcum, id est, Theocritum, in Idylliis, vbi para-
 netico carmine sub allegorica allusione ex collatione rosæ, lilij, violæ,
 atque niuis eleganter docet, quàm decidua sit vita mortalium. Eius

EXORDIUM.

initium Græce est ἡ τὸ ποδὸν, &c. Et quemadmodum in Tityro Virgilium, eundemque in Corydone, & in Alexi, Augustum Cæsarem intelligi volunt. Quod quidem etiam si sæpe fit, non tamen semper necessario ita fieri putamus: nisi in sacris, & diuinis, in quibus frequentior, & crebrior est allegoria, ut docet D. August. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 27. ubi agens de sacrarum litterarum allegoriis, inter alia ita scribit: Non tamen quisquam putare debet, aut frustra hæc esse conscripta, aut tantummodo rerum gestarum veritatem, sine ullis allegoricis significationibus hæc esse gerendam, aut e contrario hæc omnino gesta non esse, sed solas esse verborum figuras, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam, de ratione & usu sacrarum allego-
 riarum. Suffragatur D. Hierony. comm. in Ezech. cap. 4. ubi sic congruenter ait: Eisdem litteris historia currit, & tropologia, sed illa humilior est, ista sublimior: illa hæret terra, ista ad caelestia subleuatur, &c. Quo sensu etiam alibi ait idem D. Hierony. in epist. ad Eustochium de custodia virginis. quæ est num. 22. Margarita quippe est sermo Dei, & ex omni parte perforari potest, &c. D. Hieronymo quoque ad stipulatur præceptor suus, id est, Greg. Nazianz. in epist. quam scribit ad Nemezum, ubi affirmat corpus sacra Scriptura (sic enim ille appellat litteræ corricem, id est, sensum litteralem, siue historicum) miro quodam splendore collucere: sed animam (quo nomine appellat, & intelligit mysticum sensum, siue allegoricum) præclaram esse, & prorsus diuinam, &c. Itaque ab his rebus, quæ sensu comprehenduntur, ad eas, quæ sensum omnem effugiunt, hoc est, diuinos amores, verasque delicias animi, quasi per pontem traicimus, & quasi per physica ad metaphysica transimus. Cæterum de allegoria profana, seu Æthnicorum, videndus erit Cic. lib. 2. de nat. deorum, ubi loquens de fabulis poëtarum, etiam impiis, sic ait: Physica ratio non inelegans inclusa est in impias fabulas, &c. quæ sequuntur. Consentanea sunt quæ habet idem Cicero lib. 3. de

EXORDIUM.

nat. deorū. Pro qua re, nempe de ratione & usu allego-
 riarū, seu parabolarum apud veteres, ita testatur, & tradit Seneca Epist. 59. post principium: Illi, inquit, qui simpliciter, & demonstrandæ rei causa eloquebantur, parabolis referti sunt, quas existimo necessarias, non ex eadem causa qua poëtis, sed ut imbecillitatis nostræ adminicula sint, & ut discentem & audientem in rem præsentem adducant, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam. Veruntamen permagna, & lata est differentia inter sacras & profanas allego-
 rias, seu parabolas: quemadmodum eleganter & copiosè ostendit Origen. lib. 4. contra Celsum Philosophum pag. 72. & 73. Et item Tertul. lib. 1. contra Marcionem pag. 174. Et Greg. Nazianz. orat. 5. de Theologia pag. 373. & item orat. in sancta lumina pag. 403. quin etiam orat. 2. in sanctum Pascha pag. 500. Præterea Arnobius lib. 4. contra gentes pag. 148. & item lib. 5. contra gentes pag. 178. & seq. vsque ad finem libri: ubi meritò irridet, atque condemnat plerasque Æthnicorum allegorias, præsertim vero eas, quibus Gentiles poëta abutuntur, tanquam meras nugas, & impias fabulas: tales enim plane sunt. Vnde etiam Plato eas reprehendere non veretur in lib. 2. de repub. pag. 376. & 377. & item in Eutryphone pag. 39. Quin etiam Cicero lib. 1. Tusculan. quest. istiusmodi Gentilium poëtarum allegorias, seu fabulas reprehendit, dicens: Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat: diuina malle ad nos. Quæ verba Ciceronis refert etiam D. August. atque refellit, vel potius retorquet, in lib. 1. Confess. suarum cap. 16. in hunc modum: Sed veriùs dicitur, quòd fingebat equidem Homerus, sed hominibus flagitiosis diuina tribuendo, ne flagitia putarentur: & ut quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed caelestes Deos videretur imitatus, &c. quæ prosequitur D. August. in eandem sententiam ibidem, atque etiam aliàs sæpe, præsertim vero lib. 2. de Ciuit. Dei cap. 14. & 25. & item lib. 4. eiusdem argumenti cap. 1. & cap. 8.

EXORDIUM.

cap. 11. & lib. 6. cap. 9. & lib. 7. cap. 21. (si quis plura super hac re desiderat.) Longè aliter res sese habet in sacrarum litterarum allegorijs, quibus veteres Theologi, & SS. Patres nostri vtuntur. Nihil enim impurum, seu absurdum, & impium illæ continent: sed omnia pura & sancta sunt, quemadmodum oportet, & decet tales auctores, & sanctos Dei homines. Vnde etiam idem D. August. lib. 3. doct. Christ. cap. 16. prudenter quidem consulit, & præcipit, vt loca omnia, quæ in sacris litteris, seu biblijs, dura, & obscura, idest, quæ præ se ferre speciem aliquam absurditatis videntur, enigmatische, seu allegoricè exponantur, potius quam historicè, idest, secundum historiam, suæ litteræ: id quod exemplis luculentis ibidem ostendit. Cui etiam suffragatur Marcus Eremita in capitulis de lege spiritali pag. 117. Iam satis superque à nobis dictum est de sacrarum litterarum allegorijs: nihilominus tamè ad conuincendam perfidiam, peruicaciam & impudentiam quorundam, vel potius multorum Iudeorum, qui in sacris litteris non agnoscunt, neque recipiunt, sed potius negant allegoricas istiusmodi significationes; consultum, & opere preuiam erit legere, quæ scribit Isidor. Pelusiota auctor Græcus lib. 3. epistolarum epist. num. 15. quam scribit ad Athanasium presbyterum contra quendam sui temporis stultum Iudeum, qui meram litteram, seu historiam tantummodo sequebatur, & allegoriam omnino reiiciebat, atque etiam reiiciendam omnino esse mordicus contendebat. Sic enim ille ibi scribit, & docet argumentari aduersus istum Iudeum: Si legislatorem nihil aliud præter litteram, dixisse Iudeus is existimat, qui tecum rixatus est, hisce verbis ad eum vttere: Inscitiam vestram duo viri facile refutant, qui post Christi aduentum, apud nos litterarum monumenta condiderunt, nimirum Philo contemplator ægregius, & Josephus insignis historicus: ille, dum vniuersum pene vetus testamentum ad allegoriam trahit; hic vero, dum ad hunc modum loquitur: legislatorem alia commode

EXORDIUM.

ac scite inuenire, alia cum grauitate allegorico sensu exponere, ea denique omnia quæ recte ac plane dici vtile erat, ad litteram indicare, &c. quæ in eandem sentent. prosequitur, argumentando contra præfatum Iudeum, qui allegoriam, & mysterium minime in sacris litteris recipiebat, sed potius impudenter negabat. Hactenus de sacrarum litterarum allegoria in genere diximus: iam deinceps cum Deo, etiam specialiter iuxta subiectam materiam, & suis locis dicemus. Nam, vt iam diximus, & sæpe repetendum nobis erit, Canticum hoc Salomonis ab initio vsque ad finem, totum fere perpetua quedam allegoria, seu parabola est, sicut locus ille Indic. cap. 9. totus parabolicus est, vbi scriptum legimus: Ierunt ligna, vt vngerent super se regem, dixeruntque oliuæ, Impera nobis. Quæ respondit, Nunquid possum deferere pinguedinem meam, quæ & Dij vtuntur, & homines, & venire vt inter ligna promouear, &c. quæ sequuntur in eandem sententiam. Totus, inquam, hic locus parabolicus est, vt patet: atque proinde sensus præcipuus istiusmodi verborum, siue locorum diuinæ Scripturæ, non est ille, quem prima statim fronte voces, syllabæque significant, sed potius ille, qui per res significatas percipitur, atque intelligitur: quale verbi gratia, in hoc Cantico est vocabulum Salomonis, quod quidem plane parabolicum, & symbolicum est: neque tam significat in subiecta materia personam ipsius Salomonis Regis, quam personam Dei, id est, Sponsi ipsius diuini, vel potius Christi Dei filij, qui proprie, & per excellentiam Sponsus nominatur. Id quod bene vidit, & animaduertit etiam Rabbi Moses super Deuteronomium, qui est sine vlla controuersia inter Rabbinos, seu doctores Hebræos, doctissimus, magnique nominis, & auctoritatis, etiam apud nostros homines, id est, Theologos Christianos. Sic enim ille ait in loco præfato: Sicut ille qui delet nomen Dei Tetragrammaton in quocumque loco sacra Script. reus est pena, siue supplicij, propter reuerentiam, siue religionem diuini nominis; pari ra-

tionem qui delet nomen Salomonis in Canticis Cant. reus est supplicij, tanquam delens diuinum nomen. Sic ille. Et refertur etiam hoc testimonium Rabbi Moses à nostris, qui scripserunt contra Iudeos, præsertim vero à Christophoro in triumpho crucis titulo 1. pag. 19. Itaque nomen Salomonis in Cantico Cant. magnum, sanctum, & venerabile est, atque pro Dei, seu Sponsi ipsius diuini nomine usurpatur, quoniam Salomon in persona Dei, seu Christi Dei filij loquitur. Neque solum Author libri istius & propheta, sed etiam typus Christi domini est, ut docent, & confitentur omnes veteres Theologi, tam Græci, quam Latini, in quibus est Ambrosius in apologia Dauid. cap. 3. ut omittam alios. Quamuis vita eius, præsertim in senectute, non fuerit inculcata, sed potius culpata, & reprehensione digna, ut testatur sacra Regum historia. Eadem tamen sacra Regum historia alibi attestatur Salomonem valde fuisse Deo charum, atque dilectum, ita ut per excellentiam passim vulgo diceretur Amabilis domini, id est, dilectus Deo. Facilius etiam mihi videtur fuisse Salomonem Rex, quo tempore tres illos sacros & canonicos libros scripsit, nempe Canticum Cant. Prouerb. & Ecclesiasten, quemadmodum verisimile, & probabile est, unde etiam ille Rabbinus à me modo præfatus, id est, Rabbi Moses, cuius autoritas grauis & magna est, præsertim apud suos Hebræos, quodam in loco, id est lib. 2. Moreh. cap. 44. non veretur affirmare Salomonem Regem Spiritu sancto inspiratum, & afflatum composuisse Cantica Cant. itemque Prouerbia, & Ecclesiast. Et item lib. 3. eiusdem argumenti cap. 1. & cap. 52. & cap. 55. & aliàs, hunc librum Cantici Cant. Parabolas appellat, quia, ut iam diximus, fere totus hic liber quotus est, totus parabolicus, & allegoricus est, & propheticus. Quamobrem etiam D. Epiphanius hæres. 67. pag. 210. Salomonem Regem ita alloquitur: O Prophetarum beatissime, &c. Quo nomine etiam eum appellat Theophilus lib. 2. ad Aucolycum.

Christiana religionis calumniatorem, pag. 302. & 328. ut omittam alios complures. Nihil enim prohibet dicere Salomonem in senectute sua, instar ouis errasse, id est, sicut homo, grauiter peccasse; & nihilominus tamen etiam in senectute sua, saltem ante mortem, & in morte resipuisse, id est, salutarem penitentiam egisse, conuersumque ad Deum fuisse, atque proinde salutem & vitam æternam consecutum fuisse, sicut aliàs ostendimus, & valde probabile est. Adde quod nihil vetat dicere, etiam hominem non bonum, vel certe minus bonum, quin etiam rem non bonam, vel minus bonam, posse interdum in sacris litteris, & in veteri testamento, quodammodo typum, seu figuram esse rerum bonarum, atque sanctarum: quemadmodum aperte fatetur, & attestatur D. Greg. Mag. in lib. 3. Moral. cap. 16. ubi docet, nonnumquam res gestas, quæ in actione malæ sint, tamen in significatione virtutem prophetiæ continere: sicut v. g. in Dauid & uxore Vria videre est. Hoc enim ille exemplo vtitur, ita inquit: Sed sic plerumque res qualibet per historiam virtus est, per significationem culpa: sicut aliquando res gesta in factio causa damnationis est, in scripto autem prophetia virtutis. Quod verum citius ostendimus, si vnum sacra Script. testimonium ad vtraque probanda proferamus. Quis namque audiens, non solum fidelium, sed ipsorum quoque infidelium, non omnimodo detestetur, quod Dauid in solario deambulans, Bechabee Vria concupiscit uxorem? Quem tamen à prælio reuertentem ire ad domum admonet, & pedes lauare. Qui protinus respondit dicens, Arca Domini sub pedibus est, & ego in domum meam requiescam? quem Dauid ad mensam propriam suscepit, eique epistolas, per quas mori debeat tradit. Cuius autem Dauid in solario deambulans typum tenet, nisi eius de quo scriptum est, In sole posuit tabernaculum suum? Et quidem Bechabee ad se perducere, nisi legem litteræ, carnalique populo, coniunctam spiritali sibi intellectu sociare? Quem vero Vrias

EXORDIVM.

nisi Iudaicum populum designat? Sed huic Vria David uxorem abstulit, sibi que coniunxit, quia videlicet manu fortis, quo David dicitur, in carne redempto apparet, dum de se spiritaliter loqui legem innotuit, per hoc quod iuxta litteram tenebatur, Hanc à Iudaico populo extraneam demonstravit, sibi que coniunxit, quia se per illam predicare declaravit, &c. qua prosequitur ibi D. Greg. in eadem sententiam. Cui omnino suffragatur Richard. de sancto Vict. in lib. 1. de eruditione hominis interioris, cap. 1. ubi ita scribit congruenter, secutus D. Greg. auctoritatem, quem super hac sententia etiam nominatim appellat, dicens: Nemo autem miretur, quod per Regem iniquum animus virilis, & vir virtutum intelligi dicitur. Quis enim nesciat (nisi sacrarum litterarum imperitus) quam saepe in scripturis significet Christum serpens, animal venenosum, & leo, animal ferocissimum? Et si exponenti beato Greg. credimus, in David adultero per mysterium intelligitur Christus: & in innocenti Vria intelligitur perfidus ille Iudaicus populus. Quid igitur mirum, si per Regem iniquum quem improbamus, intelligitur rem iustam, quam approbamus, &c. Hanc suam sententiam idem Richard. Victorian. confirmat etiam magis in lib. 2. eiusdem argumenti cap. 9. ubi rursus citato & laudato nomine D. Gregorij, sic ait: Illud autem hoc loco permanere iam volumus quod multa scripturarum loca ineptum aliquid vel peruersum sonant iuxta historiam, quae tamen mystice discussa rectum aliquid loquuntur iuxta spiritalem intelligentiam. Nam quidem Daniel à Rege secundum nomen Dei sui Balthasar dicitur, quid aliud quam idololatriam iuxta litteram sonare videtur? Sed sicut B. Greg. dicit, saepe res qualibet per historiam virtus est; per significationem, culpa: sicut aliquando res gesta in facto, causa damnationis est, in scripto autem prophetia virtutis. Nam cum de Regis David culpa, dum de Vria innocentia tractaret, dum per adulterantem David, Christum, per Vriam innocen-

EXORDIVM.

tem populum Iudaicum interpretari voluisset, Quid (inquit) per effectum istum David scelestius, quid Vria mundius dici potest? Sed rursus per mysterium, quid David sacratius, quid Vria infidelius inuenitur, quando & illa per vitæ culpam prophetia signat innocentiam, & iste per vitæ innocentiam in prophetia signat culpam? Virtus namque sacri eloquij sic transacta narrat, ut ventura exprimat. Sic in facto rem approbat, ut ei mysterio contradicat. Sic gesta damnat, ut hæc mystice gerenda persuadeat. Sic & hoc loco sanè quid iuxta historiam est reprehensibile, iuxta mysterium potest commendabile aliquid exprimere, &c. Hæc ibi Richard. Victorian. ex auctoritate D. Greg. Mag. Cui sententiæ fauet etiam D. Hierony. comment. in Zachar. cap. 3. ubi loquens de Iesu filio Iosedech Sacerdote magno, ait, cum male accepisse, vel duxisse alienigenam uxorem, sed in typo Christi Domini, qui sibi alienigenam è gentibus Ecclesiam copulavit. Idemque confirmat in lib. 2. contra Iovinian. pag. 27. & refertur hæc sententia, seu testimonium D. Hierony. in cap. Iesus d. 50. Denique fauet, & opitulatur etiam huic sententiæ locus quidam, qui est apud D. Aug. lib. 22. contra Faustum pag. 38. ut omittam alia complura. Ex quibus omnibus manifestum, & perspicuum fit, nihil esse absurdi, si dicamus Salomonem Regem, non solum auctorem huius lib. atque Prophetam, sed etiam typum, seu figuram Christi Domini Sponsi fuisse, & præsertim in hoc lib. cui titulum fecit Canticum Cant. quamvis ille saltem in senectute graviter peccaverit. Vnde D. Ambros. in Apologia David cap. 3. congruenter de Salomone ita exclamat, dicens: Quid de Salomone sancto loquar, cuius posteriora cum gravi errore non careant, vulgus tamen Iudaicum ipsum æstimat venisse pro Christo? Et quam multos grauis erroris offensa reuocauit? Maior itaque culpa plus profuit, ne supra hominem crederetur, qui vitio non caruisset humano. Fuit igitur in eo inuidiosa sapientia, & culpa suasoria, quæ hominem comprobaret,

EXORDIUM.

Quid igitur obstat, quominus Bethsabée sancto David in figura sociata fuisse credatur, ut significaretur congregatio nationum, quae non erat Christo legitimo quodam fidei copulata coniugio? &c. quae sequuntur.

Hac instar proemij sunt ad posteriores Notas nostras in Canticum Cantic. quamvis satis longum proemium sit audientium vel legentium cupido, sicut est in veteri proverbio. Iam tempus est, ut ad rem veniamus. Sed antequam omnino rem ipsam aggrediamur, petenda, precandaque erit nobis venia, si in tractando seu explicando argumento isto amatorio, & nuptiali, interdum, per imperitiam vel imprudentiam, vsus fuero verbo aliquo minus proprio, seu minus honesto, & sancto, id est, nimis amatorio & nuptiali, ut probi interpretis officio & muneri satisfaciam. Neque in sponte & voluntate id faciam, sed potius necessitate & inuitus, ut ne forte aures pias & castas offendam. Quamvis (ut inquit Paulus Apost.) omnia munda mundus, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum mens & conscientia: id est, omnia sancta sanctis & fidelibus hominibus, quorum corda per fidem & charitatem diuinitus sunt purificata, mundata, & sanctificata. Neque id mirum, si quidem Liua Augusti Caesar. vxor, viros nudos castae feminae nihil differre à stannis aiebat, ut refert Dion historicus in vita Tiberij. Quemadmodum enim cor hominis continentis, casti, & pudici, etiam rerum impudicarum aspectu, nequaquam malis cogitationibus leditur, aut tangitur; ita neque in animo casto, castigato, & sancto labem relinquunt, aut faciunt istiusmodi sermones amatorij, seu verba nuptialia, magis quam olim in flumine seu mari vestigium alicuius cymbae, iuxta illud Salomonis Proverb. cap. 30. vbi ait se penitus ignorasse viam maris in medio maris. Quemadmodum etiam multa vina apposita hominum vinosum mouent, abstemium autem & sobrium nihil vel parum mouent; sic ista, nempe verba amatoria &

EXORDIUM.

nuptialia, animum improbum, & mollem, atque lasciuum fortasse incitant, animo autem casto, castigato, & cauto non adhaerent. Et nos tam molles, & delicati erimus, ut istiusmodi verba, quibus diuini amores enigmaticè significantur, & representantur, sine noxa & offensione audire, aut legere non possumus? Absit hoc à Theodidactis, id est, doctis à Deo, & Dei amantibus hominibus: quibus praesertim omnia munda, pura, & sancta esse oportet, & decet. Veruntamen videndus pro hac re erit D. Hierony. Epist. 7. Nolebat enim. s. ille pater, ut filiola late Canticum Cant. Salomonis legeret, nisi iam matura iudicio, & in ceteris sacrarum litterarum trita: ne si in exordio legeret sub carnalibus verbis spiritualium nuptiarum epithalamium, non intelligens vulneretur. Sic ille. Coniungatur his, est enim locus consentaneus, quod scribit Nicephorus lib. 11. cap. 34. ut omittam alia multa.



APPROBATIO DOCTORVM.

Doctissimi ac R. P. F. LVDOVICI SOTTO-MAIOR, posteriores & breuiores ad Canticum Canticorum Notas legimus, nec inferioris esse notæ censuimus quam luculenta Commentaria eiusdem authoris in idem Canticum edita, iamque summo eruditorum applausu excepta, immo illorum vere germanas, doctrinam Catholicam, Apostolicam, & Romanam vnde quaque spirantes, ac dignas quæ in communem vtilitatem graphicis typis euulgentur: eiusque rei fidem fecimus nos infra scripti facultatis Theologicæ Parisiensis Doctores, Anno à Christo nato 1611. Die 22. Octobris.

F. GENTIANVS BILLAUD,
Vicarius Generalis Congreg. Gallic.
Ord. FF. Prædicat.

F. ANTONIVS SIMEON,
Prior ac Regens Conuent. Parisiensis. Frat. Prædic.

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIII. Galliarum, & Navarra Regis, diplomate cautum est, Lne quis in suo Regno, aliisue locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis prima inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumque quouis modo ac ratione conetur librū, qui in scribitur, R. P. F. LVDOVICI SOTTO-MAIOR, ex ordine Prædicatorum Notæ posteriores & breuiores, ad sua in Cantica Canticorum Commentaria, præter Michaelem Sonnum Bibliopolam Parisiensem iuratum, aut illos quibus ipse concesserit: Sub pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum apud Aquæ bellæ fontem vigesima sexta die Octobris, anno gratiæ millesimo sexcentesimo vndecimo, Regni vero nostri secundo.

De mandato Regis,

Signatum

PERROCHEL.

AD CAN-



AD CANTICVM

CANTICORVM NOTÆ

POSTERIORES, ET BREVIORES.

Eodem Auctore F. LODOVICO SOTTO-MAIOR.

CAPVT I.

Osculetur me osculo oris sui, &c. A quidem ita fuisse conscriptas, videlicet sine personis, vel sine manifesta personarum expressione, testimonio sunt Scholiastæ: inter quos non raro cuius persona nomen, quibus sit versibus præponendum, concertare etiam videmus. Vt animaduertit alicubi vir



QVIBVS quidem verbis iam nunc Salomon præsertim inducit nuptias Christi & Ecclesiæ, vradnotauit etiam D. Amb. lib. 5. de Sacramētis, cap. 2. Prophetarum autem atque Arabum, & Chaldæorum mos est statim in operum principis sua nomina adscribere, vel per circumlocutionem. Vnde & Poëta Latinus ita operi suo præfatus est: Ille ego, qui quondam &c. Sciendum est tamen Græcas fabulas, atq; etiam Latinas, olim priscis temporibus sine personis à plerisque Poëtis editas fuisse, quas tamen post vel librarij scriptores, vel interpretes, perspicuitatis causa, addiderunt. Nam Græcas

B quidam eruditus, studiosus, & curiosus. Quare non valde, nec tantopere mirandum est, si hæc oratio, Osculetur me osculo oris sui, sit impersonalis, id est, si Author sacer in præsentiarum non exprimat nomen personæ, vt sciamus, quæ persona loquatur, Sponsanè, an Sponsus. Ita enim solet deinceps facere in toto isto Cantico, seu dialogo. Quamuis enim nomen personæ loquentis hæc non exprimat, nihilominus tamen ex sequentibus verbis, & iuxta materiam subiectam, quæ

A

tota est amatoria, & nuptialis, atque dialogismo constat, nemo dubitat hanc orationem propriam Sponsæ esse potius quam Sponsi. Illud autem magis mirandum est, quod hæc ipsa oratio tam sit amatoria, & nuptialis, & vehemens, atque etiam exarrupto prolata. Magna enim prorsus est vis amoris, dilectionis, & charitatis, præfertim coniugalis, qua Sponsa affecta erat erga Sponsum: præsentiamque, seu aduentum, & apparitionem eius in carnem ardentissimè desiderabat, & expectabat. Vera enim oratio est illa sententia, & amplificatio ipsius Sponsæ, inferius Cantic. cap. 8. cum de charitate, seu de dilectione, præfertim verò coniugali, ait: Fortis est ut mors dilectio, & caritas, quæ prosequitur. Quapropter congruenter hoc in loco, & statim in principio, in persona Ecclesiæ, id est, vniuersi cœtus fidelium, atque Dei amantium, vel etiam in typo animæ perfectæ, & diuina patientis, tanquam vera Sponsa, fiducia iusti, sanctique coniugij, non est verita dicere, & quidem exarrupto & improuiso, absque vlla, inquam, honoris præfatione, & abique vlla alia præuia salutatione, suppresso etiam nomine Sponsi: Osculetur me osculo oris sui, &c. Et fortè osculatio ista saluatio quædam est, vel certè saluatio-

nis symbolum. Nam sicut proditum est in historia, & testatur Herodotus l. 1. pag. 28. vbi de ritibus ac moribus. Perfarum loquitur, inter alia congruenter ait, salutationis loco se mutuo inuicem osculari solitas fuisse. Itaque merito videri potest Sponsa his verbis Sponsum, cuius præsentiam avidissimè cupiebat, etiam quodammodo salutare, simulque adhortari, & rogare, ut quoad eius fieri potest, iam aduentum suum in mundum, & apparitionem suam corporalem in carne nostra mortali foeliciter acceleret. Sicut enim hæc verba (Osculetur me osculo oris sui) vehementer emphatica, id est, vehementer amatoria, nuptialia, & pathetica, atque proinde vehementer Sponsi affectus commouere possunt adueniendum, simulque visendam, & consolandam Sponsam suam charissimam, pro eo atque illa cupiebat, supplexque petebat: licet ut apparet statim prima fronte ex verbo (Osculetur) magna cum fiducia, & quasi cum quodam imperio. Dixi (cum quodam imperio.) Nam ut eleganter, & congruenter inquit D. Gre. Mag. li. 6. ep. 24. quam scripsit ad Anastasium Episcopum Antioch. habet inter se maximam cognationem, Amor, & potestas. Nam vtraque principaliter præsumunt, vtraque per auctoritatem semper

locuntur. Ideoque, inquit Gregorius. non sum miratus vos in vestris epistolis imperialia verba posuisse, &c. Sic ille ibi. Idemque D. Gre. alibi, id est, lib. 6. epist. 37. quam scribit ad Eulogium Episcopum Alexandrin. eodem sensu, conuenienter sic ait: Quia. n. multum diligo, etiam de paruis præsumo. Habet enim ipsa dilectio auctoritatem suam, & omnino certa est, quia iniuria non erit in omni quod amando præsumperit. Hactenus D. Gre. Cui suffragatur etiam Plato in Symposio, l. de amore: vbi amorem elegantius vocat imperatorem, atque etiam diis ipsis imperare ostendit: vsque adeo imperiosus, seu imperabundus suapte natura ille est. Ut ne quis forte miretur si Sponsa hoc in loco cum tanta breuitate, & quasi auctoritate verbo imperandi utatur, id est, verba imperialia usurpare videatur, præ nimio scilicet amore, quo erga Sponsum affecta erat, aduentumque, & apparitionem eius in carne accelerari cupiebat. Hoc enim sensu sanè ait: Osculetur me osculo oris sui. Intelligit autem per vocem osculi, non solum osculum incorporeum, sed etiam corporeum (ut ita dicam) vnde & D. Ambrosius lib. 4. de sacramentis cap. 2. accommodatè hæc prima Cantici verba inter-

pretatur de Sacramento altaris: ut sit videlicet hæc oratio Sponsæ inuitatio, seu adhortatio quædam Sponsæ, id est, Ecclesiæ nouæ ad cœlestem, augustum, & diuinum sacrosanctum Eucharistiæ mysterium exosculandum, id est, colendum, & magna cum religione venerandum, ut potè in quo ipse diuinus Sponsus, id est, Christus Dei filius, verè, & realiter, seu corporaliter continetur, & sumitur, atque etiã memoriæ beatæ passionis eiusdem simul recolitur quotidie, donec ille rursus veniat, & appareat de cælo. Nihil igitur prohibet, sed potius licet, & fas est, Sponsum diuinum, id est, Christum Dei & hominis filium in tremendis mysterijs, id est, in Sacramento altaris (ut vocant) etiã corporaliter, ac realiter osculari, vel etiam complecti, & adorare. Id quod Sponsa Sponsi sui amatissima, vehementer cupiebat: idcirco dixi fas esse nobis Sponsum diuinum, non solum osculo incorporeo, sed & corporeo osculari, & item complexu quodam corporali similiter complecti. Quo quidem sensu loquitur D. Augustus lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 4. vbi ait: Bonum enim nostrum, de cuius fine inter Philosophos magna contentio est, nullum est aliud quam illi coherere, cuius vnus anima intellectualis incor-

poreo (si dici potest) amplexu, A veris impletur, fecundaturque virtutibus. Haec Aug. Itaque par ratio est de utroque, id est, de complexu & osculo istiusmodi, tam corporali, quam spiritali, ut diximus: & utrunque eorum castissime fit ab anima perfecta, id est, fidei, & Dei amante, & sancta, qualis plane erat anima sponsa. alioquin osculum in malam partem accipitur interdum, & quasi adulterij, seu stupri, pars quedam est, & probri suspectum. unde & apud Romanos, sicut proditum est in historia, Publius Menius filiae mandavit, ut non tantum virginitatem illibatam marito, sed etiam oscula ad virum e sincera praefere. Pro qua re legendus erit B. Isidorus Pelusiotalib. 3. epist. 65. ad Nilum, ubi scribit de osculo impudico. Et si quis plura desiderat de ratione, & more, seu ritu osculandi vario, consulendus etiam erit Lipsius Electorum lib. 2. cap. 6. Et item Sorinus Commēt. in Act. Apost. cap. 20. super illis verbis, Et procumbentes super collum Pauli osculabantur eum. Super quibus verbis accuratè, & copiosè differ de usu, & abusu verbi osculandi, id est, in utramque partem, tam apud sacros, quam etiam apud profanos Auctores. Osculam igitur, seu osculatio ista de qua sermo

est in praesenti loco, in bonam partem accipitur, atque anigmatica, & mystica est, significans intimam quandam coniunctionem, unionem, & familiaritatem, qualis est, vel potius qualis esse debet inter veros iustos, & germanos coniuges, seu sponso, vel potius inter Ecclesiam Sponsam & Christum sponsum, vel etiam animam perfectam diuinamque patientem, & ipsum Deum Opt. Max. Christus enim Dominus quasi Sponsam sanctam sibi copulavit Ecclesiam, & quasi Sponsam decoravit corona, atque monilibus ornauit, ut loquitur Isai. cap. 61. Quo etiam alludit Ioannes Bapt. atque praecursor, & amicus ipsius Spōsi eximus apud Ioann. Euang. cap. 3. dicens: Qui habet sponsam sponsum est: amicus autem sponsi qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem spōsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui, &c. quae gratulando prosequitur Ioannes ille praecursor in eadem sententiam de Spōso Christo, & Sponsa Ecclesia. Quo sensu etiam Paulus Apost. Ephes. 5. congruenter sic ait per comparisonem: Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut ipsam sanctificaret, mundans eam lava-

cro in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed ut sit sancta & immaculata, &c. Deinde ita subdit, atque concludit: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia, &c. Caterum videri potest ipsa Sponsa in hoc Cātico primas partes tenere, quippe cui primo statim loco personam Auctoris sacer, seu Oraculū attribuit, atque imponit in dicendo. Valet namque argumentum ab ordine scripturae iuxta Auth. de haered. & scid. §. inordinatum. Neque usque adeo mirandum est, si Sponsus ipse caelestis, qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelo, & factus est homo, primas partes honoris, simul & amoris causa Sponsae suae dilectissimae tribuere dignatus fuerit in dicendo, seu precando, & supplicando, atque desiderium suum exponendo de aduentu ipsius in carne expectatissimo. Oportet enim, ut decet talem sponsum, id est, sponsum diuinum, & caelestem, quantum in se est, sponsam suam electissimam & dilectissimam honorare, & quidem plurimum. Unde & in altero Epithalamio, hoc est, carmine nuptiali, in Psalmo inquam 44. Auctor illius Psalms potiora

locum etiam Sponsae attribuit, dum sic ibi inter alia Regē Messiam, seu Sponsum alloquitur, dicens: Astitit Regina à dextris tuis in vestitu decorato, circumdata varietate, &c. Quocumque modo haec res sese habeat, consentaneum est, ut semper, &c. Consentaneum est autem ut semper quoad eius fieri possit, & quantum in nobis est, osculum spirituale corporali osculo praferamus, quemadmodum animum, siue mentem, & rationem corpori in amore facile praferimus. Præaus enim est amator ille vulgaris (ut eleganter inquit Plato in Symposio) qui corpus magis quam animam amat: neque itabilis est, cum rem sequatur minime stabile. Nam cum primum corporis species quam cupierat, deflorescit, abit, nihil eorum, quae promiserat seruans. Bonorum namque amator per omnem vitam in amicitia perseverat, utpote qui renabilem sectabatur. Sic Plato. Osculo. Vel potius osculis, ut est in Hebraeo: quasi dicat Spōsa plane: Osculetur me frequenter, & saepe: vel, osculetur me etiam, atque etiam, nempe multiplicibus osculis. Hoc est enim in praesentiarum osculo, seu osculis osculari, ut alias exposuimus accuratius. Emphasum enim atque epithasim habet haec locutio

Hebraica. Hebraei enim vehementiam rei alicuius eiusdem dictionis congeminatione per appositionem significant. Quem sermonis typum Graeci videntur etiam imitari, & ab ipsis Hebraeis mutuo sumpsisse. Sic enim quidam eorum Atticam Regionem, siue Prouinciam *ελλαδς ελλαδς*, id est, Graeciae Graciam dixit emphaticè, pro eo quod est ipsissimam Graeciam, vel Germanam, & sinceram Graeciam, vel totius Graeciae florè & decus. Sic etiam D. Aug. in lib. de spiritu & littera cap. II. numeram gratiae, & gloriae aeternae comparatione aliarum rerum bonarum, bona bonorum appellat, id est, summè & maximè bona. Videtur itaque haec locutio, nempe oris osculo, seu osculis osculari, esse pleonasmus, vel similis pleonasmò. qualis fortè etiam est (vt opinatur, & admonet ibidem D. Hierony.) locutio illa apud Daniele cap. II. ubi oraculum Cleopatram Antiochi magni Regis Syriae filiam, per figuram pleonasmu, filiam foeminarum appellauit: quasi dicat, filiam suam foeminam, seu foemini generis. Nam Antiochus cognomine magnus Syriae Rex, tres filias, seu proles foeminas, aut foemini generis, habuit: quarum vnã nomine Cleopatram Prolomao Regi Aegyptiorum

locauit, seu Nuptui tradidit: quemadmodum post sacram historiam, refert etiam Graeca & prophana historia, praesertim verò Iosephus de Antiquitatibus Iudaicis lib. II. cap. 3. & Appianus Alexandrin. in suo Syriaco, in quo opere de rebus Syriae scribit. Et haec Cleopatra diuersa est ab illa altera Cleopatra sorore simul & vxore Ptolomaei vltimi Regis Aegyptiorum: quippe quae foemina fuit impudica, & infamis, & adamata à Romanis Imperatoribus, atque ad motis corpori aspiciendis, sese tandem interemit ob amorem Marc. Antonij, simul & ob victoriam Augusti, quemadmodum passim narrant historici Graeci & Latini, in quibus est Plinius, vt omittam alios complures. Ad hunc igitur modum corrigendus est, & sanandus totus hic locus in priori nostra editione, quoniam totus, nescio quomodo, corruptus, & deprauatus est. Neque enim ibi Daniel de posteriori Cleopatra loquitur, Ptolomaei vltimi sorore & vxore: sed de illa antiquiori, quae fuit Antiochi magni filia. Sic ergo, bona venia & gratia, intelligere, atque emendare oportet scholium nostrum in priori super his verbis, Osculetur me osculo, seu osculis oris sui: vel potius super illis verbis Da-

nielis cap. II. Filiam foeminarum, quibus per occasionem, atque exempli causa, ibi vsus sum.

Vers. Meliora sunt vbera tua vino.

Comparatio est paulo magis pastoritia, & rusticana, qua sacer Author in praesentiarum vtitur, vt decorum carminis bucolici, seu pastoritij seruet, quale plane est, vt iam diximus, & saepe repetendum erit hoc Cantico Salomonis. Sensus autem planus horum verborum, si Latine exprimere proprie velimus, talis est, quasi dicat Sponsa in typo Ecclesiae, vel etiam animae perfectae, id est, Dei amantis, atque diuinae patientis: Amabilia, delectabilia, iucundiora, & suauiora sunt vbera tua, vel amores tui, o Spòse, vino optimo, id est, quò libet vino generoso, & odorato, & aromatico, cuiusmodi erat vinum nectaricum, de quo scribit Plinius lib. 14. naturalis historiae. Dixi autem per disunctionem, (vbera, vel amores tui): quoniam vox Hebraea, pro qua vulgatus noster Interpres vertit (vbera) ambiguum est, nec solum vbera, sed etiam amores significat, iuxta circumstantiam loci. Quapropter mirificè conuenit haec posterior significatio personae Spòsae hic loquentis, nempe, vt per vbera, amores intelligamus, &

interpretemur hoc in loco, potius quam mamillas, id est, vbera proprii nominis: quippe quae vbera, si proprie loqui velim, foeminei sexus sunt duntaxat ad nutriendum foetum à natura data. Virilis enim sexus vbera, seu mamillas paruulas quasdam habet tantummodo ad ornatum, & momentum, atque fomentum cordis, vt docet Gallenus de vsu partium. Itaque sensus potior horum verborum Sponsae, cum ait, Meliora sunt vbera tua vino, talis erit, quasi dicat: Idcirco tam vehementer cupio osculum, seu oscula oris tui, id est, abs te etiam atque etiam osculari, quia amores tui suauiores mihi sunt, delectabiliores, & iucundiores, quam vinum optimum. Comparat autem Sponsa Sponsi sui diuini, id est, Dei, vel Christi Dei filij amores, cum vino, & quidè optimo, generoso, & odorato, ob eam causam, praesertim, quam alias diximus, id est, ob mentis alienationem, quam praesertim simultum, meraciùsque sumptum bibatur, facit, vt videre est in hominibus ebrijs, & vinosis. Similiter diuinus amor cum vehemens est, extasim, id est, alienationem, siue mētis excessum facit in Dei vehementer amantibus: quemadmodum alias ostēdimus, cum explicaremus verba illa Sponsi in-

ferius Cantic. cap. 5. Comedite, & inebriamini charissimi: vbi per oportunitatem de amoris ebrietate disputabimus, quemadmodum etiam multis exemplis, atque experimentis constat, experitque ipsi palam de se confitentur, præsertim verò Paulus Apostolus 2. Cor. 12. vbi modestiæ causa de seipso quasi de alio, ita scribit: Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit,) raptum huiusmodi hominem vsq; ad tertium cælum. Et scio huiusmodi hominem, (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in paradysum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Hactenus Paulus. Itaque iure ac merito tunc temporis videri potest Paulus Apost. quodammodo ebrius fuisse, vel similis ebrius, præ nimio videlicet amore, & charitate in Deum, id est, Sponsum diuinum. Nihil tamen prohibet si etiam vocem Hebræam, cum sit ambigua, per vbera interpretemur, sicut vertit vulgatus noster Latinus Interpretes. Tunc enim etiam erit comodissimus sensus horum verborum, quasi dicat sponsa per translationem, seu ænigmaticè: Suauiora multo sunt vbera tua, vino longè suauissimo, atq; etiam

omnibus rebus tam poculentis, quæ osculetis suauissimis, atq; lautissimis. Quomodocumq; seu vtrouis modo interpretemur, oratio hæc referenda erit ad diuinos amores, id est, ad amores Sponsi, qui planè sunt incomparabiles. Nam si rem, aut certam rationis normam diligimus, & diligentissimè perpendamus, soliùs Sponsi diuini amores, qui dignè amorum nomine appellandi sint, reperiemus. Etenim si amare nihil aliud est (vt quidam ait, & argumentatur) nisi eum diligere, & colere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate, quasi te ipsum, quemadmodum in eo dialogo, quem de amicitia scripsit Cicero, proposuit: si (inquam) illud est amare, solò profecto Deus Opt. Max. qui solus summū bonū est, & bonorū nostrorum non indiget, amore nostro dignus ipse videtur. Adde, quòd Christus Dñs, verus, & vnigenitus ipse Dei filius, sic Sponsam suam, id est, Ecclesiam, dilexit, tanquam seipsum: neque solū tanquam seipsum, sed etiam plusquam seipsum, si ita loqui fas est: ita enim per hiperbolem loquitur D. Aug. Soliloq. cap. 13. vbi sic deum familiariter alloquitur, quasi admirandus: Perieram, inquit, in peccatis, venundatus eram: Venisti pro me, vt redimeres me: &

in-

intantum me dilexisti, vt sanguinem tuum in pretium dares pro me. Dilexisti me Domine plusquam te, quia mori voluisti pro me, &c. quæ sequuntur. Vulgato Interpreti Latino, seu interpretationi vulgatæ, quæ habet, (Meliora sunt vbera tua, &c.) fauet locus, qui est apud Clement. Alexandr. in Pedagogo cap. 6. vbi congruenter ostendit Christum Dominum esse quasi mamillam Dei Patris, id est, amores, & delicias Dei Patris. Quo sensu etiam ipse Christus Dominus Ioan. cap. 1. affirmat se esse in sinu Dei patris sui: vsque adeo sibi in Christo filio suo Deus Pater sibi complacet, & oblectatur, præ nimio amore. Vnde etiam Apost. Paulus alicubi ipsum Christum Dominum filium paternæ dilectionis appellat, id est, longè & infinite dilectissimum, vt ita dicā. Sunt itaque iudicio Sponsæ ipsa vbera Sponsi, non minus quàm ipsius oscula, plena voluptatis, iucunditatis, & gratiæ: præsertim post aduentum, & apparitionem eius in carne desideratissimam, & expectatissimam ad salutem. Vnde & Sponsa hic Sponsum suum non amplius per verbum tertiæ personæ, Osculetur, sed potius pro nomine secūdæ personæ, Tua, tã-

quam iam præsentem in carne nostra mortali, alloquitur in præsentem hac laudatione, & item postea sæpè.

Oleum effusum nomen tuum.

DEvfu vnguentorum antiquissimo, præsertim apud Orientales, aliàs multum, & sæpè diximus: quinetiam de oleo illo speciali, seu vnguento, quo apud Iudæos, præsertim in capite, vngebantur Reges, & Sacerdotes, quod in sacris litteris oleum vnctionis appellari solet ab affectu, vt patet Exod. ca. 29. & 31. & Leuit. cap. 7. & 8. & aliàs. Vnde illud in Psal. 132. Sicut vnguentum in capite, quod dedicēdit in barbā Aaron. q. d. Habiteret fratres simul, perinde est atq; vnguentum optimū super caput, subaudi effusum descendens super barbā Aaron. Vult dicere Rex Proph. concordiam fratrum, seu fraternam charitatem esse suauiore vnguento illo odoratissimo, quo in capite vngebantur olim summi Sacerdotes, quorum primus, & princeps fuit Aaron frater Moyfis. Cuiusmodi vnguento, non solū caput summi Sacerdotis delibutū erat, sed etiā ex ipso capite in totā barbā eius defluebat,

B

atq; etiam per barbam in oram vestimenti eius, ob copiam, & vbertatem. Symbolum enim erat istiusmodi vnctio, seu oleū, seu potius vnguentum potestatis, sanctitatis, & gloriæ, atque etiam lætitiæ, & hilaritatis. Vnde in Psalm. 88. de Rege Propheta, id est, David, in hunc modum loquitur Spiritus sanctus: Oleo sancto meo unxi eū. De Rege quoque Messia ipso, deque eius regia, & suprema potestate, ipse Rex Propheta, vel potius Oraculum in Psalm. 44. vaticinando, sic ait: Unxit te Deus oleo lætitiæ præ confortibus tuis. Propter eximiam scilicet eius prærogatiuam, & excellentiam, secundum quam alibi, id est, in Psalm. 109. idem Rex Propheta ita eundem alloquitur, dicens: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Atque proinde cum videamus, & sensu experiamur nullum iniquorem latius se diffundere, nec corpori humano D gratiosum inueniri, magisque salubre oleo esse; aptissime nimirum cōgruit cum gratia, bonitate, clementia, & misericordia, quæ in omnes mortales lōgè, lætèque exuberat, vel exuberare cœpit per aduentū, & apparitionē Christi in carne nostra mortali. Mirificè etiam cōgruit hoc

A nomen, & significatū olei, cum nomine Christi, seu Messia: siquidem Christus Dominus, & Sponsus Ecclesiæ diuinus idemque Rex, & Sacerdos æternus, ab oleo, seu vnctioe dicitur, quemadmodū omnes tam nostri, quam etiam Hebræi confitentur. Atq; eò etiam pertinet, quod pauca mutatis litteris, idem ferme sonus est Græcis oleum, vt misericordiam nominantibus ἐλαίου ἐλεος. Pro qua re, vt omitam alios, legendus erit Orosius lib. 6. cap. 19. vbi ex professō de mysterio, & ratione, seu etymo huius nominis Christi disserit. Quam ob rem, nō immerito videri potest A author sacer his verbis Spōsæ, præfertim alludere ad etymologiam, seu rationem, & vim istius nominis Christi: Vnde etiam nomen Christianorū, & Christianismi, primò foeliciter promanauit, & deriuatum est. Veruntamen admonitū esse volumus studiosum, piūmq; lectorem, sacrarum litterarum curiosum auditorem, vocabulum (Olei) hinc, & aliàs sæpè in sacris litteris, pro vocabulo vnguenti vsurpari, cuius multa, & propemodum infinita sunt genera, siue species. Vocabulum n. (Olei) generale est: vnguenti autem nomē speciale est, variāsque species cōple-

ditur, proprièque significat A oleum odoratum, & pretiosum, id est, ex arte factum, atq; cōpositum ex variis rerū generibus, seu speciebus suaue olentibus. Oleum namq; istud commune, etiā si cum late diffunditur, non nihil oleat, non tamē voluptate, & suauitate adeo afficit, sensumque demulcet, vt oleum vnguentarium & odoratum (quod vocant) & summa arte perfectum est: ideoque mirificè olet, cum fortè de industria diffunditur, ob eximiam scilicet fragrantiam, molitiem, suauitatē, & gratiam: quāuis etiam oleum istud commune, simplex, atq; plebeum (vt ita dicam) per se solum symbo-

A nino incōmoda erit cōparatio Spōsæ, vt videlicet sit allusio ad ingenium Sponsi sui placidum, mite, lene, atq; suaue: quamuis commodior, & concinior sit illa altera significatio, vt videlicet de oleo vnguentario, seu odorato, & cōposito accipiatur, quale planè erat illud, quo vngebantur B Sacerdotes, & Reges, vt patet Exod. 29. & 30. 31. & 40. & aliàs sæpè: quod quidē erat valde pretiosum, & per antonomasiam oleum, seu vnguentū vnctionis appellatur. Per magni .n. interest inter vtrumq; oleum, nempe inter cōmune, & vnguentarium. Vnde & Plinius l. 18. Natur. hist. cap. 11. in descriptione Cāpania, inter alias eius laudes, prærogatiuas, ac delicias, quas ibi narrat, sic ait: Vulgo dictum plus apud Cāpanos vnguenti, quàm apud cæteros olei fieri. Vsq; adeo tāta erat apud Campanos copia, studium, & vsus vnguentorū ex arte factorum, seu cōpositorum. C Seruius quoque grāmat. cōm. in l. 1. Æneidos pro hac re fabulam congruenter, & eleganter tangit, dum ait: Amaracum puerum fuisse Regis vnguentarium, qui casu lapsus dum ferre vnguenta maiorem istiusmodi confusione, seu effusione creauit. vnde & optima vnguenta, inquit Seruius, Amaracina

dici consueuerunt. Sic ille. Melius itaque multo est, ut verba ista Sponsæ cum de Sponso suo per comparationem ait, Oleum effusum nomen tuum, de oleo odorato composito, & pretioso, seu vnguentario, ut vocant: de quali quidem oleo (ut alias notauimus) loquitur Marc. Euā. cap. 14. cum ita scribit: Et cum esset, nepe Christus Dominus, Bethaniæ, in domo Simonis leprosi, & recumberet; venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabaistro, effudit super caput eius, & domus impleta est ex odore vnguenti, ut inquit Ioannes cap. 12. Videtur enim Sponsa hoc in loco per oleum effusum laudare, & commendare præsertim sponsum suum à mansuetudine, atque morum suauitate, quasi ita planè diceret: Ingenium tuum, ô Sponsæ charissime, cicut, mite, mansuetum, & suaue est, in star olei, seu vnguenti effusi, quod quidem longè, lateq; olet, & fragrat, atque oblectat omnes. Quæ virtus, nempe mansuetudinis, præsertim desideratur in Principe, & pastore, seu Rege, verumque iter gloriæ appellatur alicubi à Cicerone Philippica 1. De qua virtute videndus erit Arist. Ethic. l. 4. ca. 5. vbi differit de mansuetudine,

24
 & extremis eius, vbi inter alia ita scribit: Is igitur qui pro quibus, & quibus oportet, & ut oportet, & cum oportet, & quantum in tempore oportet, irascitur, laudatur. Estque hic mansuetus, siquidem laudatur ipsa mansuetudo. Mansuetus enim, ac mitis, perturbatione vacare, & non ab affectu duci, sed pro his, & tãto in tempore irasci solet, perinde atque ratio iubet, &c. quæ sequuntur apud Arist. Vsq; adeo autem mansuetudo ipsos Reges, & Principes decet, atque condecorat, ut benignitatem Principis Iura mansuetudinem appellent. Ut videre est in epist. interclaras in Princ. C. de sum. Trinit. & fide Catholic. l. C. de Prin. par. lib. 11. & cap. finali 56. dist. Si tamen in ipsis: quod habetur in cap. sum. namque in fine 45. Regat inquit vigor disciplinæ mansuetudinem, & mansuetudo ornet sermonis vigorem: & sic alterum commendatur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. Hac ibi. Pro qua re legendus erit, si quis volet hunc locum amplius dilatare, D. Greg. Magn. lib. 7. Moral. cap. 27. & D. Ambrosius libro 2. offic. cap. 7. & Nicephor. libr. 14. Eccles. histor. cap. 38. vbi scribit de Theodosio iuniore.

Præterea legendus erit D. Greg. Nazianz. orat. in laudem D. Basil. mag. pag. 194. & item orat. ad ciues suos Nazianzenos pag. 205. vbi differit de mansuetudine, & clementia: ut omittã alios veteres Theologos. Quibus etiã suffragantur Philosophi, in quibus est Plato in Gorgia, vbi ita congruenter, & eleganter ait: Iusti mansueti sunt, &c. Et Plutarch. in vita Fabij Maxim. inter alias eius laudes, præsertim mansuetudinem laudat, & commendat plurimum, cum inter cætera ita inquit: Sed & ouicula, quod paruam pecudem signat, cum puer esset, à mansuetudine, & grauitate morum cognominatus est, seu cognominabatur. Sic ille. Non abs re igitur diuina Scriptura Mosem ducem, & Imperatorem populi Dei, à mansuetudine præsertim nobis commendat Numer. 11. vbi ait: Erat enim Moses vir mitissimus super omnes homines, qui morabatur in terra. Quinetiã Rex Proph. Psal. 131. à mansuetudine præsertim Deum demereri, & consiliare, seu placare, atque exorare non veretur, cum ait: Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Quinimò & ipse Christus Dominus totius veræ virtutis exemplar, hanc præsertim, & nominatim virtutem dis-

26
 cipulis suis, atque cultoribus imitandã proponit, cum Euāg. sic ait: Tollite iugum meum super vos: & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Non tamen displicet, neque ab isto sensu, seu intelligentia, seu expositione abhorret, sed potius valde congruit, si dicamus Sponsam his verbis cum in laudem Sponsi sui ait, Oleum effusum nomen tuum, non solum laudare, siue extollere Sponsi sui mansuetudinem, cæterasq; eius virtutes: sed etiã virtutis, vel potius virtutum, rerumque gestarum, id est, mirabilium factorum, famam. Nam (ut alias exposuimus, atque exemplis manifestis ostendimus) fama bona atq; præclara verissimè atq; rectissimè per metaphoram cõparatur oleo, seu vnguento effuso, odorato, & pretioso: ut manifestè apparet ex vno illo loco, qui est Eccles. cap. 7. Vbi Salomon ait: melius est nomẽ bonũ, id est, fama bona, atque præclara, quam vnguenta pretiosa. Sic enim natura, & ratione, atque etiam prouidentia diuina comparatum est, ut veram, solidamque virtutem, plerumque nomen bonum, siue fama bona commitetur, atque sequatur, quantumque sit absentia, atque di-

stantia locorum, & temporum: quemadmodum scilicet naturaliter, & necessario umbra sequitur corpus. Quod quidem perspicuum fit ex multis, & varijs Euangelij locis, in quibus mentio fit de fama præclara virtutum, & miraculorum Christi. Nam Matth. cap. 9. vbi postquam Christus Dñs Principis filiã iam mortuã suscitasset, ita statim ibi sequitur: Et exijt fama hæc in vniuersam terram. Et rursus postquam duos quosdam cæcos mirabiliter illuminasset, subdit Euangelista: Illi autem exeuntes diffamauerunt eum, id est, diuulgauerunt famam eius in tota terra illa. Similiter de fama virtutis, & miraculorum Christi scribit Matthæus capite decimoquarto, & Lucas capite quarto, vbi ait: Et fama eius exijt per vniuersam terram. Et rursus, Et diuulgabatur fama de illo. Vt omittam alia complura testimonia de fama virtutis, seu virtutum factorum, atque dictorum Christi. Quinimò de fama Sapientie Salomonis Regis, qui author est huius operis, & typus Christi Domini, id est, Sponsi, scriptum est 3. Reg. cap. 10. Sed & Regina Saba, audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus. Et docuit

eam Salomon omnia verba, quæ proposuit, &c. Videns autem Regina Saba omnem sapiëntiam Salomonis, &c. Dixit ad Regē: Verus est sermo, quem audiui in terra mea, &c. Maior est sapientia, & opera tua, quàm rumor, quem audiui, &c. Quo sensu etiam 2. Machab. cap. 8. Dictum legimus de Iuda Machabæo: Et fama virtutis eius vbiq; diffundebatur. Et Paulus Apost. Rom. cap. 10. ex autoritate Psal. 18. de prædicatione Evangelica accommodatè exponit illa verba, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum; subaudi sanctorū Christi Apostolorum. Rectè itaque, & valde eleganter Sponsa hoc in loco famam virtutis simul, atque doctrinæ Christi, vnguento effuso, & quidem valde precioso comparauit. Opere præteritum autem fuerit pro hac re, id est, de fama virtutis, videre, quæ scribit Diuus Augustinus lib. decimo de Trinitate, capite primo, vbi de origine, studio, & honestate famæ diligenter, & copiosè philosophatur, dicens: Quia rem prorsus ignotã amare omnino nullus potest; diligenter intuendum est cuiusmodi sit amor studentium, id est, non iam scientium, sed adhuc scire cupientium. Et in his quippe re-

bus in quibus non vilitatè dicitur studium, solent existere amores ex auditu, dum cuiusque pulchritudinis fama ad videndum ac fruendum animus accenditur, & cætera. Deinde statim subdit: Cum autem virum bonum amamus, cuius faciem non vidimus, ex notitia virtutum amamus, quas nouimus in ipsa veritate, & cætera, quæ prosequitur D. Augustin. in eandem sententiam. Adhuc igitur modum, & sensum Sponsa laudatrix rerum Sponsi, ex fama pulchritudinis, & notitia virtutum eius rectissimè ait: Oleum effusum nomen tuum, & cætera. Si quis tamen etiam plura desiderat super allegoria, seu metaphora horum Sponsæ verborum, legendus erit Didymus Alexand. lib. 1. de Spiritu sãcto. Vidèdus quoq; erit Orosius lib. 6. cap. 19. vbi non solum differit de mysterio, & ratione istius nominis Christi quod ab oleo, seu vnctione ductū est: sed etiam narrat historiã valde huic nomini congruentem, simul & allegoriam pulchram affert. Ait enim eo tempore, quo Christus Dominus natus fuit in Bethleë, Romæ in trãstibyrina Regione fontem olei mirabiliter scaturire cepisse, qui integrum diem sine intermissione manauit, in-

A signum misericordiæ, clementiæ, gratiæ, & suauitatis: atque eiusmodi signum gratiam per Christum largè effundendam protendisse. Suffragatur huic historiæ, & attestatur etiam Eusebius Cæsariensis in Chronicis. Et item Paulus Diaconus de rebus gestis Roman. Præterea Sabellius historicus libro secundo Ennei. 7. & item Platina in vitis Pontificum, in Iesu Christi: vt omittam alios. Quamuis nonnulli negent hoc prodigium contigisse in ipso die ortus Christi, sed potius antea, vel postea, vel circa natiuitatem Christi: quocumque tamen tempore id prodigium acciderit, valde pertinet ad honorem, & dignitatem Christi, simul & gratiam, pacem, & veniam, quæ per ipsum vniuerso mundo allata est, significandam: vt ne dicam etiam ad veritatem, atque elegantiam horum Sponsæ verborum meliùs intelligendam, quatenus per cõparationem in laudem Sponsi sui hic ait: Oleum effusum nomen tuum, & cætera. Vnde rectissimè statim subijcit post hæc verba ipsa Sponsa, quasi causam, & rationem amoris erga Sponsum exponendo: Ideo adolescentulæ dilexerunt te. Nec non ad dignitatem, & reueren-

tiam, & decus nominis Sponsi, illud & pertinet, quod Paulus Apost. vnus ex intimis Sponsi amicis, in epistolis suis nomen I E S V quingenties vsurpat, vt notauit quidam ex recentioribus, vir eruditus, & catholicus, nempe Geneb. Chronicon lib. 3. pag. 364. vsque adeo Paulo amabile, & suaue erat istud nomen, quanto verò magis Sponsæ. Alius quoque vir sanctus, id est, D. Bonauent. in vita S. Francisci, congruenter refert, quemadmodum ille, nempe D. Franciscus, nomen I E S V cum exprimeret, vel audiret, iubilo quodam repletus interius totus videbatur exterius alterari, ac si mellisuius sapor gustû, vel harmoniacus sonus ipsius immutasset auditum. Hæc S. Bonauent. Sed præsertim de suauitate, & præstantia huius nominis, atque ad pleniorē intelligētiam horum Spōsæ verborum, cum per comparisonem ait, Oleum effusum nomen tuum, consulendus, & legendus erit D. Dionys. Ariop. Eccl. Hierar. cap. 4. part. 3. vbi inter cætera sic ait: Scimus autem Augustissimum I E S V M super substantialiter odorum esse intellectuale nostrum, spiritualibus distributionis diuina voluptate replētē. Et cætera, quæ prosequitur pulchrè,

& congruenter in eandem sententiam.

Ideo Adolescentulæ dilexerunt te.

Pendet hæc oratio, & sententia ex superiori, Oleum effusum & cætera, vt dicebam, vt patet ex particula coniunctiua, & rationali, Ideo. Atque proinde sensus, & ordo istorum verborum talis est, quasi ita planè dicat Sponsa: Quapropter, vel ob hanc causam, ô Sponsæ dilectissime, propter virtutis tuæ excellentiam, simul & nominis celebritatem, siuè famam, eximiâque pulchritudinem, Adolescentulæ dilexerunt te. Neque mirum, cum sis tantopore amabilis, & suauis, tali, tantâque bonitate præditus. Itaque illæ iurè, ac meritò te dilexerunt, vel potius amarūt amore quodam excellentiæ, vt vocāt, quo quidem genere amoris amari solent superiores ab inferioribus, vtque parentes à filijs, & seniores à iunioribus, & viri ab vxoribus, & Principes ab alijs qui eis subiiciuntur, vt eleganter docet Aristoteles lib. 8. Æthic. cap. 7. vbi sic ait: Est autem & alia species amicitia, quæ in excellentia consistit, vt amicitia patris ad filium, & omnino seniores ad iuniorē, virique ad vxorem, & Principis ad

ad eos qui ipsi subiiciuntur. Non est eadem amicitia parentibus ad filios, & Principibus ad subditos, nec patri ad filium, & filio ad patrem, nec viro ad vxorem, & vxori ad virum. Diuersa enim vnus cumque horum virtus & opus, diuersa etiam sunt & ea, propter quæ amant, diuersa igitur & amationes, & amicitia, atque eadem quidem vtrique ab altero nec fiunt, nec sunt querenda: sed cum liberi quidem ea parentibus tribuunt, quæ tribuenda sunt genitoribus, parentes autem filijs, quæ natis tribui debent, stabilis talium, & bona est amicitia. Oportet & adamationem omnibus in amicitijs, quæ in excellentia consistunt, comparisonem fieri rationum. Magis enim amari præstabiliorem, vtilioremvè, quam amare oportet, & cæterorum vnunquémque similiter. Et cætera, quæ prosequitur Aristoteles in eandem sententiam de amore, seu amicitia excellentia. Cum quo Sponsus ipse & secundum historiam, & secundum mysterium, tanto præstabilior sit cæteris omnibus, præsertim verò adolescentulis, quæ Sponsam comitabantur, & vestigia eius sequebantur, amoribusque eius fauebant, cōsentaneum rationi est, vt nō quouis modo vel

amore, sed potius amore excellentiæ, vt vocat Arist. diligenter, atque amarent, id est, plurimum, ac pro dignitate amarent. Quâuis enim Spōsus gratiæ causa nihil faceret; erant tamen omnia grata quæ faciebat, propter mirificam virtutis indolem, & famam. Neq; indignum aut turpè est Principem populi salutis cupidum, quodammodo esse popularem, id est, gratificari velle populo, atq; placere in bono. Vnde etiam in plerisq; codicibus Latinis vulgaræ editionis hoc loco legimus (Dilexerunt te nimis): quamuis in Hebræo desideretur aduerbium (nimis) id est, plurimum. Nihil est enim profusum rerum natura, in quo quidē non peccare queat præ nimietate, id est, per excessum amoris, præterquam in amore vnus Sponsi, id est, in dilectione, seu charitate Sponsi cælestis, & diuini. Celebrèque ideo est illud Homeri in Iliade, dicentis cunctarū rerum faties cōtigit amorisque, & somni, & blandæ citharæ, chœræq; ducentis. Pro qua re vide Adag. Nec quid nimis. Et item Adag. Herculei labores. Quin potius vide D. Bernard. lib. de diligēdo Deū, vbi ait, & præcipit Deum sinè modo diligendum. Pro qua re legendus quoq; erit D. Aug. epist. 38. & Enchirid. cap. 121.

Præterea in lib. de perfectione A
iust. Reip. ad ratiocinationem
15. vbi differit, siue disputat, vtrū
diligere Deum in via minus,
quàm diligendus est in Patria,
sit peccatum. Videtur enim D.
August. ibi prima statim fronte
non nihil dubitare: sed tamen
lib. de spiritu & littera cap. 35. sa-
tis superque mentem suam ex-
ponit. Et alijs item in locis. Con-
iungatur his id, quod docet D.
Thom. Opusc. 17. cap. 7. Viden-
dus quoque super hoc vir qui-
dam eruditus, & catholicus ex
recentioribus, cui nomen An-
dreas Masius commēt. in Iosua
cap. 22. vers. 5. Cæterum observa-
te admodum, &c. vbi ex senten-
tia, & verbis D. Aug. valde bene
exponit præceptum de diligen-
do Deo; atque & valde apposi-
tè, & accommodatè: quoniam
etiam ad rem præsentem perti-
net. Pro ratione autem, seu alle-
goria istorum Sponsæ verborū,
cum ait, (Adolescentulæ dilexe-
runt te,) exempli gratia, legen-
dus, & consulendus erit Theo-
doretus de sanctorum Patrum
historia, in vita Maranæ, & Cyre
cap. 29. pag. 450. vbi scribit de
duarum istarum virginum ado-
lescentularum, & nobilissima-
rum, quæ mirabili, inaudita, &
inuisitata mortificatione corpo-
ris per 42. annos vix sunt, &

in ea vsque ad finem perseuera-
runt, præ nimio scilicet diuini
Sponsi amore, seu dilectione, &
charitate. Inter alia enim sic ait
Theodoretus. Visione enim (in-
quit) apprehendentes Sponsi
pulchritudinem, facile ferunt
cursus laborem, & properant
peruenire ad finem certaminis,
videntes in illo stare dilectum,
& ostendere coronam victoriæ,
&c. Deinde ita conuenienter
subiungit: Tantum eas diuinum
amatorium fecit diuino quo-
dam furore debachari: Tantum
diuinus amor earum in Spon-
sum concitauit insaniam. Post
ea verba autem ita concludit
Theodoretus, dicens: Atque eæ
quidem, quæ tali vitæ instituto
fæmininum genus exornauere,
vt quæ alijs fuerint exemplaria,
coronabuntur à Domino coro-
nis victricibus. Hacten. Theo-
doret. ibi. Et rursus idem Theo-
dor. eiusdem lib. seu historiæ
cap. 30. in vita Dominæ virginis,
quæ etiā mirabili corporis mor-
tificatione, iam inde à tenera
ætate vt cepit, vehemēti diui-
ni Sponsi amore inflammata, ita
in laudem virginum istiusmodi
sacrarum pronunciat: Ex quo
enim (inquit) Christus Domi-
nus virginitatem honorauit, vt-
pote qui natus sit ex virginita-
te, præta virginitatis natura ger-

minauit, & hos suaue olentes, & A
qui non marcescunt, flores of-
fert creatori, non virtutem in
fœmina, & masculo discernens.
Est enim differentia corporum,
non animorum. In Christo Ie-
su, vt ait diuinus Apostolus, non
est masculus, & fœmina. Et cæ-
tera, quæ sequuntur apud Theo-
doretum. Videndus quoque erit B
D. Hierony. comment. in Aba-
cuc cap. 3. vbi iuxta translatio-
nem lxx. Interpretum, pro eo
quod vulgata editio nostra La-
tina habet: Cornua in manibus
eius, &c. sic habetur: Cornua in
manibus eius, & posuit dilectio-
nem robustam fortitudinis suæ.
Super quibus verbis D. Hieron. C
ita commentatur, nimirum: Id-
circo Dominus Pater operuit
cælos gloria, & terram repleuit
laude, & cornua, id est, Regnū
posuit in manu filij sui, vt fac-
ret dilectum suum ab homini-
bus diligi, & diligi non leuiter,
sed vehementer, & fortiter. Ha-
cten. D. Hierony. Cæterum nè D
quis fortè erret, vel ambigat de
allegoria, seu mysterio adoles-
centularum in hoc Cantico, vi-
dendus erit D. Ambros. lib. 5. de
Sacramentis cap. 2. vbi paucis
verbis exponit quid sibi velit,
iuxta subiectam materiam, vox
Adolescentularum. Ita enim
inquit: Quæ sunt istæ adoles-

centulæ, nisi animæ singulo-
rum, quæ deposuerunt istius
corporis seruitutem, renoua-
ta per Spiritum sanctum? Hæc
Diuus Ambrosius. Non etiam
mihi displicet, aut displicere
debet, quod scribit Philo Iud.
in libro cui titulus fecit de merce-
de meretricis tom. 2. pag. 211.
vbi quandam aliam non minus
elegantem, & congruam signi-
ficationem, seu allegoriam Spō-
sæ simul, & Adolescentularum
nobis insinuat, si diligenter at-
tendamus. Virtutem namque
inducit loquentem, comita-
tam multis pedisequis: siqui-
dem inquit, comites virtutem
sequebantur pietas, sanctitas,
veritas, & religio. Et cætera,
quæ profequitur in eandem sen-
tentiam. Satis à nobis dictum
de his verbis Sponsæ, Adoles-
centulæ dilexerunt te.

Recti diligunt te.

O Ratio hæc indefinita est,
& vniuersali æquipollet.
Quia enim dixerat specialiter
de Adolescentulis, Adolescentu-
læ dilexerunt te; congruen-
ter ita statim subiunxit: vt nè
cui fortè parum pro dignitate
Sponsi dixisse videretur, Recti
diligunt te, q. d. Parum est
quod dixi, Adolescentulæ di-

lexerunt te. Neque mirum est si adolescentulæ diligunt te, cum sis ipse pulcherrimus; illæ autem suapte natura studiosæ sint pulchritudinis, & rerum pulcherrimarum: quinimò omnes generaliter, qui recto sunt corde, & qui rectè sentiunt, vel qui rectè iudicant de rebus, diligunt, colunt, admirantur, & laudant te: præsertim verò, qui exemplum, ductumque, seu magisteriū, ac monita mea sequuntur: quāuis aliās sint imperiti, & rudes aliarum rerum mundanarū. Quod etiam non parum sæpè in picturis, atq; in alijs compluribus vsu venit, vt delectentur imperiti, aut vituperent, quod aut laudandū, aut vituperandū nō sit, qui ijde, quid in vnaquaq; re vitij sit, nequeant iudicare, sed instructi, atque docti à peritis facile desistant à sententia. Quemadmodum animaduertit etiam Cicero lib. 3. de Officijs.

Trahe me post te.

IN sita mortalibus natura propè sequi, quæ piget inchoare: vt eleganter inquit Cornelius Tacitus lib. 1. suæ historiæ. Itaque Sponsa hoc in loco contra morem vulgi, tanquam proba pedissequa. mauult duci, atque etiam trahi, quàm properè, ac

temerè sequi Sponsum suum: præsertim verò in re tam ardua, qualis planè est via salutis. Nihil est enim in rerum natura magis arduum, difficile, & periculosum, nihil etiam magis lubricū, nihil denique tamen quod magis ad rem pertineat: siquidem in his omnibus rebus, quæ ad pietatem pertinet, voluntas hominis, nō præuia, sed potius pedissequa, & assecla est, vt inquit, & docet D. August. cap. 106. ad Bonifacium. Et lib. 4. cōtra duas epist. Pelag. cap. 6. vbi sic ait: Veruntamē in omnibus, quæ quisque agit secundum Deum, misericordia eius præuenit eum, &c. Vnde Paulus Apost. Philip. cap. 2. sic ait: Cum metu, & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate. Super quibus Pauli verbis legendus erit præsertim. Diuus Augustinus libro primo de gratia Christi capite 5. vbi ita scribit, lectorēque admonet, dicens: Quod dixit Paulus, Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere, in alijs, & maximè Græcis codicibus legitur, Qui operatur in nobis velle, & operari. Deinde ita statim subiicit, & admonet: Videte (inquiens) si non Apost. gratiæ Dei futuros aduersarios

S. Spiritu tãto ante præuidit: & hæc duo, id est, (velle, & operari) quæ iste (nempe Pelag.) ita nostra esse voluit, tanquam ipsa diuinæ gratiæ non adiuuentur auxilio, Deum in nobis dieit operari. Consentanea sunt, quæ sequuntur eiusdem lib. cap. 6. & 7. & 10. & præsertim cap. 25. vbi in hunc modum ait: Non solum enim Deus posse nostrum donauit, atque adiuuat, sed etiam velle, & operari operatur in nobis: non quia nos non volumus, aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adiutorio nec volumus aliquid bonum, neque agimus. Quo sensu idem Aug. alibi, id est, lib. 2. de bono perleuer. cap. 13. rursus sic ait: Nos ergo volumus: Sed Deus in nobis operatur & velle. Nos ergo operamur: sed Deus in nobis operatur, & operari pro bona voluntate, &c. Quod autem, inquit, attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum: Non sumus idonei cogitare aliquid tãquam ex nobismetipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Non enim est in potestate nostra cor nostrum, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam ibi, & alijs in locis sæpissimè, aduersus impium Pelagium, & Pelagianos. Vnde etiam D. Bernard. ad fratres serm. 2. pag. 86. congruen-

tissimè & rectissimè inquit: Certissima mihi probatio, indubitabileque argumentum, quia habetis, quem, si quæritis, & in vobis habitat, quia tam valde trahit vos ad seipsum. Non enim humanæ possibilitatis est cursus iste: eius dextera facit virtutem, cui temper necesse est vt clameamus: Trahe nos post te, in odore vnguentorum tuorum curremus. Nec aliud experimentum quærimus eius, qui in vobis habitat Christus, &c. quæ sequuntur. Eodemque prorsus sensu, & mente Sponsæ verba exponit D. Ambros. in lib. 5. de Sacram. cap. 2. dicens: Non potest sequi Christum, nisi ipse attrahat. Denique vt scias: Cum exaltatus (inquit) fuero à terra, omnia traham ad meipsum, &c. Et D. August. lib. 13. Confess. cap. 19. non minus eleganter, alludens scilicet ad hæc Sponsæ verba, sic fideles adhortatur: Vos autem genus electum, infirma mundi, qui dimisistis omnia, vt sequeremini Dominum, ite post eum, & confundite fortia: ite post eum speciosi pedes, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam. Consentaneus locus est apud D. Thom. opusc. 18. ca. 9. cum ait: Est ergo proprium filiorum Dei, vt impetu gratiæ agantur ad meliora, &c. quæ

prosequitur in eandem sententiam, exponens nobis illa pauli verba Rom. cap. 8. dicentis: Quicumque enim Spiritum Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Aguntur enim, & trahuntur prorsus filij Dei, ut pie, beneque agant: alioqui enim, quod bonum est, & pium, non agent: quemadmodum docet, & interpretatur idem D. Aug. in loco superius à me commemorato, id est, lib. 1. de gratia Christi cap. 25. ubi ita articulatur, & disertè ait: Proferat ut agant quod bonum est, ab illo aguntur, qui bonus est, filio Dei, &c. Et Enchirid. cap. 64. iterum etiam ait, quasi moderando, & exponendo seipsum: veraciter dictum est, Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Sic tamen spiritum Dei excitantur, & tanquam filij Dei proficiunt ad Deum; ut etiam spiritu suo, maxime aggrauante corruptibili corpore, tanquam filij hominum, quibusdam moribus humanis deficient ad se ipsos, & ideo peccent. Hacten. Aug. Ut ne quis forte existimet hunc Sponsi tractum esse violentum, aut reddere hominem prorsus impeccabilem, libertatemque eius penitus auferre. Est enim hic tractus, seu tractio, spontanea, suavissima, simul & efficacissima, quemad-

modum docet D. August. præsertim lib. de grat. & libero arb. ca. 17. ubi ait: Qui præparat voluntatè, & cooperando perficit, quod operando incipit. Quoniã ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. ut ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur. Tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus, &c. quæ sequuntur. Idemque August. in lib. de prædest. Sanctorum cap. 8. & item lib. de bono persever. cap. 3. & 13. Præterea in lib. de gratia & libero arb. cap. 14. Quinetiam epist. 107. quam scribit ad Vitalem (ut omittam alia eius testimonia) diligenter ostendit istiusmodi Sponsi tractum, id est, auxilium gratiæ, usque adeo suapte natura esse efficacem, ut ex nolentibus volentes faciat, & obsequentes, & obsequentes, salva semper liberi arb. dignitate, quia scilicet suavissimum est non minus quam efficacissimum: iuxta illud Ezech. cap. 36. Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis

cor carneum. Et faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Sic ibi Oraculum se facturum promittit, præsertim filiis novi Testamenti, & prædestinatis ad vitam æternam: quantumvis aliàs repugnantes, rebelles, & duri, & quasi lapideo corde aliquando fuerint. Itaque salva dignitate liberi arbitrij. Quemadmodum etiam inter recentiores bene docet vir pius, & doctus, nempe Feu-ardentius commentar. in epist. Iacobi Apostoli cap. 4. super illis verbis, Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. ubi disputat contra errorem Caluini. Id quod etiam orationes Ecclesiæ solemnes, si diligenter attendamus, manifestè ostendunt: in quibus Ecclesia Catholica utrumque manifestè, & suppliciter confitetur, nempe efficacitatem diuinæ gratiæ, simul & infirmitatem liberi arbitrij in operibus pietatis. Quemadmodum animadvertit D. Augustinus etiam in lib. de bono persever. cap. 22. & 23. & alias. Quinetiam D. Hieronym. dialogorum contra Pelagianos libro 3. ubi ita conuenienter ait: Totus sermo sanctorum oratio est, tota oratio, & deprecatio extorquet

clementiam Creatoris, ut qui nostris viribus, & studio saluari non possumus, illius misericordia conseruetur, &c. quæ prosequitur. Pro qua re videndus erit etiam D. Bernard. in Scala Claustralium pag. 267. ubi inter cætera sic habet: Deus cuius potentia non est numerus, l. terminus, vel cuius misericordia super omnia opera eius, quandoque ex lapidibus suscitatur filios Abraham, dum duros, & nolentes acquiescere cogit ut velint: & ita quasi prodigus (ut vulgo dici solet) bouem in cornu trahit, quando non vocatus se infundit. Quod etsi quandoque aliquibus legimus contigisse, ut Paulo, & quibusdam aliis, non tamen ideo debemus nos quasi Deum tentando diuina præsumere, sed facere quod ad nos pertinet, legere scilicet, & meditari in lege Dei, orare ipsum ut adiuuet infirmitatem nostram, & videat imperfectum nostrum, quod ipse docet nos facere, dicens: Petite, & accipietis: querite, & inuenietis: pulsate, & aperietur. Nunc enim Regnum cælorum vim patitur, & violenter rapiunt illud. Hæc Bernard. Cum ergo tanta sit infirmitas liberi arbitrij, tantaque efficacia,

potentia, & necessitas gratiæ ad A
operanda opera pietatis; con-
sentaneum, & necessarium est,
vt cum Sponsa, id est, exemplo
Sponsæ, assidue, imò semper, at-
que suppliciter clamemus ad
aures Sponsi, dicentes: Trahe
me post te, &c. Quibus quidem
verbis Sponsa in typo Ecclesiæ,
ænigmaticè confitetur Deum B
authorem, ducem, & rectorem
esse liberi nostri arbitrij, vnicū,
sine quo nihil omnino boni, &
pij potest facere: & cuius auxi-
lio, gratia, & ductu omnia facile
præstare potest, quæ Sponsam,
id est animam perfectā, & Dei-
amantem, id est, desiderio Spōsi
diuini flagrātem præstare oportet,
& decet. Ideoque amanter,
suppliciter, & solícite auxilium
eius implorat: nec tantum eius
vestigia se velle sequi, paratā-
que profiteretur; sed etiam ab eo
trahi, & quodammodo compelli
vult ad faciendum officia, quæ
pertinent ad pietatem, charita-
tem, & salutem. Neque enim sa-
tis habet Sponsa, inquam, ad
rem tantam simpliciter à Spon-
so suo duci, nisi etiam trahatur,
& quodammodo compellatur,
vt ne fortè libertati suæ relicta
à Sponso tantisper deferatur:
tantum abest vt Sponsa, quæ sui
Sponsi erat longè amantissima,
ab eo diuortium facere vel diu

48
abesse vellet. Siquidem nec tan-
tillum quidem temporis ab eius
præsentia abesse patiebatur.
Verbum etenim trahendi (vt
aliàs accuratiùs exposuimus)
emphaticū est, ac vehementius,
quàm verbum ducendi. Ideoq;
hæc oratio Spōsæ valde est em-
phatica, vehemens & amatoria,
cum hic ait, Trahe me, potiùs
quàm, Duc me post te. q. d. Tra-
he me volentem, & non valen-
tem: vt eleganter exponit D.
Gregor. & refert S. Thom. opus.
60. Nihilominus tamen vt tan-
tis per Philosophica attingamus,
& Theologicis cōiungamus, iu-
rè ac meritò etiam apud Philo-
sophos & sapientes huius mun-
di, præsertim Stoicos, dictum
Epicteti Encheridij caput 38.
laudatur, & celebratur, vbi sic
ait: Oportet se ipsum ita confor-
mare, vt diis pareamus, & ac-
quiescamus in omnibus quæ
eueniunt, & volentes sequi, &
quæ ab optima mente fiant, &
proficiscantur. Et rursus idem
Epictetus apud Arrianum lib. 3.
serm. 7. congruenter ait: Sem-
per magis volo, quod Deus vult,
quàm quod ego. Adiungar ergo,
& adhærebo illi velut minister
& affecla. cum illo appeto, cum
illo desidero: & simpliciter, at-
q; vno verbo, quod Deus vult,
volo. Præterea idem Epictet.

apud

apud eundem Arrianum lib. 2. A
serm. 16. sic Deum alloquitur:
Vtere me in reliquum vbi lu-
bet, & vt lubet, mente tecum
consentio, æquo animo sum,
nihil recuso omnium, quæ
tibi videbuntur: quocumque
me voles ducito: quam vestem
lubet, circumdato. Magistra-
tum me gerere vis? priuatum
esse, manere, fugere, in pau-
perie, in opibus agere? Ego
non assentior tantum: sed in
his omnibus apud alios te de-
fendam, & tuebor. Denique
idem Epictetus Enchir. cap. 77.
ex autoritate Cleanthis Stoici
sic propemodum ait, alloqui-
túrque Deum:

*Duc me parens celsiq; dominator
Poli,*

*Quocumq; libuit, nulla paren-
di est mora.*

*Adsum impiger. Fac nolle,
comitabor gemens.*

*Malusque patiar, quod pati li-
cuit bono.*

Ita enim Seneca epistola 107. D
ex Græco ad verbum fideliter
vertit, & refert istos versus, at-
que etiam addit pro Epiphone-
mate, si viuamus, si loquamur.
Qui Cleanthis versus à Seneca
relati mirum in modum pla-
cuerunt etiam D. Augustin. in
lib. 5. cap. 8. vbi in hunc mo-
dum scribit: Amici Senecæ

sunt, nisi fallor, hi versus:

*Duc me summe pater alte domi-
nator Olympi,*

*Quocumque placuerit, nulla
parendi mora est, &c.*

Deinde postea non veretur D.
Augustin. affirmare Senecam,
vel potius Cleanthen, per sum-
mum patrem alti dominato-
rem Olympi, euidentissimè in-
telligere summum Deum, vel
summam Dei voluntatem, &
potestatem. Quemadmodum
etiam intelligunt Stoici voca-
bulum Dei in prouerbio illo, Se-
quere Deum. Quo quidem
præcipiunt in summa, & com-
pendio, æquo animo paren-
dum esse Deo per omnia. Quo-
cumque tandem nos ille, duxe-
rit, vel traxerit. Hic est enim ma-
gnus animus, qui se Deo tradi-
dit, vt inquit Seneca epist. 107.
& alibi, id est in lib. de vita bea-
ta cap. 15. vbi congruenter sic
ait: Sapiens quicquid euenerit,
sciet legem esse naturæ. Habe-
bitque in animo illud vetus
præceptū, Deum sequi. Quid-
quid enim ex vniuersi; id est,
naturæ constitutione patien-
dum est, magno excipiat animo.
Ad hoc sacramentum ada-
pti sumus ferri mortalia: nec
perturbari his, quæ vitare no-
stræ potestatis non est. In Re-
gno nati sumus: Deo parere,

D

supererogationis. Ad hunc fe-
rè sensum mihi videtur Spon-
sa hoc in loco dicere pluraliter,
potius quàm singulariter, Cur-
remus in odorè vnguentorum
tuorum. Pendet enim quodam-
modo hæc oratio Spōsæ ex illis
verbis eiusdē superioribus, cum
dixit: Trahe me post te. Et item:
Adolescentulæ dilexerunt te.
Per adolescentulas autem (vt
iam aliàs diximus) intelligit Spō-
sa virgines, i. potius virginales
alias animas sui similes, atque
æquales, quæ scilicet amoribus
suis erga Spōsum mirificè faue-
bāt, & Sponsum diuinū etiā si-
militer diligebāt & amabāt plu-
rimū: quales planè sunt animæ
sanctæ, atque perfectæ, vel Dei
amantes, atque in diuino amore
indies magis ac magis profi-
cientes, & promouentes, & fer-
uentes. Proprium enim, præci-
pūmq; est animarū perfectarū,
atque Dei amantium, in via
Dei, & rebus diuinis, nō solum
ambulare, vel festinare, sed etiā
præ nimio studio, amore, & de-
siderio Spōsi currere videantur.
Quod quidem est vehemētius,
vehementiāmque amoris, &
desiderij significat per transla-
tionem. Vt manifestè apparet
ex vno loco Euangelico, qui est
Ioannis cap. 20. vbi loquens de
certis quibusdam vehementer,

& summè Deum amantibus, ita
scribit: Vna autem sabbati, Ma-
ria Magdal. venit manè, cum
adhuc tenebræ essent, ad mo-
numentum, & vidit lapidem
sublatum de monumento. Cu-
currit ergo, & venit ad Simo-
nem Petrum, & ad alium disci-
pulum, quem amabat Iesus, &
dicit illis: Tulerunt Dominum
de monumento, & nescimus
vbi posuerunt eum. Exiit ergo
Petrus, & ille alius discipulus, &
venerunt ad monumentum.
Currebant autem duo simul, &
ille alius discipulus præcurrerit
citius Petro, & venit primus ad
monumentum. Hacten. Euang.
Currunt ergo in officio suo fa-
ciendo, & in sequela Sponsi, id
est, ad quærendum, visendum,
& salutandum, simulque ado-
randum, plerique omnes Dei
amantes, præsertim verò insi-
gniores, & perfectiores, in qui-
bus proculdubio hi tres nume-
rantur, nempe Maria illa Mag-
dal., quæ dilexit multum, & Pe-
trus Apost. & Princeps Apo-
stolorum, qui plus cæteris Chri-
stum Dominum dilexit: & item
Ioannes Apost. & Euangelista,
quem præcipuo quodam amo-
re diligebat, seu amabat ipse
Sponsus. Vnde & per excellen-
tiam in Euangelio passim ab
amore isto nominatur, Dis-

cipulus ille, quem diligebat Ie-
sus. Sic enim etiam ipse seipsum
appellare solet. Vnde & D. Hie-
rony. lib. 1. aduersus Iouinian.
inter alias laudes ipsius Ioannis,
hanc præsertim ponit, quod sci-
licet post Resurrectionem, nun-
ciante Maria Magdal. quia Do-
minus resurrexisset; vterque, id
est, ipse simul cum Petro cucur-
rit ad sepulchrum: sed ille Pe-
trum præuenit, id est, præcu-
currit citius Petro, Petrumque
anteuertit, currendo scilicet ad
visendum, & salutandum Chri-
stum Dominum rediuuium ex
mortuis. Tanta vsque adeo est
vis amoris, & gratiæ in Dei amā-
tibus, præsertim in his rebus,
quæ ad Sponsum pertinet: tan-
tæque est efficacitas gratiæ ama-
tores, & cultores suos attrahen-
tis, id est, excitantis, iuuantis, at-
que vocantis. vnde & D. Hie-
rony. cōment. in Matth. cap. 9.
super illis verbis, Et cum transi-
ret inde Iesus, vidit hominem
sedentem in telonio, Mattheum
nomine, & ait illi: Sequere me.
Et surgens secutus est eum. con-
gruenter, & eleganter in hunc
modum de ingenio Sponsi, id
est, Christi, animaduertit, dicēs:
Arguit in hoc loco Porphyrius,
& Iulianus Augustus, vel impe-
ritiam historici mentientis, vel
stultitiam eorum, qui statim se-

cuti sint Saluatorem, quasi irra-
tionabiliter quemlibet vocan-
tem hominem sint secuti: cum
tantæ virtutes, tantæque signa
præcesserint, quæ Apostolos an-
tè quam crederent, vidisse non
dubium est. Deinde subdit D.
Hierony. Certè (inquit) fulgur
ipse, & maiestas diuinitatis oc-
cultæ, quæ etiam in humana fa-
cie relucebat, ex primo ad se vi-
dentes trahere poterat aspectu.
Si enim in Magnete lapide, &
succinis hæc esse vis dicitur, vt
anulos, & stipulam, & festucam
sibi copulent; quanto magis do-
minus omnium creaturarum ad
se trahere poterat, quos vole-
bat. Hacten. D. Hierony. Itaque
mirum non est, si Sponsa hoc in
loco ad exprimendum ingenij,
& morem animarum vehemen-
ter Dei amantium, seu perfectarū,
dicat: Post te curremus.
Quinimò mirandum est, si non
dixerit potius, Post te volabi-
mus. iuxta illud Isai. cap. 40.
Qui autem sperant in Domino,
mutabunt fortitudinem, assu-
ment pennas vt aquilæ, current,
& non laborabunt. Nam, vt sci-
tè ait D. Ambr. cōment. in Luc.
cap. 1. Nescit tarda molimina
Spiritus sanctus. vt patet etiam
ex illo loco Isai. cap. 40. vbi de
istiusmodi hominibus, nempe
Dei amatoribus, atq; perfectis,

quos peculiari virtute, & gratia sua trahit Sponsus, hoc modo ait: Mutabunt fortitudinem, & assument pennas, ut aquilæ volabunt, & non deficient. Et rursus idem Isai. cap. 61. ait: Qui sunt isti, qui ut nubes volant, &c? Adde quod etiam ait Rex Propheta in psal. 54. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Quasi vero in volatu sit requies, atque perfectio. Vnde & D. August. in lib. 13. Confess. cap. 8. congruenter, ac suppliciter Deum ita precatur: Da mihi te Deus meus, redde mihi te. En amo: & si parum est, amem validius. Nô possum enim metiri, ut sciam quantum desit mihi amoris, ad id, quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos. Hoc tantum scio, quia malè mihi est præter te: & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, inopia est. Hacten. Aug. ibi. Et rursus lib. 8. confess. suarum cap. 4. similiter ait: Age Domine, & fac, excita, & prouoca nos. Accende, & rape, flagra, dulcesce, iam amemus, & curramus. Hacten. Aug. Quæ quidem verba D. August. simillima sunt, si diligenter attendamus, verbis istis Sponsæ, quibus Sponsum suum alloquitur, & deprecatur, dicens: Trahe me post te, curremus in odo-

rem vnguentorum tuorum. Ac proinde D. Hierony. in epist. 1. quam scribit ad Heliodorum de vita solitaria, in hunc modum ad Sponsi sequelam, & cultum religionis, & perfectionem euangelicam amplectendam, bellè adhortatur, dicens: Licet paruulus collo pèdeat nepos, scilicet sparso crine, & scisis vestibus vbera, quibus te nutrierat, mater ostēdat, licet in limine pater iaceat: percalcatū perge patrē, siccis oculis ad vexillū crucis euola: solū pietatis gen⁹ est in hac re esse crudelē. Hact. Hiero. Ex quibus omnib⁹ facile est intelligere mentem Spōsæ, id est, metaphoram, seu translationem verbi currendi, quo utitur Sponsa hîc, cum ait: Curremus, &c. Hinc etiam perspicuè intelligimus mentem Pauli Apost. qui 1. Cor. cap. 9. eadem Metaphora etiam atque etiam currendi verbum vsurpauit, dicens: Nescitis, quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite, ut compræhendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed ca-

stigo corpus meum, & inferuitutem redigo: nè fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Hact. Paulus. Super quibus verbis D. Aug. lib. de perfectione iustitiæ, mentem Pauli exponendo, simulque translationem verbi currendi, ita ait: Omnes enim, qui rectè current, compræhendent: sicut in agone theatro, omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam. Curramus ergo credendo, sperando, desiderando, curramus corpus castigando, & elemosynas in dandis bonis, malisque ignoscendis hilariter, & ex corde faciendo, & currentium vires ut adiuuentur orando, & sic audiamus præcepta perfectionis, nè currere negligamus ad plenitudinē charitatis. Hact. August. Nemo enim in hac vita omnino peruenit ad plenitudinem charitatis, quātumuis currat, atque indies magis & magis proficiat, donec perueniat ad metam, id est, beatam illam gloriam, quæ nobis reposita est in Cælo. Nilominus tamen perfectio vitæ istius mortalitatis in cursu quodam consistit, non autem in compræhensione, aut peruenitione, ut docet ibidem idem D. Aug. Itaque diligenter prouidendum est, ut ne quid cursum nostrum impediatur, & quantum

in nobis est, de more boni cursoris, omnia impedimenta, scandala, seu offendicula tollamus, quæ quomodo impediunt, atque retardare nos possunt, quo minus benè pro eo atque dignum est curramus, id est, perueniamus, & foeliciter compræhendamus vitam illam beatam, seu beatam gloriam, atque coronam. Pro qua re opere pretiū fuerit legere locū, qui est apud D. Aug. lib. 8. confess. suarū ca. 5. vbi ingenuè, & disertè exponit, quæ eū præcipuè tenebantur, ac remorabantur, seu retardabant maximè, à cōuersione, & fide catholica, id est, studio sequendi Christū, & omninò Deo vacandi: cui tamē rei ipse nihilominus suspirabat. Sic enim ibi inter cætera conqueritur, & lamentatur, dicens: Sed vbi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino narravit, exarsi ad imitandum. Ad hoc enim ille narrauerat. Nec mihi fortior, quàm foelicior visus est, quia inuenit occasionem vacandi tibi. Cui rei ego suspirabam, ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle enim meum tenebat inimicus: & inde mihi cathenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate mea peruersa facta est libido; Et dum feruitur libidini, facta est cōsuetudo, & dum con-

fuetudini nõ resistitur, facta est A necessitas. Quibus quasi anfulis quibusdam sibi innexis, vnde catenam appellauit, tenebat me obstrictum dura seruitus. Voluntas autem noua, quæ mihi esse cœperat, vt te gratis colerẽ, fruique te vellem Deus sola certa iucũditas, nondum erat idonea ad imperandam priorẽ vultate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, vna vetus, alia noua, illa carnalis, ista spiritualis, conflagabant inter se, atque discordando dissipabant animam meam. Sic intelligebã meo ipso experimento, id quod legeram, quomodo scilicet caro concupisceret aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnem, & car. quæ valde elegãter, & pulcher, nec minus dolenter, quàm eleganter profequitur ibi ad nostram eruditionem, atq; instructionem, idem D. Aug. de veteri consuetudine peccati, & quasi ferrea hominis voluntate ad cõuersionem, seu pietatem, vel ad agenda pœnitentiam, & currendum benè post Sponsum, id est, ad sequendum Sponsum cælestem quocumque ille tandem nos ducere voluerit. Vnde etiã alibi, id est, Soliloq. cap. i. inter alia verba amatoria, ita precatur. Crea nouum olfactum odor vitæ, qui post te currat in odo-

rem vnguentorum tuorum, &c. Et rursus lib. 9. Confess. cap. i. congruenter ait: Quam suaue mihi subito factum est carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me, vera tu & summa suauitas, eijciebas, & intrabas pro eis omni voluptati dulcior, sed non carni, & sanguini, &c. Quare Sponsa in præsentiarum non ineptè, aut ociose, in persona hominis infirmi, quem nimis aggrauat vetus consuetudo, & pondus peccati, vt accipiat gratiam veniendi, & sequendi, seu currendi post Sponsum, ex animo clamat: Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Curramus igitur exemplo isto Sponsæ, & adolescentularum, quoad eius fieri potest, benè, id est, viuamus, & agamus benè: diligamus, & sequamur Sponsum. Si enim ita vixerimus, nempe piè, & sanctè, veniet aliquando ille dies, in quo merito boni cursus introducamur ab ipso Sponso Rege cælesti in cellaria sua regia similiter atq; Sponsa. Ad hunc enim sensum ipsa Sponsa statim sequentibus verbis, quasi gloriano dicere videtur: Introduxit me Rex in cellaria sua: merito scilicet boni cursus: quamuis iste

iste bonus cursus non sit opus A merum solius liberi arbitrij: sed potius Dei, id est, ipsius Sponsi, iuxta illud Pauli Apost. Roman. cap. 9. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, &c. Videndus Cicero ad Atticum lib. 2. cap. 23. cuius initium est, Num me arbitror, &c. vbi istiusmodi amplificatione vtitur, dum Pomponium rogat, vt ad se veniat: Si dormis, expergiscere: si stas, ingredere: si ingrederis, curre: si curris, aduola, &c. Non potest enim esse energia maior, neque reperitur apud Ciceronem, vt tibi animaduertit interpres. Vnde ipse Cicero epist. statim sequenti nu. 24. ita ait: Sic te euocabam, vt nihil acrius, neque incitatius fieri posset, &c.

Introduxit me Rex in cellaria sua.

IAm nunc post cursum Sponsæ, id est, post ea verba statim præcedentia, Curremus post te, ipsam Sponsam exultantem, & quasi lætitia gestientem, tantorumque meritorum, seu beneficiorum in se à Sponso collatorum, tanquam gratam & memoriam, Author inducit. Postquam enim Sponsa voti sui compos facta fuit (hoc enim illa fortè optabat, cupiebat, atque amoris

fiducia petebat: maximè cum dixit, Trahe me post te, nempe vt à Sponso suo Rege in cellaria, vel conclauia, vel penetralia regis domus introduceretur) postquam huius voti, ac desiderij sui compos facta fuerat; iure optimo gloriatur, & quasi triumphat, quòd tali, tantòque fauore à Sponso suo affecta fuerit, nempe quòd priuilegio amoris, de more iustæ, ac legitimæ Sponsæ, in cellaria, vel conclauia intima Regis Sponsi, vel domus regia, introducta fuerit. In quibus quidem cellarijs erant omnia genera rerum expetendarum, id est, diuitiarum, gemmarum, deliciarum, vnguentorum fragrantissimorum, aliarumque rerum huiusmodi præciosissimarum, & pulcherrimarum. Quartum quidem omnium Spõsa præ priuilegio amoris, non solum conscia, sed etiam particeps facta fuit, tãquam verissima Sponsa, castissima, & sanctissima coniux. Itaq; iure optimo exultat, & gloriatur, beneficentiamque, & indulgentiam, atque fauorem istum lætibus commemorat, celebrat, recolat tanquam memor, & grata: ad exemplum scilicet aliarum adolescentularum, quæ amoribus eius fauebant, Sponsumque ipsum etiam ipsæ diligebant. Per cellaria enim videtur Au-

thor intelligere loca sanctiora, & secretiora totius domus, id est, sanctius conditorium rerum toto orbe eximiariū, vt ita dicam. Quale v. g. olim erat apud Romanos sanctius ærarium. Cuius meminit Liuius lib. 7. secūdi punici belli: & item alij Latini Authores. Iuxta mysterium autem, seu allegoriam, videtur Sponsa his verbis ænigmaticè alludere ad aliquem mētis excessum, seu raptum diuini amoris, quem aliquando fortè passa erat de more Dei amantium vehementer. Cuiusmodi mentis excessum, siuè raptum, siuè hestasm (vt vocāt Græci) etiam alibi postea inferiùs insinuat, atq; commendat, nempe Cant. cap. 2. cum ait: Introduxit me Rex in cellam vinariam, &c. Vtrobique enim Sponsa similiter gloriatur, & celebrat tanquam eximium, & singulare quoddam beneficium, gratiam, honorem, & fauorem, quod ab ipso Sponso, id est, à tali, tantòque Sponso, & Rege, etiam atque etiam introducta fuerit in cellaria, seu conclauia, & penetralia Regiæ domus intima. Nam, vt dixi, istiusmodi cellaria, seu conclauia, & penetralia magnorum Regum, præsertim verò Salomonis Regis sapientissimi, opulentissimi, & ditissimi, præterquam quod so-

lent esse inaccessa, sunt etiam referta omnium diuitiarum, & vnguentorum, aliarumque rerum pretiosissimarū, & pulcherrimarum generibus. Facitque pro hac allegoria, seu coniectura nostra, locus ille Isai. cap. 64. vbi sic ait Oraculum: A seculo non audierunt (sub. homines) neque auribus perceperūt, oculus non vidit Deum absque te, quæ præparasti expectantibus te. Deinde subdit Oraculum: Occurristi letanti, & facienti iustitiam, in vijs tuis recordabuntur tui. Hactenus Isai. Quem locum Isai. refert etiam D. Paulus 1. ad Corinth. 2. vbi pro (Expectantibus te) reddit, atque exponit (Diligentibus te, vel potius ijs, qui diligunt te.) Ita enim inquit: quod oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum. Facit valde pro hac coniectura, & intelligentia, locus quidam, qui est apud D. August. lib. 10. Confess. cap. 4. vbi quasi alludens ad hæc Sponsæ verba, Introduxit, &c. ita congruenter scribit: Et aliquando intromittis me, ô Domine, in affectum multum, inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, quid erit, quod vita ista non erit? Sed recido in hæc ærumnosa pon-

deribus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degrauiat. Hic esse valeo, nec volo, illic volo, nec valeo: miser vtrobique. Hactenus Augustin. Idemque D. August. alibi, id est, in Manuali cap. 20. Sic ait: Anima amans fertur votis, trahitur desiderijs, dissimulat merita, maestatis oculos claudit, apparuit voluptati, ponens se in saluari, & fiducialiter agens in eo. Amore anima secedit, & excedit à corporeis sensibus, vt sese non sentiat, quæ Deum sentit. Hoc fit cum ineffabili Dei illecta dulcedine quodammodo sese sibi furatur, imò rapitur, atque labitur à seipsa, vt Deo fruatur ad iucunditatem. Nihil tam iucundum, nisi esset tam modicum. Consentaneus locus est etiam apud D. Bernard. serm. 23. & 86. in Cant. vbi differens de illo mentis excessu, siuè iubilo, quod Dei amantes animæ interdum patiuntur, seu experiuntur, ita eleganter inter cætera inquit: Fœlix hora, sed breuis mora est iubili, quale scilicet patiuntur animæ perfectæ in Dei contemplatione, etiam in hac vita, & corpore mortali, præ nimio affectu, atque amore, & desiderio Sponsi. Quomodo-

cumque tamen hæc res habeat vtrobique, tam in præsentico, quam inferiùs Cant. cap. 2. cum iterum ait Sponsa, Introduxit me Rex, &c. proculdubio significat se ad plenitudinem visionis, charitatis, fruitio- nis, simul & gloriæ Sponsi sum- moperere aspirare.

Exultabimus, & letabimur in te.

QVorum Sponsæ verborum ordo, & sensus talis esse videtur, quasi ita planè dicat: Iam inde ex eo tempore, quo me, ô Sponse charissime, pro tuâ eximia bonitate dignatus es introducere, vel intromittere in cellaria, seu conclauia, & penetralia tua regia, non solum ego, sed etiam totus iste adolescentularum chorus, sodalium mearum, quæ mihi semper adherent, ac me familiariter comitantur, vnâ exultabimus, & lætabimur in te: id est, in nulla re alia exultabimus, lætabimur, & iubilabimus, vel gloriabimur, præterquam in te solo, laudes tuas prædicantes, & celebrantes, tanquam grati, & perpetuò memores castissimorum vberum, vel potius amorum tuorum. Absit enim absit, vt in alia re quapiam, præterquam in te solo gloriemur, aut



acquiescamus, id est, exultemus, & lætemur, aut oblectemur, aut etiam cogitemus, & loquamur. Ad hunc ferè sensum videtur Sponsa dicere: Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum. Sed quis tam beatus, vt inquit Diuus Ambrosius lib. de fuga seculi cap. 1. qui in corde suo semper ascendat? Hoc enim sine auxilio diuino quomodo fieri potest? Nullo profecto modo. Vnde scriptura dicit: Beatus vir cuius est auxilium abs te Domine: ascensionem in corde suo disposuit. Beatus ergo planè, quem delectatio non reuocat, quem voluptas non inclinât, qui ad inferiora non respicit. Et cætera quæ proficitur ibi Diuus Ambrosius in eandem sententiam. Nihilominus tamen exemplo isto Sponsæ, atque etiam Adolescentularum eius sodalium, danda est opera, vt cum auxilio, & fauore ipsius Sponsi indies magis ac magis proficientes, ad eum virtutis gradum ascendamus, ac perueniamus, vt verè dicere, & affirmare possimus: Exultabimus, & lætabimur in te, si non omnino vt Sponsa, saltem aliqua ex parte vt adolescentulæ. Quod quidem fiet, si semper in omnibus rebus, &

A actionibus, & rationibus præpositâ habeamus amori nostro gloriam Sponsi, eiusque beneficia, beneuolentiam, charitatem, indulgentiam, suauitatem perpetuo recordemur, recolamus, & celebremus: donec peregrinamur in terra, atque per fidem adhuc ambulamus, non per speciem, id est, quoad ipsum Sponsum facie ad faciem sicuti est, videamus in Cælo. Nam sicut ait Oraculum Exod. cap. 33. Non videbit me homo, & viuet, id est, Non videbit me homo viuens, & sensibus corporis vtens adhuc, vel quandiu sensibus corporis istius mortalis vtitur. Super quibus verbis D. Aug. Soliloq. cap. 1. talem ad Sponsum diuinum, siue Deum, apostrophem facit, dicens: Sed cur faciem tuam, ô Domine, abscondis? Fortè dicis, Non videbit me homo, & viuet: Eia Domine moriar, vt te videam. Nolo viuere, volo mori, dissolui cupio, & esse cum Christo, &c. quæ sequuntur apud D. August. Talibus enim verbis vtitur Paulus Apost. ad Philip. cap. 1. vbi ait: Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrû. Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo enim magis melius: permanere autem in carne necessarium propter

vos. Et hoc confidens, scio quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei, &c. Super quibus verbis Pauli legendus erit D. Greg. Nazianz. orat. 23. in laudem Heronis Philosophi pag. 618. ex vltima Parisiensi impressione, vbi exemplo luculento ostendit officium profecti viri esse publicum commodum spectare. Id quod etiam ostendit ibidem Helias Nazianzeni Interpret. Quod etiam comprobari potest ex tex. in cap. Nisi cum pridè. §. Porro. de renunciat. vbi ad verbum sic habetur: Nonne recolis, quid ille gloriosus Pontifex dicit. cum cepisset viribus corporis repente destitui? Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. Qui textus sumptus est ex historia Seueri Sulpitij in vita B. Martini Episcopi. Pro qua re legendus etiam erit D. Gregor. Magn. hom. 4. secundæ partis super Ezech. vbi congruenter in hunc modum scribit: Menti Sponsum suum fortiter amanti vna solet esse consolatio, si per hoc, quod ipsa à visione differatur, aliorum animæ per eius verba proficiant, & ad caelestem Sponsum amoris facibus inardescant. Hacten. D. Greg. Et re-

A fertur hic loc⁹ à S. Thoma opus. 19. c. 19. Quomodo cūq; tãdem hæc Sponsæ verba exponantur, siue de animarum profectarum per fidem & charitatem in terra adhuc ambulantium, siue de animarum beatarum iam Deum videndum, atque fruendum, exultatione, & lætitia in cælo; Vtroque enim modo non incommodè Sponsæ interpretari potest hic sermo. Nihil tamè prohibet, imò verò conuenit tantisper, & patienter audire glossam quandam Hebræorum antiquorum super his Sponsæ verbis, ex Hebraico sermone in Latinum sic fideliter, licet barbarè, ad verbum redditam, quæ talis est: Exultabimus, & lætabimur in te, id est, In te Deo sancto, & benedicto. Simile est enim hoc, inquit Author Glossæ, cuidam Reginae, cuius maritus, filij, & generi transierunt mare. Postea per longum tempus dictum est ei: Venerunt generi tui. Et illa respondit: Quid ad me? lætentur filia mea. Rursum autem dictum est ei: Venerunt filij tui. Et illa respondit: Quid ad me? lætetur nurus mea. Quando autem dictum est ei: Venit vir tuus, Illa respondit: Nunc facta est profecta lætitia mea. Sic (inquit Glossa) factum est, vt essent Prophetæ dicentes ad Hierusalem,

vt Isai cap. 60. Filij tui de longè A
venient. Et ipsa respōdet, Quid
ad me? Latentur filij Iudæ: vt
est in Ps. 96. sed cū dictū est ei
illud Zach. ca. 9. Ecce Rex tuus
venit tibi iustus, & Saluator: &
cū scriptum fuit Zachar. cap.
2. Cantā, & lætare filia Sion,
quia ecce ego veniens, & habi-
rabo in medio tui, dicit Domi-
nus. Et scies, quia Dominus
exercituum misit me ad te. In
illa enim hora Regina illa dixit
illud Isai. 61. Gaudens gaudebo
in Domino, exultabit anima
mea in Domino meo. Et hoc
est, quod dixit Cant. cap. 1. Spō-
sa, Exultabimus, & lætabimur in
te. Hæc. habet Glossa ista He-
bræorum antiquorum super his
verbis Spōsæ, Exultabimus, &c.
Interpretatur enim planè de
aduentu Regis Messie primo
quādo apparuit in carne nostra
mortali. Quod valde notādum,
& obseruandum est aduersus
perfidios Iudæos contra quos
hæc ipsam Glossam refert Ray-
mundus noster in suo pugione
ij. c. iij. d. iii. p. & item Nico-
laus in tra. s. suo, qui circumfer-
tur seu habetur in fine appa-
ratus super Biblia in ij. g. & Chri-
stophorus in triumpho crucis
tit. 2. pag. 55. vt omittam alios
scriptores recentiores contra
Iudæos.

*Memores huberum tuorum super
vinum.*

Sensus horum Sponsæ ver-
borum, & ordo talis est, qua-
si dicat Sponsa in persona sua, &
adolescentularum: Exultabi-
mus, & lætabimur in te, ô Spon-
se charissime, & gratitudinis
ergo perpetuò memores erim-
us castissimorum huberum
tuorū, propter eximiam eorum
fragrantiam. Sic enim fragrant
quasi sint vnguentis optimis
dilibuta. Superius enim ampli-
ficandam fragrantiam, & suauitatem
huberum Sponsi sui, di-
xerat Sponsa: Meliora sunt hu-
bera tua vino, fragrantia vnguen-
tis optimis. Itaque per repeti-
tionem de more amatorio hoc
ipsum confirmat dicens: Me-
mores huberum tuorum super
vinum. Non displicet tamen
mihi, vt, quemadmodum superius
exposuimus, per hubera
vtrobique interpretemur amo-
res. Vox enim Hebræa, pro qua
Hubera, vtrumque significat,
videlicet, tam hubera, quam
amores: vt sit talis sensus, in quā,
totius orationis: Exultabimus,
& lætabimur in te, tanquā gra-
tæ, & memores amorum tuo-
rum castissimorum. Quadrat

enim hæc interpretatio inter-
dum magis pro loci circumstan-
tia: quamuis vox ipsa Hebræa
sit ambigua, proprièque hubera
significet. Sed tamen, vt iam di-
xi propriè loquendo viri hube-
ra non habent, sed mulieres.

Recti diligunt te.

Huius orationis vel senten-
tiæ, quæ prima statim frō-
te obscura, & ambigua est, talis
sensus esse videtur, quasi dicat
Sponsa planè: Exultabimus, &
lætabimur in te præcipuè, ô
Sponse charissime, ego, & quæ
mecum sunt adolescentulæ, id
est, virgines, sociæ, & familiares
puellæ, memoresque perpetuo
erimus amorum tuorum castis-
simorum: quoniam supra mo-
dum amabilis, suavis, & beni-
gnus est, & deniq; dignus quem
diligant omnes, præsertim verò
virginales, & illustres animæ,
quibus placet, id quod rectum,
bonum, honestum, decorum,
sanctumque est. Ad hunc ferè
sensem videtur dicere Sponsa
hic in conclusione orationis
sua ad Sponsum: Recti diligunt
te. Pendet enim quodammodo
hæc oratio, siue sermo, ex præ-
cedentibus eius verbis, ac præ-
inde non incommode ita inter-
pretamur. Sponsa igitur tanquā

benè conscia, & perita myste-
riorum, bonitatis simul, & di-
gnitatis, ac maiestatis Sponsi sui
charissimi, & amantissimi, non
veretur, nec dubitat de ipso
pronunciare, & coram affirma-
re, dicens: Recti diligunt te. Ve-
rissima enim est hæc sententia,
siquidem per rectos intelliga-
mus eos, quos diuina Scriptura
appellare solet cum additamen-
to rectos corde, id est, homines
rectæ, seu bonæ voluntatis, id
est, bonos, & iustos, siue sanctos,
& quide rebus præsertim verò
diuinis, rectè iudicant, maximè
autem de Deo benè sentiunt, &
loquuntur, tanquā boni, & equi
estimator, & iudices. Sic enim
ferè veteres Theologi iuxta
phrasin S. Script. definiunt ho-
minem rectum: præsertim verò
D. August. in lib. 14. de Ciuit.
Dei cap. 11. vbi exponens locum
illū Eccles. cap. 7. Creauit Deus
hominem rectum, &c. ita ait:
Fecit itaque Deus, sicut scriptū
est, hominē rectum, ac per hoc
voluntatis bonæ. Non enim re-
ctus esset, bonam non habens
voluntatem. Bona igitur volun-
tas opus est Dei, cū ea quippe
ab illo factus est homo. Mala
verò voluntas prima, quoniam
omnia mala opera præcessit in
homine: defectus potius fuit
quidam ab opere Dei ad sua

opera, quam opus vllum. Et ideo mala opera, quia secundum se, non secundum Deum, vt eorum operum tanquam fructuum malorum voluntas ipsa esset vel vt arbor mala, aut ipse homo in quantum malae voluntatis, &c. quae sequuntur apud D. Aug. Consentanea sunt, quae habet idem D. Aug. de bona, & mala voluntate eiusd. lib. cap. 27. & item de correct. & grat. cap. 10. & alia sapè. Sed praesertim legendus erit comment. in Psal. 72. super illis verbis, Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde? vbi in hunc modum commentatur: Quam bonus Israel Deus? Sed quibus? Rectis corde. Peruersis autem quid? Peruersus videtur. Sic enim in alio Ps. dicit: Cū sancto sanctus eris, & cum viro innocēte innocens eris: & cum peruerso peruersus eris. Quid est, Peruersus eris: & cum peruerso? Peruersum te putabit peruersus. Non quod illo modo peruertatur Deus. Absit. Quod est, est. Sed quemadmodum sol oculos puros, sanos, vegetos, fortes habenti, tranquillus apparet, in oculos autem lippos quasi tela aspera iaculatur: intuentē illum vegetat, hunc excruciat, non mutatus, sed mutatū. Sic cum cæperis esse peruersum, & tibi

Deus peruersus esse videbitur: tu mutatus es, non ille. Ergo erit tibi poena, quod bonis gaudium. Hoc iste recolens, Quam bonus Israel Deus (inquit) rectis corde? Haeten. ibi Aug. Similia sunt non minus pulchra, & accommodata, quae habet idem Aug. Comment. in Psal. 146. super illis verbis, Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Congruenter, nec minus eleganter exponit haec ipsa verba Psal. praefati, Quam bonus Israel Deus, &c. D. Ambr. lib. 3. de interpellatione cap. 2. vbi inter caetera, sic ait: Iusto itaque semper bonus est Deus: & cum torquetur doloribus corporis, & cum affligitur acerbitate poenarum, semper dicit, Si bona accepimus de manu Domini, quae mala sunt, cur non sustineamus, &c. quae profequitur. Deinde ita concludit: Pulchrè autem Apostolus explanauit, quia & omnibus bonis bonus est Deus, qui vult omnes homines saluos fieri, & maximè fidelibus diuinæ pietatis prerogatiua seruatur, quibus & voluntas Dei opitulatur, & gratia. Sed & Psalmista dicendo, Quam bonus Deus Israel rectis corde? ad eorum sententiam retulit, qui aliter de Deo sentire non norunt, nisi quia

quia bonus ad omnia, & in omnibus est. Haet. D. Ambr. Talis igitur erat Sponsa, quippe quae aliter de Deo sentire non noverat, nisi quia bonus ad omnia, & in omnibus est, praesertim verò maximè his, qui recto sunt corde: qualis planè ipsa erat, simulque adolescentula, seu virgines, quae eam comitabantur. Vnde & de illis superius priuatim affirmavit dicens, Adolescentulae dilexerunt te. Sed hinc in praesenti isto loco vniuersaliter, seu indefinitè pronunciat, Recti diligunt te. q. d. Quicumque sunt sancti, recti, &c. cuiuscumque tandem sint ordinis, ætatis, conditionis, & sexus, diligunt te.

Opere pretium autem fuerit ad pleniorē intelligentiam huius vocis, Recti corde, legere quae scribit D. Anselm. lib. de concord. grat. & liberi arb. pag. 138. & 143. vbi tractans etiam locum illum Ecclesiastes, Creauit Deus hominem rectū, congruenter ita exponit, id est, Cū rectitudine voluntatis, quae est ipsa iustitia. Cui etiam suffragatur D. August. epist. 45. vbi ait: Iusta verò vita cū volumus, adest, quia eam ipsam plenè velle, iustitia est. Nec plus aliquid perficienda iustitia est, quam perfectam voluntatem

requirere. Vide si labor est, vbi velle: satis est? vnde diuinitus dictum est, Pax in terra hominibus bonae voluntatis. Vbi pax, ibi requies: vbi requies, ibi finis appetendi, & nulla causa laborandi. Sed haec voluntas vt plena sit, oportet vt sana sit: erit autem sana, si medicum non refugiat, cuius solius gratia sanari potest à morbo desideriorum noxiorum, &c. quae sequuntur.

Iam vt ad rem redeamus, mirandum non est, si omnes recti, & boni, vt Spōsa affirmat, Sponsum omnino bonum, atq; etiam ipsum summum bonum diligant. Quærendum enim bonum animæ, non cui superuolitet indicando, sed cui hareat amando. Et quid hoc nisi Deus? Non bonus animus aut bonus angelus, aut bonum cælum, sed bonum bonum, id est, ipsum bonum, i. summum bonum, cui si amore adhæseris, continuo beatificaueris, quem admodum eleganter ait, & docet D. Aug. lib. 8. de Trinit. cap. 3. Deinde ita subdit: Pudeat autem cū alia non amentur, nisi quia bona sunt eis inhærendo; non amare bonum ipsum, vnde bona sunt, &c. quae sequuntur in eandem sententiam. Obseruandum est autem, & sanè

intelligendum, quod ait Ioan. A
nes Apoft. 1. Ioan. cap. 4. vbi
differens de charitate, seu dile-
ctione Dei, de more suo solito,
ita affirmat: Qui non diligit,
non nouit Deum, &c. Quasi ve-
rò qui Deum diligit, etiam
Deum cognoscat, & notitiam
Dei habeat omnis, qui Deum
amat, prout Deum amat. Vnde B
& D. Aug. Man. cap. 20. ita cõ-
gruenter inquit: Qui vult ha-
bere notitiam Dei, amet. Fru-
stra accedit ad legendum, ad
meditandum, ad prædicandum,
qui non amat. Amor Dei amo-
rem animæ parit, & eam inten-
dere sibi facit. Amat Deus, vt
ametur. Cùm amat, nihil aliud C
vult quàm amari, sciens amore
esse beatos, qui se amaerint,
&c. quæ prosequitur in eandem
sententiam eleganter, & copio-
sè. Consentanea sunt quæ scri-
bit idem D. August. Enchirid.
cap. 117. vbi sic ait: Cùm enim D
quæritur, quis sit homo bo-
nus, non quæritur quid cre-
dat, aut speret, sed quid amet.
Nam qui rectè amat proculdu-
bio rectè credit, & sperat: Qui
verò non amat, inaniter credit,
etiam si sunt vera, quæ credit:
inaniter sperat, etiam si ad ve-
ram fælicitatem doceantur per-
rinere quæ sperat, nisi & hoc
credat, ac speret, quod sibi pe-

tenti donari possit, vt amet.
Quãuis enim sperare sine amo-
re non possit; fieri tamen po-
test, vt id non amet, sine quo ad
id quod sperat, non potest per-
uenire: tanquam si speret vitam
æternam, quãuis non habeat,
& non amet iustitiam, sine qua
nemo ad illam peruenit, ipsa est
autem fides Christi, quam com-
mendat Apoft. quæ per dile-
ctionem operatur, &c. quæ
sequuntur. Similia sunt, quæ hac
de re habet idem Aug. tract. 96.
in Euangel. Ioann. Et item 83.
quæstionum 9. 35. Suffragatur
huic intelligentiæ, seu interpre-
tationi Richar. de S. Vict. lib. de
gradib. charit. cap. 3. vbi non mi-
nus eleganter, quam piè, tan-
quam expertus ita loquitur:
Amor oculus est, & amare vide-
re est, &c. quia vbi intellectus
caligat, amor penetrat, &c. quæ
prosequitur in eandem senten-
tiam. Nequæ ab hac sententia
abhorret S. Thom. Opusc. 72.
vbi in hunc modum ait: Amor
enim dilatat intellectum: cùm
autem aliquis amat, intelligit:
quanto plus amat, tanto plus, &
facilius intelliget, &c.

Sed fortè obiicit aliquis ad-
uersus hac, imò etiam aduer-
sus præsentia Sponsæ verba,
dicentis, Recti diligunt te. Quo-
modo enim diligere possunt

Sponsum, quem non vident, A
cùm sit spiritus, & mens prorsus
inuisibilis, & inaspectabilis:
Huic tacitæ obiectioni facile
respondere possumus ex autho-
ritate, & verbis D. Aug. com-
ment. in Psal. 33. vbi loquens
de spiritualibus bonis, inter cæ-
tera ita quærit: Sed vbi sunt spi-
ritualia bona? Tunc respondet, B
Non videntur (inquit) oculis,
sed corde. Non video ipsa bo-
na. Videt illa qui amat. Iusti-
tiam non video, non enim au-
rum est, non argentum est. Si
aurum esset, videres, quia fides
est, non vides. Et si non vides
fidem, quare amas seruum fide-
lem? interrogate ipsum qualem C
seruum diligis. Fortè enim ha-
ber seruum formosum, statu-
rosus, benè compositus, sed
furem, nequam, fraudulentum.
Habes autem alium fortè par-
uum statura, facie deformem,
colore tetrum, sed fidelem, par-
cum, sobrium. Attende, rogo
te, quem istorum duorum dili- D
gis? Si enim oculos carnis inter-
rogas, vincit apud te pulcher in-
iustus: Si oculos cordis, vincit
de formis fidelis. Vides ergo
quoduis, vt exhibeat tibi alter,
id est, fidem: exhibe illi & tu.
Quare enim gaudes ad eum,

qui fidem tibi exhibet, & laudas
eum de his bonis, quæ non vi-
dentur, nisi oculis cordis? Ha-
cten. D. Augustinus ibi. Similia
sunt, quæ hac de re habet idem
D. Augustinus lib. 50. homilia-
rum hom. 38. Atque vt Philo-
sophica Theologicis tantisper
miscemus, opere pretium fue-
rit videre etiam, quæ super hac
re scribit, & philosophatur Se-
neca Philosophus lib. 9. Epist.
67. pag. 143. Et item Cicero de
finibus lib. 2. vbi ad hunc mo-
dum scribit ex autoritate Pla-
tonis: Oculorum (inquit Pla-
to) est in nobis sensus acerrimus,
quibus sapientiam non
cernimus. Quam illa enim ar-
dentes amores excitaret sui, si
videretur! Quæ ipsa verba Pla-
tonis affert Cicero alibi etiam,
id est, Officiorum lib. 2. Locus
autem Platonis iste, præsertim
est in Phædro. Mirandum ita-
que non est, si Sponsa hoc in
loco in laudem Sponsi sui, si-
mùlque eorum, qui recto sunt
corde, afferret: Recti diligunt
te. Generatio enim rectorum
planè benedicta, & beata est,
iuxta illud Psalm. 111.
Generatio rectorum benedi-
cetur.

Nigra sum, sed formosa.

Mirabilis est Sponsæ modestia, simul & fiducia formæ in his verbis Sponsæ. Non enim erubescit vitia sua ingenuè confiteri, simul & excusare, atq; etiam seipsam quodammodo laudare in gratiam Sponsi, iuxta morem, l. potius contra morem aliarum mulierum vulgariū, quæ quantum possunt vitia sua, præsertim formæ, occultant, & cælant. Mulieres enim eæ, quæ muliebres morbos occultare nequeunt, si formosæ sunt, atque opibus circumfluunt, splendidis, ac summi pretij lapillis auro intextis gloriantur: vt adnotauit D. Isidorus Pelusiora lib. 2. Epist. 53. Quæ autem honestatis, aut pudicitia existimationem habere cupiunt, naturæ quidem pulchritudine contentæ sunt: eam autem excolere in melius non refudeant. At verò quæ verè pudicæ sunt, in animæ cura studium omne suum solum habentes, corpus quidem vt animæ organū, mediocriter curare minimè defugiunt: at ipsum exornare ac delinire nequaquam dignantur, &c. quæ prosequitur Isidor. Pelus. de more, & ingenio mulierum circa formam.

A Quomocumque tamen hæc res sese habeat, bellum est sua vitia nosse, vt inquit Cicero ad Atticum lib. 2. cap. 17. Sunt enim qui aliorum vitia acutè inspiciunt, sua verò contemnunt ac despiciunt.

Sensus autem germanus horum Sponsæ verborum, Nigra sum, sed formosa, &c. talis esse videtur, quasi dicat: Nigra sum, vel potius denigrata, & decolorata, non ex natiuitate, sed potius ex accidenti seu occasione: naturâ autem sum formosa, & candida. vt patet ex verbis statim postea adiunctis, cum dicit: Nolite considerare quod fusca sum, quia decolorauit me Sol. **C** Itaque nō naturâ, sed ex accidenti nigra, vel potius denigrata, & fusca erat Sponsa: quamuis aliàs suaptè natura candida, formosa, & bella. Neque enim hæc duo, Sponsam comam habere purpuream, & ipsam naturaliter nigram esse, simul quadrare possunt: Siquidem inferiūs Cantic. **D** cap. 7. Sponsus, inter alias eximias Sponsæ laudes, per comparisonem comam capitis ipsius purpuræ colorem referre affirmat, dicens: Caput tuum vt Carmelus: & comæ capitis tui sicut purpuræ regis iuncta canalibus. Nihilominus tamē sciendū est nigri coloris pluri esse gra-

du, ac differētias: atq; sub nigri voce recenseri commodè posse fuscū, vt author est Arist. in lib. de sensu. Siquidem fuscum ex albi nigrique contemperatione fieri asserit etiā Plato in Timeo. Aphrodisæus quoque Alexander ait ex albi, & nigri mixtione, abolitis extremis coloribus, aliū gigni colorem fuscum nomine. Etenim candorem paulatim ad nigrorem degenerare videmus, nullo alio trāsaeto medio, quàm varijs fusci coloris gradibus. Fusci coloris exemplum facile nobis ostentant quædam gentes, vt Mauritati, Ægyptij, Arabes, meridionales Indi, necnon Æthiopes Ægyptijs finitimi, qualis v.g. erat Andromede Cephæi ipsorum Regis filia, de qua Ouidius:

Placuit Cephæia Perseo,

Andromede patria fusca colore suæ.

Itaque existit cum aliquo lepore, gratia, & venustate color fuscus: quin etiam nigredo. Etenim foeminæ pulchritudinem saltem nigri oculi non dedecent, imò sæpè decorant, per venusta quædam, & aspectui iucundissima suauitate, quamuis nigredo muliebrem pulchritudinem, quæ in facie præsertim existit, minus deceat. Hactenus de historia.

Allegoria autem horum Sponsæ verborum, si quis plura desi-

derat, quam quæ à nobis dicta sunt in priore scriptione, legendus erit D. Aug. in lib. de verbis Domini serm. 6. vbi per occasionem exponens illa verba Psalm. 44. vbi Rex Proph. alloquitur, & sic adhortatur Sponsam, dicens: Obluiscere populū tuum, & domum patris tui, ita congruenter quærit: Quo bono (inquit Aug.) quo fructu, qua mercede? Ad quā interrogationem statim ita respōdit ipse Prophetā: Quoniam concupiuit Rex decorem tuum. Deinde subdit D. Aug. de suo: Concupiuit (inquit) quod fecit: quoniam vt pulchram faceret, fœdam amauit. Pro infideli, & fœda sanguinem fudit, fidelem, ac pulchram reddidit. Dona sua in te amauit. Quid enim Sponso tuo contulisti? Quid in dotem à priori patre, & priori populo acceperisti? Nonne luxurias, & pannos peccatorum? Abiecit pannos tuos, discidit cilicium tuum, miserus est vt ornaret, ornauit vt amaret. Hacten. Aug. Consentaneus admodum locus est his verbis apud Ezech. Proph. cap. 16. vbi Oraculum ita exprobat Ciuitati Hierusalem, seu populo Iudæorum, prima, & maxima beneficia gratis, & sinè vllis meritis præcedentibus collata, imò verò multis malis meritis, & sceleribus

præcedentibus, sic enim ait: Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis notas fac Hierusalē abominationes suas, & dices, Hæc dicit Dominus Deus Hierusalem, Radix tua, & generatio tua de terra Canaan, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Et quando natus es in die ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, & sale salita, neque inuoluta pannis: non percit super te oculus, ut faceret tibi unum de his misertus tui: sed proiecta es super faciem terræ in abiectioe animæ tuæ, in die qua nata es. Transiens autem per te, vidi te conculcatam in sanguine tuo, & dixi tibi cum esses in sanguine tuo: Viue. Dixi, inquam, tibi in sanguine tuo: Viue. Multiplicatam quasi germen agrum dedi te, & multiplicata es, & grandis effecta, & ingressa es, & peruenisti ad mundum muliebrem. Vbera tua intumuerunt, & pilus tuus genuit, & eras nuda, & confusione plena. Et transiui per te, & vidi te: & ecce tempus tuum, tempus amantium. Et expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam. Et iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus. Et facta es mihi: & laui te aqua, & mundavi

fanguinem tuum ex te, & cinxi te oleo, & vestiui te discoloribus, & calceavi te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus, & ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi in aurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro, & argento, & vestita es, bysso, & polymito, & multis coloribus, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam Proph. eleganter, & copiosè satis. Ex quo vno loco facile intelligere, atque etiam explicare commodè possumus allegoriam, seu mysticum sensum horum Sponsæ verborum, cum in typo Ecclesiæ, vel etiam animæ humanæ loquens, ait: Nigra sum, sed formosa. Quod enim ait, (Nigra sum,) ad priorem eius statum, & vitam pertinet ante actam sceleratam. Quod autem statim subdit, (Sed formosa,) hoc opus est gratiæ, & diuinæ misericordiæ. quemadmodum etiam rectè ostendit Origenes homil. 6. in Ezech. ut omittam alios complures Authores. Itaque patet exemplo Pauli Apost. I. enim 1. Tim. cap. 1. de seipso sic ait: Gratias ago ei, qui me confortauit in Christo Iesu Domino nostro, &c. Qui prius blasphemus fui, & persecutor, &

contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum, &c. Nihilominus tamen videndus etiam pro allegoria erit Hesychius Presbyter in sermone de temperantia, Cent. 2. cap. 77. vbi commodè disputat de præstantia, & pulchritudine animæ purgatæ: idque ex verbis Magni Antonij monachi illius sanctissimi. Quare autem hunc locum in libro Marci Eremitæ pag. 528. ex impressione Parisiensi.

Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

PER pelles Salomonis videtur Ahutor intelligere, iuxta phrasim diuinæ Scripturæ, tegumenta, seu tentoria, & tabernacula militaria, id est, castrensis, & pellibus animalium confecta. Conficiebantur enim interdum istiusmodi tegumenta, seu tecta, præsertim verò ad usum belli, vel etiam peregrinantium commoditatem, voluptatem, & delicias, apud Orientales, & alios. Non est autem dubitandum quin istiusmodi tentoria, seu papilionēs, quibus Salomon Rex utebatur, artificio excellerent, quemadmodum reliqua omnia opera Salomonis fere arte, & pulchritudine excellēbant. Quod si per pelles etiam hoc loco in-

telligamus (ut quidam volunt) vela, id est, tapetia, seu aulæa, & cortinas, quas Salomon ad usum sacrum, & cultum Templi excogitauit, aureas, & picturatas pro regia sua magnificentia, & sapientia, ad ornamentum (inquam) Templi illius magnificentissimi à se edificati: vel etiam ad velandum sanctum illud Tabernaculum foederis, seu testimonij, non erit absurdum. Pro qua re facit quod scribit Iosephus Iudæus lib. 7. de bello, seu excidio Iudaico cap. 24. vbi de Vespasiano Imperatore in hunc modum refert: Post triumphos (inquit) & firmam Imperij constitutionem, statuit Templum facere Pacis: fecitque citò admodum, & pulchrius, meliusque omni opinione perfecit. Magnis enim opibus ad hanc rem usus, & præcorum etiam præclara omnia, adhibitis picturis, & statuis pulcherrimis adornauit. Omnia enim in hoc templum collata, & disposita sunt, ob quæ homines videndi cupiditate antea per totum Orbem vagabantur. Posuit & hoc, & Iudæorum Templo vasa aurea, in ipsis sibi placens: etsi legem ipsorum, & vela tabernaculi aurea in regia sua posuerit ibi custodienda. Hacten. Ioseph. Ex quibus verbis Iosephi postremis, dicentis Vespas-

fianum Imperatorem vela Tabernaculi aurea in regia sua posuisse custodienda, quodammodo apparet hoc in loco Cantici, cum Sponsa per comparationem ait, (Sicut pelles Salomonis) alludere voluisse ad aliquas huiusmodi pelles aureas, & picturatas, summaque arte factas, & excogitatas à Salomone Rege, ad ornamentum, & usum Templi, quippe quæ vela Tabernaculi aurea ex pellibus maxime constabant. Nihilominus tamen verosimile est, non solum pretiosa, sed etiam longe pulcherrima fuisse, sicuti & cætera opera Salomonis. Veruntamen coniectura est, & opinio potius quam certum, id quod dicimus. Nihil enim in sacris litteris, vel sacra historia aperte, & diserte legimus de huiusmodi velamentis tabernaculi aureis, aut de eorum pretio, eximiaque pulchritudine, quo Sponsa formam, seu pulchritudinem suam istiusmodi velis per amplificationem comparari debuerit: nisi forte moueat locus ille, qui est Exod. cap. 26. vbi legitur Tabernaculum testimonij, iussu Dei opertum esse de pellibus arietum rubricatis, & de hyacinthinis. Sed istiusmodi pelles non possunt proprie dici Salomonis Regis. Ideoque simpliciter, & melius forte

erit, ut per pelles Salomonis intelligamus etiam tentoria, seu tabernacula militaria, siue castrensia: sicut in præcedenti membro, cum dicitur, Sicut tabernacula Cedar, intelligimus tentoria Cedarenorum, id est, summa arte fiebant à Cedarenis, præsertim vero bellica, siue castrensia. Erant enim hæc laudatissima, & pulcherrima. Tunc enim comparatio Sponsæ venustior erit, & congruentior analogia: siquidem suam pulchritudinem non diuersis rebus, sed potius duabus rebus eiusdem generis æquiparat, id est, tabernaculis elaboratis à Cedarenis, & item elaboratis à Cedaremis. Non abs re tamen erit, ad maiorem historiam, seu historici sensus cognitionem, legere, quæ scribit inter recentiores Lipsius comment. ad Cornel. Tacitum lib. 2. num. 62. circa illa verba, Extra portam, &c. Et item lib. 13. num. 13. vbi differit de velis cubicularijs domus, seu palatij Augusti. Videndus etiam Cicero in Academicis questionibus, vbi istiusmodi locutione utitur (sub pellibus) pro eo quod est in castris statuis, ut interpretatur etiam Budæus. Videndus quoque erit, si quis plura desiderat, Lorinus comment. in Act. Apost. cap. 18. vers. 3. super illis verbis, vbi

vbi Lucas loquens de Paulo Apost. Sic ait: Post hæc egressus ab Athenis venit Corinthum, & inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam, & Priscillam uxorem eius, accessit ad eos, & quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur: Erant autem sceno factoriæ artis, id est, ut plerique omnes interpretes exponunt, artifices conficiendorum tabernaculorum. Querit enim ibi Lorinus, utrum verè, & proprie Paulus Apost. artifex fuerit mechanicus, id est, artifex faciendorum istiusmodi tabernaculorum. Et multa per occasionem affert, quæ pertinent ad rem præsentem, id est, ad hunc locum Cant. in quo mentio fit tabernaculorum. Quomodo cumque tamen res habeat de Paulo Apost. utrum fuerit necne verè, ac proprie artifex conficiendorum tabernaculorum (sunt enim huius artificij varia genera, & differentia;) illud certum est, vocem Tabernaculi (ut vulgus loquitur) plerumque esse bellicum, vel castrensem, ut diximus. Vnde etiam nata, & oblata est allegoria nostris hominibus, id est, Theologis, & interpretibus, in quibus est Tertull. Apolog. cap. 46. vbi loquens de Christianis Confessoribus, & Martyribus sui temporis, in

eorum persona ita scribit, atque respondet Tyrannis, id est, Principibus, & Magistratibus, qui eos persequebantur, sic quasi publici hostes Reipub. forent: Volumus (inquit) pati: verum eo more, quo & bellum miles. Nemo quippe libens patitur, cum & trepidare, & periclitari sit necesse: tamen & miles præliatur omnibus viribus, vincens in prælio gaudet, qui de prælio quærebatur, quia & gloriam conceditur, & prædam. Prælium est nobis, quo prouocamur ad tribunalia, ut illuc sub discrimine capitis, pro veritate certemus. Victoria est autem pro quo certaueris obtinere. Ea victoria habet & gloriam placendi Deo, & prædam viuendi in æternum, &c. quæ prosequitur ibi Tertull. in eandem sententiam de militia christiana. Consentanea sunt quæ habet super hac re D. Aug. lib. 10. Confess. cap. 28. & com. in Psal. 14. super illis verbis, Quis habitabit in tabernaculo tuo? Item comment. in Psal. 131. super illis verbis, Tabernaculum Deo Iacob, vbi ita ait: Quamquam aliquando dicitur Tabernaculum Dei, & domus Dei, distinctius tamen accipitur Tabernaculum Ecclesia secundum hoc tempus, domus autem Ecclesia caelestis Hierusalem, quod ibimus. Taber-

naulum enim tãquam militan-
rium, & pugnantium est, &c.
quæ sequuntur apud August. Et
item quæ scribit Bernard. in ser-
monib. prioribus ad milites Tẽ-
pli, atque etiam in sermone de
fallacia huius vitæ, & aliàs.

*Nolite me considerare quod fusca
sem, quia decolorauit me Sol.*

Pergit Sponsa colorem ex-
cularẽ, atque probare filijs
Hierusalem, id est, fœminis Hie-
rosolimitanis, se natura formo-
sam, pulchram, candidamque
esse: quamuis ex aliquo acciden-
te, seu occasione, paulo magis
reddita fuerit nigra, seu fusca,
vel potius colorata. Itaque his
verbis non solum vult pulchri-
tudinem suam natiuam defen-
dere, sed etiam vulgo fœminarũ
Hierosolimitarũ satisfacere, at-
que etiam os claudere (vt ita di-
cam) vt nẽ pergãt de forma, seu
pulchritudine ipsiõ temerẽ æsti-
mare, ac perperam iudicare, vel
etiam ei detrudere, & obloqui,
hoc vitium scilicet obijciendo,
atque inuidendo, vel inuidiam,
odiuõq; cõsiliendo apud Spõ-
sum, cui illa soli, & quidem maxi-
mẽ, placere cupiebat. Sensus igi-
tur planus horum verborum ta-
lis est, quasi dicat Sponsa: Noli-
te quãso, õ fœminæ Hierosoli-

Amitanæ, pulchritudinem meam
ex colore nigro, seu fusco æsti-
mare, vel iudicare, & hoc vitium,
seu notam, & maculam mihi in-
urere: Super sedete, sed potius
huius rei causam respicite, ex-
pendite, & vobiscum reputa-
te: Causa enim huius rei, seu vi-
tij, temporaria, & necessaria fuit,
Bnẽpẽ quia decolorauit me Sol.
Etenim qui rusticantur, & sub
ardente, ac torrido Sole, opus,
vel officium faciunt, nec se ab-
stinent; necesse habent fusco
colore esse, id est, colorari, vel
decolorari: quemadmodum &
qui in vrbe, otioque degunt, &
raro in Sole ambulant, plerum-
que albi esse solent. Itaq; appa-
ret ex his verbis Sponsæ, cum ait
ad filias Hierusalem, Nolite cõ-
siderare, &c. ipsas filias Hierusa-
lem, præsertim vulgares, atque
plebeias, quodammodo per in-
uidiam obijcere hoc vitium fuf-
ci coloris fuisse solitas, atq; etiã
detraxisse, oblocutãque fuisse
contra Spõsæ pulchritudinem,
de more vulgariũ fœminarũ.
Hoc enim proprium est fœmi-
narum vulgariũ, præsertim
amantiũ, inter se inuicem æmu-
lari, obloqui, ac detrudere
alienæ pulchritudini, etiam Re-
ginarum, id est, nobilissimarum,
atq; clarissimarum fœminarum,
qualis planẽ erat Sponsa, quæ

non solum Regina, verum etiam
Sponso suo Regi lógẽ erat cha-
rissima. Ideoque quantum in se
est, magna cum modestia, absq;
vlla contumelia, in præsentiarũ
satisfacere æmulis suis conatur,
quamuis aliàs inferioris essent
conditionis.

Quicumq; enim (vt allegoriã
ingrediamur) principem locum
tenet in Repub. magistratũ-
que gerit, & populorum pastor
est, id est, in sublimiori loco ver-
satur, patientissimis auribus esse
debet, etiam si male absque sua
culpa audiat: neque populi vel
laudibus, vel conuitijs, & maledi-
ctis tantillum à recto dimoue-
ri. Vnde & quidam Romanorũ
Imperatorum dixisse fertur, In
Ciuitate libera, linguas etiam li-
beras esse oportere. Neq; verò
mirum, aut magnũ, si Princeps
populo permittat, quæ velit di-
cere, cum ipsis Principibus libe-
rum sit, quæ velint facere. Huc
pertinet Alexãdri Magn. dictũ,
cui cum quidam renunciasset,
esse qui de illo malè loqueretur:
Regiũ est (inquit) male audire,
cum benefeceris. Vulgus ergo
loquax, etiam Regum, & Regi-
narum maculis, seu vitijs non
parcit, quamuis leuissimis: et si
palam metuit, clam libertate
vtitur, vt quidam rectè ait, atq;
etiam isto Sponsæ exemplo ap-

Aparet. Pro qua re, si quis volet
hanc sententiam moralem dila-
tare, atque exornare, legendus
erit Basilius Magn. in lib. Con-
stitut. monasticarum cap. 7. pag.
493. vbi docet, quod spiritua-
lium virorum peccatis, etiam le-
uissimis, facile offenditur vul-
gus. Consentanea sunt, quæ ha-
bet idem Basil. Magn. in regulis
breuior. Interrog. 231. pag. 466.
vbi congruenter docet, quod
gradus sublimior, Epitãsim, id
est, augmentum, seu incremen-
tum addit peccato, & scandalo.
Quod ipsum etiam confirmat
Interrog. 64. Nihilominus ta-
men negandum non est præsta-
re, fatiũsque esse inuidiosum
esse, quam miserabilem, sicuti
est in veteri prouerbio.

Quia decolorauit me Sol.

Iam nunc disertè exponit
Sponsa potissimã, propriã-
que causam istius vitij, seu nigri,
& fusci coloris, quo affecta erat,
quamuis aliàs natura formosa,
speciosa, & candida esset, cum
ait: Decolorauit me Sol. Ete-
nim hanc culpam in Solem trãf-
fert. Proprium est enim Solis
colorare, & corpora humana ni-
griora, l. fusca reddere: quem-
admodum animaduertit etiam
Porphyrius lib. de abstinentia

carnium, vbi ostendit rationem, ob quam Ægyptij tanquã Symbolum proprium Solis, nigrum colorem, & animalia quoque nigra esse existimabant, atque etiam venerabantur. Sic enim inter cætera ibi ait: Solis enim (inquit) symbolum est coloris nigredo: nam & Solis ardor nigriora reddit humana corpora. Vnde rectè, & eleganter interpret noster Latinus hoc in loco, verbum Hebræum transtulit per verbum decolorandi, id est, comburendi. Vt patet ex auctoritate Ciceronis in lib. de natura, & effectu solis, sic ait: Et is eius (nempè Solis) tactus est, vt non tepefaciat solū, sed etiam comburat. Et alibi idem Cicero lib. 2. de Oratore (inquam) in hunc modum loquitur, & talivtitur comparatione: vt cum in Sole ambulem, etiam si ob aliam causam ambulem, fieri tamen natura vt colorer, sic cum istos libros studiosius legerim, sentio orationem meam eorum cantu quasi colorari. Hacten. Cicero. Quinetiam Seneca epist. 19. eodem modo, & sensu loquitur, cum ait: Qui in Solem venit, licet non in hoc venerit, colo-

rabitur. Videri autem potest ipsa Sponsa his verbis ænigmaticè, & quodammodo alludere ad cultum Solis, quem aliquando etiam de more, & superstitione Ægyptiorū, Hebraei adorabant, vt apparet ex 4. Reg. cap. 23. & Ezech. cap. 8. vbi scriptum est: Facies eorū ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis, &c. quæ sequuntur. Cui intelligentiæ, seu coniecturæ videtur etiã suffragari Paraphrastes Chaldæus, quem admodum ostendit, & animaduertit quidam ex recentioribus Authoribus Andræas symboliæ Theolog. Decad. 1. symb. 9. & 10. Tunc autem huius ænigmatis, seu verborum Sponsæ, cum ait, Quia decolorauit me Sol, talis erit sensus, quasi dicat Spōsa in persona Synagogæ: Hoc autem vitium formæ, & alia grauiora supplicia, & mala, ego commerui, atque incurri, propter peccatū idololatriæ, qua scilicet ad imitationem Ægyptiorum aliquādiu Solem diuinis honoribus colui, & adoravi. Et quidem iuste incurri tanquam iustam pœnam peccati. Quæ interpretatio non mihi displicet, sed potius placet, atque probatur.

Filij matris meæ pugnaverunt contra me.

Sensus historicus & germanus horū Sponsæ verborū, planus est. Conqueritur enim grauius, & dolenter de fratribus suis vterinis, quod eam gratis odio habuerint, id est odio, & inuidia persecuti fuerint, nec merentem, & innocētem, contra omne ius, & fas; iuxta illud Isai. cap. 66. Dixerunt fratres vestri odientes vos, &c. Ex quibus verbis etiam satis constat fratrum quoque charitatem, amicitiam, atque concordiam, raram esse, atque etiam sæpè desiderari, & violari summa indignitate, & impietate. Quod quidem manifestum est ex vniuersa historia tam sacra, quam etiam prophana. Exemplum luculentum huius rei extat in sacra historia, Genes. cap. 4. vbi Moses narrat, quemadmodum odio, & inuidia: impius ille Cainus iusti Abelis patris sui sanguine terram adhuc recentem polluerit, atque sædauerit. De qua cæde, seu homicidio legitur Sapiens. cap. 10. Per iram homicidij fraternitas disperit. Et Genes. cap. 25. & Osee cap. 12. legitur, quemadmodum Iacob adhuc in utero existens,

supplantauit fratrem suum vterinū. Vnde Petrus Chrysolog. serm. 70. sic ait: Prius didicit zelare, quam nasci, ante triūphare, quam viuere, &c. Poëta quoque Ætnicus, id est, Lucan. lib. 1. grauius conqueritur de violata charitate fraterna, cum ait:

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Vt omittam alia exempla sacra, & prophana, quorum plena est historia. Itaque Abdiæ Proph. ca. 1. ita congruenter Idumæorum genti, id est, posteris Esau, interminatur Oraculum: Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confusio, & peribis in æternū. Et item Genes. cap. 4. Oraculum ad Cain, Vagus, & profugus eris super terram: quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Vsq̃ue ad cœnarium, & impium est fraternam charitatem violare: & tamen, quod valde admodum abominandum, & dolendum est, plerumq; violatur. Cuius rei physicam rationem afferre conatur Aristoteles lib. 4. Meteor. cap. 3. vbi ait: Sicut quæ natura calidissima sunt, eadem sunt frigidissima; ita sanè ex amicissimo interdum redditur quis inimicissimus: & ex fratribus, hostis

acerrimus. Nihilominus tamen A magna suapte natura vis est charitatis fraternæ: etsi à paterna charitatis discedamus, fortè omnium aliarum maxima est. Vnde etiam rectè apud Arabes antiquos lege statuebatur, vt fratres Gentilium hereditatum successores antecederent filios; vt author est Strabo lib. 16. suæ B Geographiæ. Veruntamen parua est, vel certè parua videri potest istiusmodi fratrum charitas naturalis, & vulgaris, siquidem comparetur cum ea charitate fraterna, quæ præcipua, propria, & domestica est christianissimi, seu christianorum, cuius quidem vel solum nomen sanctum C est, & venerabile. Nihil enim in sacris litteris magis inculcatur, nihil magis commendatur, & imperatur discipulis, & cultoribus Christi veris, quàm virtus hæc fraternæ, seu mutuæ inter se charitatis, concordia, & pacis, atque vnionis: quasi verò omnes inter se re vera essent D fratres, ne dicam plusquam fratres: quando quidem ipse Christus Dominus pro sua diuina autoritate in Euangelio Matt. cap. 23. dicit, Omnes autem vos fratres estis. Hinc Paulus Apost. Hebr. cap. 13. ita præcipit, Charitas fraternitatis maneat in vobis. Et Petrus Apost. 1. Petri

cap. 2. ait: Fraternitatem diligite. Et rursus eiusdem Epist. cap. 3. ait: In fide autem omnes vnanimis compatientes fraternitatis amatores. Vt omittā multa super hac re sacrarum litterarum testimonia: quibus etiam consentiunt SS. Patrum dicta. In quibus præsertim est D. Ambros. serm. 9. cui titulum fecit de vnitate charitatis: vbi exponens locum illum Actorum cap. 4. Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid, suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Sic ait: Nefas etenim putabant religiosi viri sibi participem non alciscere in substantia, qui particeps esset in gratia, atque ideo in fraternitate omnibus communiter utebantur, nisi quòd maior est fraternitas Christi, quàm sanguinis. Sanguinis enim fraternitas similitudinem tantūmodo corporis refert: Christi autem fraternitas vnanimitatem cordis, animæque demonstrat, sicut scriptum est, Erat autem credentium cor vnum, atque anima vna. Verè ergo ille frater est, qui non tam corpore, quam vnanimitate germanus est. Verus, inquam, frater est, cuius idem spiritus, & voluntas in

fratre est. Melior igitur est (si A cut dixi) Christi fraternitas, quàm sanguinis. Sanguinis fraternitas interdum sibi inimica est: Christi fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se communia cum æmulatione diuidit: hæc etiam propria cum gratulatione communicat. Illa in consortio despicit B sæpè germanum: hæc assumit frequenter alienum, &c. quæ sequuntur apud Ambr. Consentanea omnino sunt, quæ scribit D. August. de præstantia & laude fraternæ charitatis Christianorum, lib. de verbis Apost. serm. 27. Ita enim inquit: Tanta sub Apostolis fraternitatis C dilectio fuit, vt tunc in conuentu suo non inueniretur indigentia. Tanta autem modo Christianitatis diffimulatio est, vt in cœtu nostro vix inuenies locupletem: locupletem autem, non tam facultatibus dico vix inueniri, sed opibus. Ait enim Apostol. Diuites sint in bonis D operibus. Locupletē autem in Ecclesia intelligi voluit, qui diues in Christo est. Raro igitur hoc tempore inuenimus in Christiano populo locupletem. etsi plerique in domibus auro sint diuites, tamen in Ecclesia sunt mendici, &c. Ad pleniorē autem intelligentiam, seu

tractationem & explicationem huius sententiæ, videndus erit Tertul. variis in locis, vt in li. de corona militis c. 1. & li. 3. contra Marcionem: sed præsertim in Apologetico cōt. Gentes ca. 39. vbi congruenter atq; eleganter ostendit, quemadmodum fraternæ charitatis appellatio, atque significatio, maximè per excellentiam Christianis hominibus cōueniat, id est, quemadmodum Christiani verè, & propriè inter se inuicem dicantur, & sint fratres. Ita enim inquit: sed eiusmodi vel maximè dilectionis operatio notam nobis meruit penes quosdam. Vide, inquit, vt inuicem se diligant, & vt pro alterutro mori sint parati. Sed & quòd fratres nos vocamus, non aliàs (opinor) infaniunt, quàm quòd apud ipsos omnis sanguinis nomen de affectatione simulatum est. Fratres etiam vestri sumus iure naturæ matris vnus, & si parum homines vos, quia mali fratres, at quanto dignius fratres dicuntur, & habentur, qui vnum patrem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragedia exclamat, vel quia ex substantia familiari fratres sumus: quæ

penes vos ferè dirimit fraternitatem, &c. quæ prosequitur. Hæc rationem Tertul. quatenus ait, Nos omnes fratres vocari, quia patrè vñum Deum agnouimus, &c. cõfirmat etiam Basil. Magn. hom. 21. vbi ait: Quoniam non modo spiritualis pater est Deus, sed terrenus quoque Adam, & mater, tum Ecclesia, tum terra. Suffragatur Clemens Alex. lib. 5. Stromat. & Iustinus Mart. Dialogo cum Tryph. pag. 66. & D. Ignatius Mart. cap. 11. ad Ephesios, vt omittã alios. Quod si quis plura de hac fratris appellatione desiderat, legendus erit Lorinus comment. in Acta Apost. cap. 1. super illis verbis, In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat turba hominum simul ferè. 120.) Viri fratres &c. Ceterum Iustus Episc. comment. in Cant. hæc Sponsæ verba, Filij matris meae pugnauerunt contra me, allegoricè sic exponit, quasi dicat Sponsa in persona Ecclesiæ nouæ, conquerèdo de perfidis Iudæis: Filij scilicet Synagogæ, qui docentem, & arguentem Stephanum martyrem lapidauerunt, pugnauerunt contra me, &c. Nullæ enim certè sunt occultiores, & perniciosiores insidiæ, quàm quæ latent in simulatione officij, aut necessitudinis

A nomine, vt eleganter inquit Cicero lib. de amicitia, & refert D. August. lib. 19. de Ciuit. cap. 5. vbi non minus eleganter hactere scribit, dicens: Pacem verò incertum bonum, quoniam corda eorum cum quibus eam tenere volumus, ignoramus: & si nosse hodie possemus, quali cràs futura essent vtique nesciremus. Qui porro inter se amiciores solent esse, vel debēt, quã qui vna etiam continentur domo? Et tamen quis inde securus est, cum tanta sæpè mala ex eorum occultis insidiis extiterint, tanto amariora, quanto pax dulcior fuit, quæ vera putata est, cum astucissima fingetur. Propter quod hominum pectora sic attingit, vt cogat in gemitum, quod ait Tullius, Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam hæc, quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eunt, qui palam est aduersarius, faciliè cauendo, vitare possis: hoc verò occultum in testinum, ac domesticum malum, non solum existit, verum etiam opprimit, ante quam prospicere, atque explorare potueris. Propter quod etiam diuina vox illa, vt inimici hominis domestici eius, cum magno dolore cordis auditur. Quia & si quisque tam fortis sit,

vt

vt æquo animo perferat, vel tam vigilans, vt prouido consilio caueat, quæ aduersus eum molitur amicitia simulata; eorum tamen hominum perfidorum malo, cum eos esse pessimos experitur, si ipse bonus est, grauiter excrucietur necesse est, &c. quæ sequuntur apud D. August. in hanc sententiam. Videndus pro hac sententia erit Lorinus in Acta Apost. ca. 20. vers. 30. super illis verbis, Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, &c. vbi commodè ostendit perniciosiores esse hostes, falsos fratres, quales præsertim sunt hæretici, & schismatici, vel etiam apostatae, id est, veræ fidei, & religionis Christianæ desertores, vt Iulianus ille Imperator, & tales.

Cæterum videri potest Sponsa his verbis, cum ait, Filij matris meae, &c. etiam quodammodo ænigmaticè conqueri de malis Angelis, id est, Diabolo, & Angelis eius, qui postquã peccarunt, statim fieri cæperunt hominibus infestissimi, & nocētissimi, iuxta illud Sap. c. 2. Inuidia Diaboli mors introiuit in Orbem terrarum: atque etiam nunc quotidie præbere cessant hominibus sanctis arma peccati, & causas, id est, scandala, & offendicula. Quod enim Angeli boni, etiam

A fratres hominum dicantur, & sint, patet ex illo vno loco, qui est Apoc. c. 12. vbi in persona bonorum & sanctorum Angelorum latantium, & congratulantium, dictum est, Quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, &c. Vbi vir quidam eruditus, & catholicus ita commentatur: Neque verò mirum videri debet, si homines fratres vocantur Angeli, cum Dominum hoc facere conspiciunt. Surgens enim à mortuis dicit Mariæ: Vade, dic fratribus meis, Ioan. cap. 20. Neque enim Angeli dedignantur homines habere, atque vocare fratres, qui Deum hominem habeant fratrem. Fratres igitur sunt Angeli, & homines, non tam natura, quã dignitate, equalitate, gratia, & beatitudine. Sic ille. Adde, quod eiusdem l. Apoc. c. 19. Angelus conseruum se hominum appellat. Cum .n. Ioannes Apost. vellet summissius adorare Angelum, qui ei reuelabat sublimia illa mysteria, Angelus modestissimè eum prohibuit dicens: Vide ne feceris: conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium IESV. Deum adora. Hæc Angeli verba sunt ad Ioannem. Vnde, & D. August. lib. 1. doctrinæ Christi. cap. 30. facris litteris congruenter, & sapienter docet, Angelos esse

H

proximos, & tanquam proximos à nobis diligendos. Illo. n. fruente, inquit, etiam ipsi beati sunt, quo & nos frui desideramus. Eum autem esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiae, si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret. Ex quo est tam consequens, ut etiam ille à quo nobis hoc vicissim exhibendum est, proximus sit noster. Hinc manifestum est hoc præcepto quo iubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, à quibus nobis tanta misericordiae officia impenduntur, quanta multis diuinarum scripturarum locis animaduertere facile est, &c. Hæc D. Aug. Cui etiam in hac sententia suffragatur D. Hieronymus in epist. Pauli ad Galat. cap. 5. super illis verbis, Sed per charitatem seruite inuicem. Lege Plutarch. lib. de utilitate capienda ex inimicis. In quo opere emolumenta recenset, quæ consequuntur ex hostibus. Nam etiam fata non carent hac industria, ut sabulo, & congestis saxis melior emergat rosa. Vnde & Philippus Rex Macedonum dicere solebat, se hostibus Atheniensibus multum debere, quorum maledictis experrectus, melior euadebat.

Posuerunt me custodem in vineis, &c.

Sensus, & ordo istorum verborum Sponsæ talis est, quasi dicat plane, conquerendo, & amplificando fratrum suorum inhumanitatem, vel potius impietatem: Filij ergo isti matris meæ, id est, germani, genuini, & vterini fratres, nulla habita ratione fraternæ charitatis, id est, consanguinitatis, vel dignitatis, honestatis, & decori, posuerunt me custodem in vineis suis, vel etiam alienis. Ita quidem, ut vix possem custodire propriam vineam meam, id est, vix sufficerem, aut valerem, pro eo ac debebam, operam dare custodiendæ vineæ meæ, quæ scilicet propriæ, & peculiari quodam iure ad me pertinebat, & curandam præsertim à me esse oportebat, ac decebat. Ad hunc enim ferè sensum videtur dicere Sponsa hæc, Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiui. Pro eo quòd est, vix, aut difficile, & magna cum molestia, labore, & damno custodiui, & propemodum neglexi. Alioqui ipsa Sponsa inferius Cant. cap. 8. gloriatur, se magna diligentia vineam suam propriam curare, dum ait: Vineam meam coram me est. Itaque dum hæc ait Sponsa,

Vineam meam non custodiui, non videtur omnino (si diligenter attendamus) negare, se vineam suam propriam custodiisse, aut affirmare, & velle se custodire omnino desuisse: sed propemodum neglexisse, cum tam multis vineis custodiendis, non suis, sed alienis, sola operam dare egeretur à fratribus. Vnde non necesse habemus hæc Sponsæ verba simpliciter interpretari, sed potius per amplificationem: ut non simpliciter, inquam, Sponsa neget, se vineam propriam non custodisse, sed propemodum, & quadantenus se neglexisse, aut deseruisse affirmet, præ nimia scilicet animi distractione, & corporis labore.

Verum tamen possumus etiam hæc Sponsæ verba quandoquidem ambigua sunt, aliter interpretari: præsertim cum ait, Vineam meam non custodiui. Si dicamus hanc orationem non esse simpliciter negantem, vel affirmantem, sed potius interrogatoriam: quasi diceret Sponsa interrogando: Ego verò in tantis angustiis à fratribus meis constituta, nunquid desijcere officium meum? aut nunquid neglexi custodire vineam meam? vel potius, Nunquid propterea non custodiui vi-

neam meam propriam? ut sit, inquam, oratio interrogatiua, quasi dicat etiam: Sic custodiui vineam meam quantum in me fuit, licet minimè otiosa tunc essem, sed potius multis curis distracta, afflicta, & anxiosa. Quæ quidem interpretatio non est improbabilis, sed potius probabilis. Hebræi enim plerumque aduerbium (non) sine vlllo additamento, i. signo interrogationis, vsurpare solent, pro eo quòd Latine dicimus (nonne? vel, numquid?) Idque iuxta circumstantiam loci, atque verborum præcedentium, & sequentium iudicandum est. Ut manifestè patet ex vno loco, siue exemplo, apud Isai. Proph. cap. 9. vbi iuxta vulgatam nostram editionem Latinam ita scriptum est: Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiā. Si enim ibi legamus, vel intelligamus ea verba affirmatiuè, ut vulgus interpretum ferè accipit; tunc videbitur ipse Propheeta, vel contextus propheticus, parum sibi constare, imò verò contrarietas non parua esset in verbis istis propheticis. Non enim cohærent cum præcedentibus, & sequentibus. Si autem aduerbium (non) ibi interrogatiuè accipiatur, pro

eo quòd est, (nonne? aut nun-
quid?) tunc erit valde consen-
taneus, appertissimus, & ele-
gantissimus sensus, atque ve-
rissimus, quasi dicat Prophe-
ta: Nonne tu Domine Deus,
quemadmodum numero mul-
tiplicasti gentem, siue popu-
lum Iudæorum, simul etiam
pro tua bonitate, sicuti par-
erat, magnificasti lætitiã? id
est, suppeditasti res lætas, &
prosperas, seu magnam rerum
omnium ad vitam necessariarũ,
nempè frumenti, vini, & olei
copiam: quasi dicat, Maximè.
Iuxta illud Psalm. 4. vbi Rex
Proph. ait: A fructu frumenti,
vini, & olei, multiplicati sunt,
&c. Et Osee cap. 10. eodem fe-
rè sensu scriptum est: vitis fron-
dosa Israel, fructus adæquatus
est ei. Quinetiam Deut. cap.
32. scriptum est: Constituit
eum super excelsam terram, vt
comederet fructus agrorum.
Et multa talia legimus in sacra
script. in hanc sententiam, id
est, de copia rerum necessa-
riarum, & beneficentia eximia,
qua Deus vsus est erga popu-
lum Hebræorum, secundum
multitudinem, & numerum at-
que incrementum eorum. Ad
hunc ergo modum, & sensum,
liberum fortè erit hæc Sponsæ
verba per interrogationem in-

terpretari, ita vt aduerbium
(non) pro adverbio (nonne,
aut, numquid?) accipiatur: qua-
si sic per interrogationem di-
cat Sponsa, Quamuis in magnis
angustiis constituta fuerim à
fratribus meis germanis, quo
tempore me custodem vinea-
rum suarum, vel alienarum esse
voluerunt; nonne etiam eo
tempore, quantum in me fuit,
vineam meam propriam custo-
diui, curauì, & pro virili mea
parte colui? Subaudiendum est
autem, Etiam tunc, cum ma-
ximè anxia essem, & minimè
otiosa, vineam meam custodi-
ui: nec mihi laborando, & am-
bulando, vel potius vagando
hinc inde sub ardente sole pe-
perci, vt officio, & muneri meo
satisfacerem. Vsq̄ adeo la-
borandum, vigilandum, & ob-
nixè incumbendum est semper
vnicuique nostrum, vt officio,
& munere suo rectè fungatur.
Vnde Dauid, cum adhuc puer
esset, & officio, seu munere
pastoritio fungeretur, quo-
dammodo gloriando, id est, si-
bi placendo, & gratulando,
congruenter ita allocutus esse
legitur Saulem Regem, sicut
scriptum est in sacra historia 1.
Regum cap. 17. Pascebat ser-
uus tuus patris sui gregem, &
veniebat leo, vel vrsus, & tol-

lebat arietem de medio gre-
gis, & persequebar eos, &
percutiebam, eripiebámque de
ore eorum: & illi confurge-
bant aduersum me, & appræ-
hendebam mentum eorum, &
suffocabam, interficiebámque
eos. Nam & leonem, & vrsum
interfeci ego seruus tuus, &c.
Quo sensu etiam alibi, nempè
Genes. cap. 31. legimus Iacob
Patriarcham, quo tēpore etiam
pastoris officio, seu arte pastor-
tia utebatur, ita cōgruenter sibi
gratulatum, & gloriatum dixit
ad Laban socerum suum: Vi-
ginti annis fui tecum, oues tuæ,
& capræ steriles non fuerunt,
arietes gregis tui non comedi,
nec captum à bestia ostēdi tibi.
Ego damnum omne reddebã:
quidquid furto peribat, à me
exigebas. Die, noctūque astu
vrgebar, & gelu: fugiebátque
somnia ab oculis meis. Sicque
per viginti annos in domo tua
seruiui tibi, quatuordecim pro
filiabus, & sex pro gregibus tuis.
Immutasti quoque mercedem
meam decem vicibus. Et nisi
Deus patris mei Abraham, & ti-
mor Isaac affuisset mihi, forsitan
modo nudum me dimisisses.
Afflictionem meam, & laborem
manuum mearũ respexit Deus,
&c. Hactenus ille de officio pro-
bi pastoris. Paulus quoq; Apost.

Rom. cap. 11. ad hũc sensum ait:
Ministerium meum honorifica-
bo. Et alibi, nempè scribens ad
Timoth. 2. Timoth. cap. 4. eodẽ
sensu ait: Prædica verbum, in sta-
oportunè, importunè. Argue,
obsecra, increpa in omni patien-
tia, & doctrina. Vigila, in omni-
bus labora. Opus fac Euangeli-
stæ: ministerium tuum imple.
Et rursus 1. Cor. cap. 4. congruẽ-
ter ait: Vsq̄ in hanc horam, &
esurimus, & sitimus, & nudi su-
mus, & colaphis cædimur, & in-
stabiles sumus, & laboramus
operantes manibus nostris: ma-
ledicimur, & benedicimus: per-
secutionem patimur, & sustine-
mus: blasphemamur, & obse-
cramus. Tanquam purgamenta
huius mundi facti sumus omniũ
per ipsema vsque adhuc. Et talia
multa reperiuntur dicta in hanc
sententiam, præsertim verò à
Paulo Apost. de ratione perfecti
officij, seu ministerij. Vnde ve-
tus prouerbium: Spartam na-
ctus es, hanc orna.

Qualiscumq; tandem sit præ-
fata hæc interpretatio, conie-
ctura est potius, quàm asseuera-
tio, seu affirmatio: propter ver-
borum istorum Sponsæ ambi-
guitatem, quæ occasionem præ-
bet multis modis interpretãdi,
vel potius conijciendi, ad asse-
quendam veritatem, atq; adeo

mentem ipsam Authoris sacri. A Ideoque vnusquisque libertate sua, atque eruditione vtatur: salua semper modestia, & iudicio Ecclesiæ catholicæ. Sic enim salua res erit. Quapropter non grauabor aliam adhuc istorum Sponsæ verborum interpretationem afferre, quæ mihi (vt ingenuè fatear) magis cæteris omnibus placet, & satisfacit. Sed tamen priusquam eo venio, obseruandum hîc breuiter est illud, nempe, pro eo quod vulgatus noster Latinus reddidit (Vineam meam non custodiui) in Hebræo, si quis velit ad verbum fideliter exprimere, esse (Vineam meam, quæ mea est, non custodiui.) Quemadmodum etiam hîc lxx. Interpretes Græcè. Quæ quidem lectio, seu oratio Sponsæ, tunc etiam magis est emphatica, nempe propter repetitionem, seu additionem particulæ istius (Quæ mea est.) Quasi dicat Sponsa: Quæ quippe propria mea erat, vel quæ propriè, & quasi iure quodam hæreditario ad me pertinebat: atque proinde diligentius à me custodiri, seruari, & curari debebat. Itaque non est dubitandum, quin hæc oratio Sponsæ sit valde emphatica, id est, significantior, & vehemens, plena (inquã) affectus, doloris, & luctus, atque

querelæ, perinde, ac si ita diceret: ô rem miserandam, & lugubrem! En quomodo cultrix vinearum alienarum, Vineam tamen meam cuius semper fui studiosissima, non colui, aut colere non valui, culpa scilicet fratrum meorum. Itaque totum hunc locum à primo, seu principio vsque ad finem, cum ait Sponsa, Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: Vineam meam non custodiui; ænigma quoddam esse arbitror, & quidem valde ingeniosum, artificiosum, atque pulcherrimum, in quo Sponsa in persona Synagogæ, id est, veteris Ecclesiæ, & sub metaphora, seu typo vinearum alienarum, & item propriæ vineæ suæ, grauiter, & vehementer, atque dolenter, pro sua singulari charitate, etiam vaticinando, conqueritur, præsertim de impijs Regibus Israël, qui cum essent de medio fratrum suorum ad regnum assumpti, id est, eiusdem gentis, affines, cognati, & contribules; tamen populum Israëliticum, & populum Dei peculiarem peccare fecerunt: atque ob eam rem in alienis terris, & hostibus extorres teneri, incertis sedibus vagari, peregrinari, atque exulare à propria sua terra Israëlita, & ciuitate Hierusalém, & Templo Iero-

solymitano, & cultu veri Dei penitus carere, atque tot annos barbaris, atque impijs hominibus, denique hostibus suis, quales præsertim erant Assyrij, siue Chaldæi, turpiter seruire, eorumque mores, & ritus, & superstitiones discere, atque etiam falsos deos colere. Cui rei vno ore attestatur, & suffragatur vniuersa sacra historia, præsertim in libris Regum, & sermonibus Prophetarum, in quibus creberrima, & frequentissima fit mentio de varijs captiuitatibus, exilijs, transmigrationibus, cladibus, & calamitatibus Iudæorum, quas etiam atque etiam diuersis temporibus, & locis perpeffi fuerunt: præsertim ob impietatem, & scelera Regum, & Principum suorum, atque etiam Sacerdotum. Istud igitur est ænigma præsentis loci, & verborum Sponsæ mens, & quasi scopus, seu intentio, cum ait: Filij matris meæ pugnauerunt contra me. Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiui. Etenim per filios matris suæ, ænigmaticè, & metaphoricè, seu parabolicè intelligit Sponsa, præsertim Reges Israëliticos, secundum carnem fratres, seu cognatos, affines, & contribules suos. Per vineas autem intelligit patrias, seu terras alienas, seu bar-

baras, atque impias nationes, & hostes suos, maximè autem Assyrios, seu Babylonios, ad quos populus Iudæorum etiam atque etiam captiuus abductus est, & illis tot annis turpiter, miserèque seruiuit. A contrario verò sensu, per vineam suam propriam intelligit Sponsa hîc figuratè terram Israëliticam, patriamque suam, & gentem, id est, solum natale, & maximè ciuitatem sanctam Hierusalem, simul & Templum, & domum, & denique cæteras alias omnes commoditates, quibus in patria, & domicili fruebatur, tanquam populus peculiaris Dei, & ciuibus frui licet. Quæ quidem res miseranda prorsus, & lugubris erat: atque proinde digna istiusmodi Sponsæ querela, seu lamèratione, luctu, & dolore, cum ait: Filij matris meæ pugnauerunt contra me, &c. quæ sequuntur. Facit pro hac intelligentia, seu interpretatione, quod frequenter, & sæpè sub voce, & metaphora vineæ in sacris litteris significatur Synagoga, id est, Ecclesia Israëlita, quondam Sponsa Dei, vt Isai. cap. 3. & 5. vbi ait: Vineam factam est dilecto meo, &c. Et rursus: Plantauit vineam electam, &c. Quintiã, vinea domini exercituum, domus Israël est, &c. Et aliàs sæpè Ecclesia quoque noua, id est,

apostolica, & catholica, quæ est A
communio Sanctorum, & cœ-
tus fidelium credentiū in Chri-
stū, definitur vinea pari modo,
& ratione, seu metaphora nomi-
natur. Quod quidem manifestè
patet ex vno illo loco Euangeli-
co Matth. cap. 20. vbi Christus
Dominus in hunc modum ait:
Simile est Regnum Cælorum
homini patrifamilias, qui exijt
primo mane conducere opera-
rios in vineam suam, &c. quæ
prosequitur in eandem senten-
tiam. Quare hanc interpretatio-
nem postremam amplectendam
esse censéo horum verborum
Sponsæ, id est, totius istius præ-
sentis loci, cū Sponsa ait: Filij
matris meæ, &c. vsque ad finem.
Est enim hæc interpretatio, non
solum simplex, facilis, atque per-
spicua, sed etiam grauis, & soli-
da. Sed tamen valde impia, & in-
grata, & crudelis Synagoga, quæ
cū vinea Ecclesia vera Dei
fuerit, tantum vsque adeo de-
generauit, & mutata est ab illa,
quæ aliquando erat, vt non mo-
do pro vuis labruscas redderet,
sed etiam pro vino acetum, &
fel Sponso, & Domino suo in
cruce sitienti propinaret. Fuit
enim re vera Christus Dominus
istiusmodi potu aceto so, & fel-
leo amaro, & acerbo potatus, &
priusquam crucifigeretur, id est,

ante crucifixionem, id est, iam
crucifigendus, cū scilicet iam
peruenisset ad Caluarie, id est,
supplicij locum, vt aperte testa-
tur Matth. cap. 27. Et iterum
postea in ipsa cruce, id est, cruci-
fixus, antequam omnino expi-
raret, accepto aceto mero, cū
dixit: Sitio, vt narrat Ioann. cap.
19. Quemadmodum acutiùs, &
melius vidit, & animaduertit D.
Aug. lib. 3. de consensu Euanga-
listarum cap. 11. & cap. 17. ô pro-
inde Synagogam crudelem, &
sanguinariã, quæ iam inde, non
omnem modo sanguinem, ac
succum, sed etiam colorem, ac
speciem pristinam, & denique
nomen ipsum Ecclesiæ & Spon-
sæ simul amisit.

*Indica mihi, quem diligit
anima mea.*

Particula hæc (Quem dili-
git anima mea) parenthesis
est, vel potius inuocatio, quasi
dicat Sponsa, in casu scilicet vo-
catiui: ô tu, quem diligit anima
mea, indica mihi, &c. Neque
enim relatiuum (quem) pendet,
aut regitur à verbo indicandi:
neque in casu accusatiui est, sed
potius in casu vocatiui, & regi-
tur à verbo (diligit) vt dixi: cū
sit inuocatio amatoria, & nup-
tialis, qualis quidem decebat
Sponsam,

Sponsam, & nouam nuptam;
suisque Sponsi longè amantissi-
mã. Perinde enim est hic, quod
dicit Sponsa, ô tu, quem diligit
anima mea, ac si planè diceret: ô
plurimū dilecte: Vel, ô tu, quem
ex animo, id est, ex tota anima,
atque ex toto corde, & omnibus
animi, & corporis viribus diligo.
Iuxta illud Deut. cap. 6. Diliges
Dominum Deum tuum ex toto
corde tuo, & in tota anima tua,
& in tota mente tua: vt refert
Christus Dominus etiã Matth.
cap. 22. atque pro sua summa, &
diuina authoritate statim ita ad-
didit: Hoc est maximum, & pri-
mum mandatū. Velle enim tam
vehementer ab hominibus ama-
ri, ingētis omnino amoris indi-
ciū est. Alioqui nihil plus Deus
ex nostro amore lucratur, quàm
nos ex formicæ, aut alicuius al-
terius huiusmodi vermiculi vi-
lissimi, & contemptissimi, amici-
tia faceremus. Quinimo verò
hæc trina præcepti dilectionis
repetitio, ingentem, & admiran-
dam ostendit Dei, id est, Sponsi
diuini, erga animam humanam
Zelotypiam, quippe qua nullo
modo quidquam ferre potest
amoris sibi debiti particeps.
Hinc mox perspicuum fit, quare
thus integrum in sacris Mosai-
cis fuerit olim igni iniiciendum:
quod in Leuit. non semel mo-

netur. Deus enim, qui se Zelo-
tem esse dixit, non vult amorem
distractum, sed integrum. Vn-
de & D. Aug. Soliloq. cap. 18. ira
congruenter Deum præcando
exclamat, dicens: Totus eram in
morte, & totum me resuscitasti:
tuum igitur sit totum id quo vi-
uo. Totus spiritus, totum cor,
totum corpus, tota vita mea vi-
uat tibi, &c. quæ prosequitur in
eandem sententiam. Et alibi, id
est, lib. 1. Confession. cap. 5. non
minus congruenter, atque ele-
gãter exclamat, quasi admirabū-
dus: Quid tibi sum ipse, vt ama-
ri iubeas à me, & nisi faciam, iras-
caris mihi, & mineris ingentes
miserias? Paruanè est ipsa mise-
ria, si non amem te? Heu mihi,
&c. quæ sequuntur ibi apud Aug.
Similia, & pulchra sunt, quæ ex-
tant apud eundem Aug. lib. 4.
Confess. cap. 10. & 11. vbi inter
cætera, sic ait, & animam suam
alloquitur, & prouocat ad amo-
rem Sponsi inquiens: Noli esse
vana anima mea, & obsurdesce-
re in aure cordis, tumultu vani-
tatis tuæ. Audi & tu. Verbum
ipsum clamat vt redeas, & ibi est
locus quietis imperturbabilis,
vbi non deseritur amor, si ipse
non deserat. Ibi finge mansio-
nem tuam, ibi commenda quid-
quid inde habes anima mea sal-
tem fatigara fallacijs. Et dein-

de quibusdam verbis interpositis, ita pergit, & subdit, dicens: Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, nè in his, quæ tibi placent, tu ei displiceas. Et rursus eiusdem lib. 4. cap. 11. congruenter in hunc modum subijcit, dicens: Si placent animæ, in Deo amentur, quia & ipsæ mutabiles sunt, & in illo fixæ stabiluntur, alioquin irent, & perirent. In illo ergo ametur, & rape ad eum tecum quas potes, & dic eis: Hunc amemus, hunc amemus, ipse fecit hæc, & non est longè. Non enim fecit, atque abiit: sed ex illo in illo sunt. Ecce ubi est, ubi sapit veritas: intus cordi est, sed cor errauit ab eo. Redite preuaricatores ad cor, & inhærete illi, qui fecit vos. State cum eo, & stabitis: requiescite in eo, & quieti eritis. Quò itis in aspera? quò itis? Bonum quod amatis, ab illo est: sed quantum est ad illum, bonum est, & suaue. Sed amarum erit iustè, quia iniustè amatur, deserto illo, quid quid ab illo est. Quò vobis adhuc ambulare vias difficiles, & laboriosas? Non est requies, ubi quæritis eam. Quærite quod quæritis, sed ibi nõ est ubi quæritis, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam suauissimè. Consentanea, & valde pulchra

sunt, quæ scribit idem Aug. lib. 6. de Musica cap. 13. vbi ait: Nõ possumus amare, nisi pulchra, &c. Est autem quædam sympathia inter amantes. Id quod ignorandũ nobis non est: quando quidem discipulus ille dilectus Ioannes Apost. adhortans nos ad charitatem, seu dilectionem Dei, in hunc modum inquit: In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas, nõ quasi nos dilexerimus Deũ, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris, &c. Super quibus verbis ita eleganter, & commodè cõmentatur D. Aug. lib. 1. de gratia Christi cap. 26. optimè inquit omninõ, atq; verissimè: Non enim haberemus vnde Deum diligeremus, nisi hoc ab illo, qui prior nos diligeret, sumeremus. Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus? aut quomodo bonum non facimus, si diligamus? &c. quæ sequuntur apud D. August. Quapropter ipsemet August. alio in loco, id est, lib. 4. Confess. cap. 9. rectissimè, & verissimè illud affirmat, vt scilicet rea sit sibi humana conscientia, si non amauerit redamantem, aut amantem non re-

damauerit, &c. quæ prosequitur ibi in eandem sententiam. Si quidem verum est prouerbum illud, Si vis amari, ama. quemadmodum affirmat, atque ostendit etiam D. Chrysof. homil. 13. ad pop. Antioch. tom. 5. Quo sensu etiam D. Ambr. lib. 2. officiorum sic ait: Quid in situ nature magis, quàm vt diligentem diligas. Vnde etiam D. August. in lib. de catechizandis rud. cap. 4. rursus sic ait: Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat. Amat enim Deus, vt ametur, vt ait etiam ipse August. in Manuali cap. 18. 19. & 20. vbi copiosè de amore Diuino philosophatur, & quidem valde appositè.

Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in Meridie?

Mirandum est, si Sponsa, quæ Sponsum suum vocabulo Regis modo nuncupauerat, & honorauerat, cum dixit paulo antè, Introduxit me Rex in cellaria sua; iam nũc statim in præsentì loco tanquam pastore dèrepèrè interrogãdo, alloquitur, dicens: Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, &c. Videri enim potest Sponsa præ nimio amore quasi sui oblita, pugnantiã, & absurda loqui.

Nemo enim idem simul Rex & pastor est. Nihilominus tamen non pugnantiã loquitur Sponsa, neque præ nimio amore delirare existimanda est: sed potius sobrietatis verba, & valde inter se consentanea loquitur. Nam, vt omittamus illud, quod ait Poëta Satyricus, id est, Iuuenalis:

*Attamen vt longè repetas, longè-
que reuoluas,*

*Maiores quisquis fuit ille tuorũ,
Aut pastor fuit, aut quod dicere
nolo.*

id est, Iatro. Sic ille mordendo ait. Nihilominus tamen persona, & officium pastoris, magnam profus cognationem, & similitudinem habet cum persona, & officio Regis. que madmodum accuratè, & copiosè ostendimus aliàs, præsertim verò ex auctoritate, & verbis Philonis Iudæi in lib. de Ioseph, seu de vita viri ciuilib, statim in principio, ubi sic ait: Cœpit enim Ioseph in hoc genere, nempe vitæ ciuilib, versari, annos natus circiter septemdecim, profectus curandis gregibus, quæ disciplina cũ ciuili conuenit. Et hoc est (opinor) cur Poëta, Reges vocan pastores populi. Nam qui summus est in arte pecuaria, facilbonus Rex euadet. Pulcherri-
mo gregi hominum prepositus.

approbata industria in minori negotio. Siquidem quemadmodum futuro Imperatori necessaria sunt exercitia venatoria; sic admouendis ad curam reipubl. propria pastoralis ars congruit, vel vt præludium quoddam magistratum. Haften. Philo ibi. Consimilia sunt, quæ de pastura, seu arte pastoritia, scribit idē Philo in lib. de agricultura pag. 170. Quinetiam in lib. I. de vita Mosis pag. 10. vbi inter cætera ita congruenter, & eleganter ait: Nam pastoralis ars, ad regnum est præludium, hoc est, ad regimen hominum gregis mansuetissimi: quemadmodū bellicosa ingenia præexercerent se in nationibus. Inferis enim experiuntur futuri præfecti militiæ, brutis præbentibus materiam exercitiij, tam belli, quàm pacis tempore. Nam præfectura mansueti pecoris habet quiddam simile cum Regno in subditos. Ideò Reges cognominantur pastores populorum, non contumeliæ, sed honoris gratia. Imò quantum ego intelligo, non iuxta vulgarem opinionem, sed rei veritatem vestigans (rideat qui volet) solus potest esse Rex vnde quaque perfectus, qui bene callet artem pastoritiam, & curando minora animalia, didicit quomodo debeat præesse præ-

statoribus. Impossibile est, enim, vt magna, priusquam parua perficiantur, &c. quæ sequuntur, Coniungatur his, quæ super hac re scribit Basil. Magn. hom. 26. cui titul. fecit de martyre Mamante. Sunt enim, non solum consentanea, sed prope modum eadem, vt potè accepta, & mutata ex scriptis Philonis. Inter cætera enim ita de laudibus curæ pastorialis scribit: Nec contempnas (inquit) virum, vbi pastorem audis. Qui enim Deo primus placuit Abel pastor fuit. Quis illum imitatus est? Moses magnus ille legislator, qui vt periculum declinaret, quod à Pharaone imminebat, aufugit. Ille, inquam, pecudes pavit in monte Choreb: & per pasturam ad colloquium Dei peruenit. Angelum in rubo non iudicio disceptans, sed pastorem ægens, cælesti colloquio dignatus vidit. Quis Mossem subsequutus est? Iacob Patriarcha, qui pecudes pascendo, pro veritate patientiam ostendit: & in modica imagine vniuersam vitam suam quasi quodam characterē ob signavit. Cui conuersationis huiusmodi zelum post se reliquit? Dauidi. Dauid enim à pecudum pastura peruenit ad Regnum. Sorores quædam sunt pastura, & Regni admi-

nistratio: nisi quod illa irrationalium, ista verò rationalium animantium curam habet. Ita scilicet ad maiorem illa scientiam transitum habet. Quapropter Dominus vtramque complexus, & pastor est, & Rex: irracionales pascens, maiori ratione præditos sub Regni gubernatione includens. Vis scire quantæ dignitatis sit pastor? Dominus, inquit, pascit me. Quomodo verò regiæ gubernationis foror est pastura? Quis est iste, inquit, Rex gloriæ? Qui illic pastor, hic Rex dicitur. Nec putes illum ab alijs quidem pastorem vocari, ipsum verò id appellationis pudoris gratia non agnoscere: quin ipse degeneres pastores cōpescens, in seipsum veræ pasturæ testimonium transfert: Ego (inquit) sum pastor ille bonus, &c. quæ prosequitur ibi Basil. Magn. eloquenter, & doctè in eandē omnino sententiam: sed tamē nihilominus, vt dixi, accepta occasione ex scriptis Philonis: præsertim verò in l. de agricultura, in quo Philo similiter exponit etiam locū illū Psal. 22. vbi rex Pro. sumpra methaphora ex re pastoritia, ait: Dñs pascit me, & nihil mihi deerit in loco pascuæ, ibi me collocauit, &c. Nam amplificando præstantiam, vtilitatem, & vnita-

tem artis pastoralis, simul & antiquitatem, ita scribit: At pastoris officium (inquit) res est tam præclara, vt non Regibus solis, & sapientibus viris, & animis perfectè purificatis; sed & Deo rectori omnium iustè tribuatur. Id quod non aliquis è vulgo confirmavit, sed Propheta, cui nos decet credere, qui sacros hymnos conscripsit. Sic enim loquitur: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, &c. quæ sequuntur apud Philonem. Ex quibus omnibus locis satis superque constat ratio, ob quam Sponsa in præsentiarum Sponsum suum pastorem appellet, vel tanquam pastorem interrogando alloquatur, cum paulo superius, & alijs inferius, etiam atq; etiam Regem appellet. Non enim pugnantia loquitur Sponsa (vt dicebam): sed potius valde congruentia, & mirificè inter se cohærentia, dum Sponsa diuino modo nomen, & personam Regis, modo etiam nomē, & personam pastoris attribuat, propter analogiam, videlicet, quæ inter vtriusque officium, nempe Regis, & pastoris, existit, & quia vtriusque idem est scopus. Loquitur ergo Sponsa ex hypothesi, id est, iuxta rationem, & doctrinam præfatam, vt scilicet sic doceat, atque persuadeat, optimum quemque

Regem oportere (si modo velit officio suo satisfacere) officium & partes periti, & probi pastoris imitari, & quoad eius fieri potest æmulari, nempe vt grex sibi subditus, id est, populus, quàm optime habeat, & valeat, quemadmodum & pastor bonus nihil magis cogitat, & curat, quàm vt grex animalium sibi subiectorum, id est, pecus, item bene habeat, & valeat. v.g. pastor ouium, vt oues sint pingues, plurimùmq; carnis, & lanam habeant, & præbeant, atque etiam vt læta, & delicata pascua inueniant, id est, herbas, & aquas salubres, & verno, seu æstiuo tempore, præsertim hora meridiana in vmbra, & locis opportunis, & vmbrosis, & amænis cubare, & requiescere tantisper possint, vt ne à Sole lædantur, id est, ardor Solis illis quoquomodo noceat. Cui malo hoc genus animantis valde est obnoxium: cum aliàs valde sit vtile, & placidum, vt testatur Varro de re rustica lib. 2. post initium, vbi ita scribit: Ex animalibus non sine causa putant oues assumptas, & propter vtilitatem, & propter placiditatem: maximæ enim hæc natura quietæ, & aptissimæ ad vitam hominũ, ad cibum enim, lac, & caseum adhibitum, ad corpus, vestitum, & pelles attu-

lerunt. Hacten. Varro de vtilitate, & placiditate ouium, cum agit de laude artis pastoritiæ. Quò pertinet etiam illud, quod de Abelle iusto refert Oraculum Genes. cap. 4. Fuit autem Abel pastor ouium. Itaq; Sponsa admodum peritè, non solum Sponsum suum rogat hinc vbi pascat; sed etiam vbinam oues suas cubare, & requiescere faciat, præsertim tempore æstiuo, seu in meridie ardente Sole. Solent enim oues meridiem, seu medium diem accedente Sole, in vmbra (vt dixi) aut ad fontium aquas desides iacere. Vnde natum est prouerbiũ, Tanquam ouis meridians. Sic enim dici solet de supino otio, omnique veterno. Et hoc sensu vsus est Plato prouerbio isto in Phædro. Hinc etiam natum alterum prouerbiũ, In meridie philosophantes. Alloquitur .n. ex hypothesi Spõsa Sponsũ suũ tanquam peritum, industriũque pastorem ouium, simulque indulgentem, quippe qui optimè sciat vbi, & quomodo debeat oues suas pascere certis temporibus, & locis, præsertim verò in æstate, & hora meridiana. Cum ergo Sponsa amore langueret, & charitate Sponsi sui quodammodo vulnerata esset, præ desiderio nimio viden-

di, & audiendi eum, quem ex anima, seu toto corde diligebat, in hunc mundum loquitur: Indica mihi, ô tu, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes, vel etiam vbi cubare, l. requiescere facias oues tuas in meridie? quo tempore Sol non nitidus, sed assus esse videtur, vsque adeo ardet, atque comburit, vt loquitur Cicero. Captabat enim semper, quantum in se erat, Sponsa oportunitatem fruendi aspectu, simul & sermone familiari, & domestico Sponsi sui. Quare mirum non est, si tam amanter, & familiariter cum alloquatur, & interroget simul. Etenim his verbis, id est, exemplo illo Sponsi insinuat, atque instituit Sponsa populorum, id est, ouium rationalium pastores, quales esse debeant erga sibi subiectos, & qualiter eorum salutem, vtilitati, & commoditati consulere, atque indulgere oporteat. Seruit enim populo iustus, & probus Rex, Princeps, & magistratus, potius quàm dominatur: nisi velit esse tyrannus. Vnde & Rex Antigonus (sicut proditum est in historia) ingenuè confessus est, aliquando scilicet, cum filium de regni cura moneret, nihil aliud esse regnum, quàm splendidam quandam seruitu-

tem: quoniam non populus causa gubernatoris, sed potius contra, causa populi gubernator fit. Et Tiberius Cæsar, cum ab amicis rogaretur, vt Imperium susciperet, is illos increpabat, vt ignaros quanta bella esset Imperium. Traianus quoq; Imperator, qui Senatũ patrem appellare solitus fuit, se tantum laboris ministrum esse dicebat. Cum verò præfectum prætorij pro sua auctoritate constitueret, militareque cingulo donaret, quod erat eius magistratus insigne, ita locutus fertur: Hinc enseni accipe: & siquidem rectè imperauero pro me: sin secus, in me vtare. Quin etiam Epaminondas Thebanorũ dux & Imperator, ciuibus suis in festos ludos, conuiuiaque solutis, solus arma, maniaque lustrabat, se vigilare, ac ieiunare dicens, quò aliis dormire, genioque indulgere liceret. Facit pro hac sententia, seu allegoria, locus ille euangelicus Mar. cap. 4. vbi de Christo Domino, qui totius veræ, solidæque virtutis singulare, & vnicum exemplar est, ita refert. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens, & excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus? Et exurgens, comminatus est vento, & dixit mari,

Tace, obmutesce. Et cessauit A
 ventus, & facta est tranquillitas
 magna. Et ait illis: Quid timidi
 estis? necdum habetis fidem?
 &c. Ex quibus verbis constat
 Christum Dominum, & si de
 more quiescentium, vel dor-
 mientium, caput super ceruical
 inclinatum haberet in nauicu-
 la; tamen inter dormiendum
 quodammodo vigilasse, etiam
 clausis oculis, neque neglexisse
 salutem discipulorum, vt ne in
 mari, ac tempestate illa sœua pe-
 rirent, & simul cum nauicula
 miserè submergerentur: vt pa-
 ter manifestè ab effectu, seu
 euentu. Quo sensu etiam per
 trāslationem dixit Rex Proph. C
 in Psalm. 120. Ecce non dormi-
 tabit, neque dormiet, qui custo-
 dit Israel. Quinimò ipsa Sponsa
 inferius Cāt. cap. 5. ait: Ego dor-
 mio, & cor meum vigilat. Vsq̄ue
 adeo oportet, & necesse est
 probum rectorem, & modera-
 torem perpetuò vigilare super
 gregem sibi subiectum, & pro-
 uidere, vt ne quid perperā fiat
 in Repub. sed omnes ciues sal-
 ti sint, & incolumes, fœlices, at-
 que beati, id est, vt benè quoad
 eius fieri posset, fœliciter, ac bea-
 tē viuant, officiumque suum fa-
 ciant. Quemadmodum etiam
 docent prophani authores, &
 sapientes huius mundi, in qui-

buse est Cicero lib. 5. de repub.
 vbi ita hac de re loquentem fa-
 cit Scipionem: Vt enim (inquit)
 gubernatori curius secundus,
 medio salus, imperatori victo-
 ria; sic huic moderatori Rei-
 pub. beata omnium vita propo-
 sita est, vt opibus firma, copiis
 locuples, gloria ampla, virtute
 honesta sit. Haët. Cicero in lo-
 co cōmemorato. Et itē l. 8. epist.
 ad Atticum epist. II. vbi etiam
 hac verba reperit, atque confir-
 mat. Qui autem officio iusti, &
 probi pastoris fungi vult, is offi-
 cium suum discat ex illo bono
 pastore, qui per excellentiam
 non solum bonus, sed etiam pa-
 stor nominatur, & est, id est,
 Christo Domino, quippe qui se
 ipsum etiam atque etiam Ioan.
 cap. 10. bonum pastore ouium
 suarum per comparisonem ap-
 pellat, simulque proponit ad
 imitandum cæteris omnibus
 minorum gentium pastoribus,
 cum sic ait: Amen dico vobis,
 qui non intrat per ostium in
 ouile ouium, sed ascendit aliun-
 de, ille fur est, & latro: qui au-
 tem intrat per ostium, pastor est
 ouium. Huic ostiarius aperit, &
 oues vocem eius audiunt, &
 proprias oues vocat nominatim
 & educit eas: & cum proprias
 oues emiserit, ante eas vadit, &
 oues illū sequuntur, quia sciunt
 vocem

vocem eius. Alienum autem A
 non sequuntur, & fugiunt ab
 eo, quia non nouerunt vocem
 alienorum, &c. Deinde sub-
 dit postea: Ego sum pastor
 bonus. Bonus pastor animam
 suam dat pro ouibus suis: mer-
 cenarius autem, & qui non est
 pastor, cuius non sunt oues pro-
 priæ, videt lupum venientem, B
 & dimittit oues, & fugit, & lu-
 pus rapit, & dispergit oues. Ego
 sum pastor bonus, & cognosco
 oues meas, & cognoscunt me
 meæ, &c. quæ prosequitur ibi
 in hanc sententiam, de probo
 simul, & improbo, seu merce-
 nario pastore.

Iure ergo optimo Sponsa stu-
 diose in præsentia Sponsum C
 suum, quem vnicè diligebat,
 rogat, atque interrogat, vt ille
 indicare velit, atque dignetur,
 vbi nam aues suas pascat, & vbi
 in meridie, hoc est, in tempore
 meridiano, quando sol ardere,
 & feruere quodammodo vide-
 tur, requiescere, vel etiam re-
 quiescere oues suas faciat, seu
 cubare, & meridiari. Quibus
 quidē verbis non obscure signi-
 ficat Sponsa, in typo scilicet Ec-
 clesiae, se ex ipso solo sponso dis-
 cere velle artem pastoritiam, id
 est, scientiam rectè, & commo-
 dè pascendi, seu regendi, & gu-
 bernandi, quæ quidem ars vel
 scientia proculdubio est om-

nium difficillima: ideoque stu-
 diosius, & diligentius ab ipso
 præsertim Sponso discenda erit
 exemplo isto Sponsæ tam præ-
 claro. Ideo enim tam sollicitè &
 obnixè quærit, vbi Sponsus pas-
 cat, & vbi cubet in meridie, vel
 etiam quomodo pascat, & quo-
 modo oues requiescere, seu cu-
 bare faciat in meridie. Dixi (vel
 etiam quomodo.) Nam ambi-
 guitas est iuxta hebraicam ve-
 ritatem. Vox enim Hebraica,
 pro qua vulgatus noster Latini-
 nus hîc vertit (vbi) etiam signifi-
 cat (quomodo:) ita quidem, vt
 hæc dictio nō referatur ad præ-
 dicamentum, vbi, sed potius ad
 prædicamentū; Qualitatis. Qua-
 si dicat Sponsa: Indica mihi, ô
 Sponse dilectissime, quomodo
 pascas, aut quomodo oues tuas
 cubare facias in meridie? Quod
 quidē planè pertinet ad artem,
 & scientiam pastoritiam, quam
 quidem à Sponso suo Sponsa
 præcipuè discere volebat, & de-
 bebat, non autem ex alienis, &
 mercenariis pastoribus. Sed ta-
 men prior interpretatio est me-
 lior, vt scilicet vocē Hebraicam
 per (vbi) vertamus, & (vbi) sit ad-
 uerbiū locale. Nam quærens
 de loco vbi Spōsus pascebat, &
 simul cum grege requiescebat
 in meridie, etiam opportunita-
 tem temporis, & loci captabat,
 quando maximè Sponsus vaca-



bat quietus, otiosus, & solitarius A erat, id est, vel paratior, & promptior esse videbatur ad docendum, erudiendum, atque tradendum, quæ ad rem maximè pertinebant. Quævis nullum Sponsio fit tempus intempestiuū ad docendum, & bene faciendum, quantumvis aliàs intempestiuum esse videatur: sed oportune, & importunè paratus, & præsto est benefacere, & auxiliari: atque per nos stat quo minus ille beneficiat, id est, beneficia sua diuina impertiatur, quoniã scilicet indigni sumus: & nihilominus tamen pro sua infinita bonitate etiam indignos vocat, docet, & trahit ad salutem. Vt patet ex vno illo exemplo Euangelico Ioan. cap. 4. ubi refert quemadmodum cum esset valde fatigatus ex itinere, & sitibūdus, & federet sic supra fontem, idque in media æstate, seu meridiano tēpore, ardente & feruēte Sole: erat enim hora quasi sexta, id est, meri-

D dies, vt animaduertit ipse Euangelista. Nihilominus tam indignatus est mulierem illam Samaritanam peccatricem, & nihil minùs quàm de sua salute cogitantem, viam salutis blandissimis, & suauissimis verbis docere, & illuminare, animamque eius, vitam, & mores om-

ninò commutare, id est, ad fidem, & veram religionem, ac pietatem tam citò: & repente cōuertere. Quanto verò magis Sponsam suam charissimam, & longè sui amantissimam, docebit spōte sua ad eum veniētem, etiam in meridie: siue per meridiem tempus opportunum, siue etiam importunum interpretemur: vt rouis enim modo interpretari potest. Cuius rei fiducia Sponsa ipsa alibi, id est, Cantic. ca. 8. sic ait: Quis mihi det te fratrem meum iuggentem hubera matris meæ, vt inueniam te solū foris, apprehēdam te, & ducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ: tibi me docebis, &c. Ex quibus verbis satis apparet, non solum fiducia, sed etiã mens Spōsæ, id est, quid sibi velit in præfenti loco, cum ait: Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie? Ex hypothesi enim loqui videtur tamquam perita, & experta, id est, benè conscia ingenii, & amoris, simul & moris Sponsi. Quamuis hoc etiam ingenium sit ardentè amantiū, vt non solum eos, qui amantur, desiderent: sed etiam quæ illis loca grata sunt, & iucunda, in quibus ij sunt, vel fuerunt præfentes, & in quibus versati sunt. Vt inquit Theodoret. de SS.

Patrum historia in Simeone A pag. 324.

Si quis autem pro horum verborum Sponsæ allegoria plura desiderat, de officio (inquã) & partibus boni pastoris, is legat, quæ scribit Lorinus in Act. Apo. cap. 20. super illis verbis Pauli Apost. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Sponsus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, &c. At Greg. Magn. comment. in 1. Reg. cap. 9. lib. 4. 1425. super illis verbis: Festina. hodie venit in ciuitatem Samuel vir Dei, &c. Quorum verborum occasione admonet, nihil prohibere, quo minus viri perfecti, & sancti (qualis erat planè Samuel Proph.) habeant certos dies, & horas statas, & solemnes ad agenda præfertim aliqua negotia, & officia pietatis, & charitatis publica vel secreta, sic quasi Sponsus meridie. Ita enim inquit: Exemplum religiosorum est. Nã sanctus vir tantæ erat districtio-

D vt statutas dies, & horas haberet, in quibus eum qui cuperet, videre potuisset. Vidēdus quoque erit D. Aug. lib. 2. contra Petilianum Donatistam, ubi ex professo refellit falsum sensum horum Sponsæ verborum: atque ita per occasionem exponit rectè pro parte Catholica contra

A Hæreticos, & Schismaticos Donatistas, qui perperam intelligebant, & vsurpabant hæc Sponsæ verba, nempè, ubi habitas in meridie? ac pertinaciter contendebant, & asseriebant veram Ecclesiam Catholicam in sola Africa Regione remansisse, quæ meridionalis est: quoniam Sponsa ad Sponsum suum hñc ait, Vbi pascas in meridie? Consentaneus locus est, & elegans super eadem re, siue controuersia, apud Optatum lib. 2. contra Parmenianum, seu Parmenionem, ubi ita alloquitur Donatistas: Si apud vos Donatistas est Ecclesia in vno angulo Africæ, apud nos in alia Africæ parte non erit. In Hispania, in Italia, in Gallia, ubi vos non estis, non erit, &c. quæ profequitur in eandem sententiam. Vt omittam alia multa testimonia D. Aug. super hac controuersia. Passim enim occurrunt, & reperiuntur in eius scriptis, sed præfertim tom. 6.

Vbi pascas, &c. Ex quibus verbis manifestè apparet totum hoc opus, seu Canticū Salomonis, imaginem, seu imitationem quandam esse Cantici, siue carminis pastoritij. Quod genus carminis est longè antiquissimum, & omninò simplicissimum, cum ex antiquissimo vi-

uendi more productum sit, qui pastoritius, & agrestis fuit, potius quam ciuilis. Prior igitur, & vetustior fuit Ecloga Bucolica, seu pastoritia, quam ciuilis: sicut & vita pastoritia prior, & simplicior est quam politica, id est, ciuilis. Atque proinde aptior, & dignior ad exprimendos, seu adumbrandos, & representandos diuinos amores.

Ne vagari incipiam post gregem sodalium tuorum.

QVorum verborum ordo, & sensus talis esse videtur, quasi dicat Sponsa: Indica tu ipse mihi, o Sponse dilectissime, viam rectam, & compediariam, qua scilicet valeam citò te inuenire, ac peruenire ad locum istum mihi optatissimū, in quo pascere, & cubare soles, atque etiam recubare facis oues tuas in æstate, & hora meridiana requiescere: vt ne cogar de loco isto, & via passim percontando, aut de te inuestigando hūc, illūque vagari sola sine mandras, & caulas, per greges, & tabernacula pastorum sodalium tuorum, & mercenariorum, id est, alienorum virorum, præter morem meum, atque decorem. Videtur enim Sponsa his verbis quodammodo timere, atque

cauere prudenter, vt ne fortè præ nimio amore occasionem Sponso præbeat Zelotypiæ. Proprium est enim virginum, & nouiter nuptarum (qualis erat Sponsa) timere, ac vitare alienorum virorum aspectus, quinimò etiam tuta timere. Vnde etiam olim nouiter nuptæ flammeo velo obnubebantur: quod velum ita à flammeo colore, qui est ruber, dicebatur, quia scilicet recens nuptæ ingenio quodam debeant, & soleant rubore perfundi. Sic est ingenium virginum, seu puellarum ingenuarum & pudicarum, nouiterque nuptarum: quod quidem videtur Sponsa quodammodo insinuare, cum ait: Ne vagari incipiam post gregē sodalium tuorum. Pro qua re seu allegoria horum verborum, legendus erit Cyprianus martyr in serm. de ratione Circumcisionis, vbi de erubescencia post peccatum in vtroque sexu innata, sic ait: Manet erubescencia propter sensum, vt qui in agone contendit sciens Circumcisionis mysterium, ab omnibus se absteat, quæ possunt huic flammæ ministrare fomentum. Nec tamen peremptoria est contendentibus, sed probatoria huius sensualitatis colluctatio tam veterina: sed institutum est certamen

inter spiritum & carnem, vt videtur homo peccati, & pœnæ, post triumphos solemnes coronetur in gloria sinè infestationibus, deinceps liber à peccato, & pœna. Hanc verecundiam post præuaricationem vanitati subiecta non volens anima pertulit, & vim sustinet inquietudine perurgenti, & inuoluntarijs motibus fatigata infelicitatis suæ deplorat miseriam, liberari de corpore mortis huius desiderans, & pacifici, & tranquilli status à Deo postulat libertatem, &c. quæ sequuntur apud Cyprian. Aliud ita ad locum illum Genes. cap. 3. vbi Oraculum de primis parentibus postquam peccarunt, ait: Cum viderunt se esse nudos, erubuerunt, &c. Super quibus verbis multa, & pulchra à veteribus Theologis, & SS. Patribus dicuntur, præsertim verò à D. Aug. ideoque breuitatis causa, vt nescim prolixior, supersedebo. Cæterum vt vnum hoc verbū amplius addam, constituat nunc quisque antè oculos velim exanguem, defectamque Iudæorum regionem, & gentem, id est, Synagogā, postquam sanguinem illum Christi diuinum effuderunt, vt sese habeat, quanta macie, quantoque pallore affecta sit, quam demissa, ac resoluta ea

iaceat illius reatus gratia, quam vaga, & profuga incertis sedibus per totum orbem vagetur: vt quidā hūc benè animaduertit cōtra perfidos Iudæos. Pro qua sententia valdè facit D. Ambr. com. in Psal. 118. serm. 2. vt omittam alia multa.

Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.

Dandi casus plerūque reddat apud Hebræos, vt in lingua Hispanica, & alijs linguis vulgarib⁹. Quinimò etiā in lingua Latina interdū reddat datiuus casus, & pronomē (Tibi) paragogicum est, & emphaticum, vt patet ex vno illo exemplo, seu loco apud Ciceronem lib. 7. epist. ad Atticum epist. 18. vbi ita loquitur: Ecce tibi, pro Ecce. Et Plautus in Amphitryone Comœdia, suo sibi telo malitia abegit à foribus. Vernant enim hæc paretica in Latinis vocibus, ac dulcissimè recinunt, vt inquit Interpres. Quam dicendi figuram Græci Parelcon appellant. Eodem prorsus modo apud Hebræos pronomē (Tibi, vel Te) paragogicū, & otiosum est. Atque proinde hoc in loco, cum ait Sponsus ad Sponsam, Si ignoras te, &c. Hebraismus est,

id est, locutio propria Hebræorum: tantumdemque valet, Si ignoras tibi, vel, Si ignoras te, præsertim iuxta subiectam materiam, & circumstantiam loci huius, ac si absolutè, & simpliciter diceret Sponsus in hunc modum: Si ignoras, ô pulcherrima mulierum, ubi pascam, & ubi cubem, atque etiam cubare faciam gregem meum, seu oues meas: & scire cupis viam, qua facile, & citò inuenias me, atque peruenias ad mandras, siue locum in quo ego pasco, ac meridiari soleo; tantummodo sequere vestigia gregum. Hac enim via trita, & peruagata, valde quæ nota est, & patens: atque proinde ipsa te rectè ducet ad mandras meas, siue caulas, in quibus ego pasco, & cubare facio gregem in meridie, id est, hora meridiana. Est enim responsio Sponsi ad interrogata, id est, ad interrogationem, seu verba illa Sponsæ, quibus modo eum interrogabat, & inuestigabat de loco, ubi ille propriè pascebat, & cubare faciebat gregem æstiuo tempore in meridie, id est, hora meridiana sub ardente Sole. Itaque pendet omninò hæc oratio ex verbis illis superioribus Sponsæ, Indica mihi, ô tu, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes, seu requiesce-

cas, atque etiam simul requiescere facias gregem tempore æstiuo, & hora meridiana. Vtraque autem oratio, & utraque verba, tam Sponsæ, quam Sponsi, in bonam partem accipiuntur, & amatoria sunt, ut patet ex ipsis nominibus, seu pronomibus uocatiuis ex ipsis epithetis, quibus se mutuò compellant, atque salutant. Sponsa enim sic interrogat, Indica mihi, ô tu, quem diligit anima mea, &c. & Sponsus ad hanc interrogationem congruenter etiam, & amanter, id est, honorificè, & cum laude respondet, Si hoc ignoras, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi, &c. Itaque nullo pacto in malam partem accipienda sunt præsentia Sponsi verba, vel etiam mox consequentia: sed potiùs in bonam: ut nè quis fortè cum vulgo Interpretum in malam partem hæc Sponsi verba accipiat. Veruntamen quoniam vulgus Interpretum (fortè *φασα μέλος* (sicut est in proverbio) minùs benè attendens ad mentem loquentis Sponsi, amat, & solet differere hinc de cognitione sui ipsius; non grauabor super hac re, præterea, quæ aliàs diximus, aliquid etiam addere, & breuiter annotare, ut sic omnibus tam doctis, quàm etià indoctis quoquomodo satisfaciã.

Operepretium igitur fuerit super hoc argumento (nempe de cognitione sui ipsius) legere quæ scribit Cicero lib. I. Tusculan. q. 9. & Seneca Philosoph. de consolatione ad Marciam cap. 11. ubi exponit prouerbum, seu Oraculum illud tantopere à sapientibus celebratum, Nosce te ipsum. Cui suffragatur Plato in Alcibi. I. ubi docet, nihil esse aliud cognoscere seipsum, quàm curare seipsum, & animum suum colere. Videndus etiã erit Philo Iud. in lib. cui tit. fecit, Quod deterius meliori insidiatur. Vbi inter alia sic ait: Homo non illud biforme animal, sed pars optima animæ, quæ mens, & ratio dicitur, &c. Cõsentaneus locus est lib. 6. de Repub. & Macrobius in somnium Scipionis lib. I. ubi ait: Tu vero enitere & sic habeto te non esse mortalem, sed corpus hoc. Nec enim is est, quem forma ista declarat, sed mens cuiusque is est quisque, non ea figura, quæ digito demonstrari potest, &c. Quo sensu etiam Arist. lib. 9. Ethic. cap. 4. ait, hominem maxime esse id, quod intelligit, id est, mens. Itaque præclare dictum est ab Agapeto ad Iustinianum Imper. Nam qui se nouit (inquit) Deum noscet; Deum noscens, Deo assimilabitur. Assimilabitur qui

Deo dignus erit, qui nihil Deo indignum admittit, sed cogitat quæ Dei sunt, & quæ cogitat, loquitur, & quæ loquitur facit. Hæc ille. Hinc Epictetus dissertationum lib. I. in hunc modum nos exclamat, atque conqueritur de suis hominibus: Ecce ad Olympia proficiscimini, ut Phidiæ itatuam videatis: & non magis curam habetis, ut vos ipsos videatis, qui, & quales sitis, &c. quæ sequuntur. Et talia multa haurire possumus ex fontibus Philosophorum de cognitione sui ipsius, id est, de animi præstantia, cura, & cultu: de quare omnes ferè etiam externi miranda loquuntur. Diuinus est enim prorsus animus viri boni, & cursu temperato à diuinitate gubernatus, nihil nisi diuinum sapit. Sed tamè multo meliora, & pulchriora ex fontibus Saluatoris, & sacrarum litterarum, atque SS. Patrum, quorum scripta plena sunt istius argumenti, ut videre est apud D. Bernar. lib. 2. de Considerat. ad Eugen. cap. 3. & aliàs sæpè. Legendus quoque inrer recentiores erit Lorinus in Act. Apost. c. 20. vers. 28. super illis verbis Pauli Apost. Attendite vobis, & uniuerso gregi, &c. Præterea non abs re erit si quis legat quæ super hac re scribit Vossius in No-

ris ad S. Gregor. Thaumaturgū in oratione Panegyri. ad Orig. pag. 229. Coniungantur his ex abundantia, quæ scribit Lipsius in lib. 3. de Physiologia cap. 3. & item cap. 18. vbi differit de principali animæ parte, quam Græci vocāt *νεψυχη*. Hactenus dixerim in præsentī loco de cognitione sui.

O pulcherrima inter mulieres.

ID est, ô pulcherrima mulierum. Est enim hebraismus, Pulcherrima inter mulieres. Nihil autem prohibet esse pulcherrimam, & simul castissimam, pudicissimam, atq; sanctissimam esse. Nam verb. g. de virgine genitrice D. Ambrosii in lib. de institut. virginis cap. 7. sic affirmat, nec veretur ita affirmare, inquit: Cuius tanta gratia erat, vt non solum in se virginitatem referuaret, sed etiam sic quas viseret, integritatis insigne conferret. Quod ipsum etiam confirmat D. Thom. in 3. d. 13. q. 1. ar. 9. vbi loquens de sanctificatione & sanctitate Mariæ Deiparæ singulari, in hunc modum ait: Et quod plus est, gratia sanctificationis, vt dicitur, non tantum repressit in ipsa motus illicitos, sed etiam in alijs efficaciam habuit, ita vt quamuis esset pul-

chra corpore, à nullo vnquam concupisci potuerit. Hact. Thomas. Cui sententia suffragatur etiam D. Bonauent. in 3. d. 3. vt omittam alios. Eam tamen, nempe Mariam virg. genitricem, plerique omnes volunt præstanti, vt ne dicam præstantissima forma præditam fuisse, & pulchritudine excelluisse. In quibus etiam est D. Gregor. Nazianz. in Traged. quæ inscribitur Christus patiens. Et item Andreas Hierosolym. serm. de Assumption. Quinetiam Ioannes Damasc. orat. 1. de Natiuit. vbi Deiparam humanæ naturæ venustatē appellat, dicens: ô Deo digna filia, humanæ naturæ venustas, &c. quæ profequitur. Pro qua re videndus erit Nicephorus lib. 2. Eccles. hist. cap. 23. Et item 6. Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 287. vbi ita congruenter per comparisonem ait: Pudica mulier castitatis notas in facie gestas, eorum, qui impudicos in eam oculos cōijciunt, expectationes reprimat. Eodemque modo pudica anima virtutis tesseras insensibus ferens, eorum, qui ipsius pulchritudinem corrumpere cupiunt, spes excindit. Hactenus ille. Et nos quoque hact. de hac particula, Pulcherrima inter mulieres.

Et

Et pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.

Hæc verba pendent ex superioribus verbis eiusdem Sponsi, cum dixit, Egredere, & abi post vestigia gregum, &c. Quasi dicat: Pergere, & sequere vestigia gregum, si vis me citò, & facile inuenire. Ipsa enim gregum vestigia tibi viam ostendent, qua possis ad me citò, ac rectè peruenire: simulq; caue, l. operam da, vt nunquam longè à gregibus, & tabernaculis pastorum sodalium, vel sociorum, id est, pastorum bonorum, & amicorum discedas: sed potiùs iuxta eorum tabernacula hædulos tuos pascas, præsertim verò dū absum, aut me absente: hoc enim consultiùs, tutiùs, ac decentiùs, & honestiùs erit. Ad hunc sensum videtur Sponsus dicere Sponsæ, Pasce hædos tuos, id est, hædulos tuos, seu hinnulos caprarum, seu minores hædos, seu minutum gregem. Solent enim pastores mulieribus, & puellis domesticis tradere ad custodiendum, atque pasendum minutam gregem, quales sunt præsertim hæduli, seu hinnulicaprarum, vel etiam agni, vt ne illæ sint otiosæ, sed potiùs occupentur, & opus aliquod faciant, operam rei pastoritiæ, & rusticæ suo modo nauantes. Spon-

sus igitur in præsentiarum ex hypothesi ita loquitur, iuxta morem scilicet pastoritium, & consuetudinem, atq; proprietatem mulierum, seu puellarum rusticarum, quarum opera viri etiam vtuntur in re pastoritia, nempe in custodiendum minutum gregem, seu pecora minora, quales (vt iam dixi) sunt hæduli, seu hinnuli caprarum paruuli, seu agni. Atque proinde hoc, quod ait Sponsus hoc loco, Et pasce hædos tuos, locutio est valde consentanea carmini bucolico, atq; etiã ipsius Sponsæ personæ. Cum enim illa fingatur, & introducatur ab Autore sacro tanquã noua nupta, & Sponsa, siue vxor vera pastoris; nihil mirum si etiam hædulos, id est, minora pecora sua pascere, seu custodire dicatur, id est, quodammodo officio, & munere pastoritio fungatur. Sic enim feruatur analogia, & quid est optimè inter vtrūque, id est, inter Sponsum & Sponsam. Atq; proinde hæc oratio, seu locutio (Et pasce hædos tuos) non in malam partem, vt vulgus opinatur, sed potiùs in bonam accipienda, & interpretanda est: alioqui tamen in sacris litteris vocabulum (hædi) in malam partem interdum accipitur, vt Matth. cap. 25. cum ait Christus Dominus, Sicut pastor segregat oves ab hædis. Est enim

L

hoc genus animalis suapte natura perulcum, id est, lasciuū, & inquietū, præsertim verò in grandiori ætate. Sic enim appellat in Bucolicis Poëta Latinus, cū ait: Hædiq; perulci. Hinc etiam & Satyri cum caprinis cornibus à Poëtis, atq; pictoribus depinguntur, quoniam videlicet lasciuui esse creduntur.

Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilauit te amica mea.

Comparatio est sumpta ex Cre bellica, cuius disciplinæ Salomō Rex Author huius Cantici, valde peritus, studiosus, & curiosus fuit: quamuis aliàs magnopere quietus, & pacificus, id est, amic⁹, & amator pacis: vtrūque enim horū decet probū, & perfectū Regem; vt patet ex sacra historia, præsertim 3. Reg. cap. i. 4. 9. 10. & aliàs. Quibus in locis legimus eū, principio statim Regni sui magnā equorū, & curruum bellicorū ex Ægypto, alijsq; locis sibi cōparasse: maxime autem id apparet ex 3. Reg. ca. 4. vbi inter cætera ita de hac re, de que eximia felicitate Salomonis Regis scriptum est: Salomon autē erat in ditione sua habēs omnia Regna à flumine terræ Philistijm vsq; ad terminum Ægypti offerentiū sibi munera, & seruientiū ei cunctis diebus

A vitæ eius, & habebat pacem ex omni parte in circuitu. Habebatq; Iuda, & Israël absq; timore vlllo sub vite sua, & sub ficu sua, à Dan, vsq; Bersabee, cūctis dieb⁹ Salomonis. Deinde postea statim ita subdit Oraculū: Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorū curriliū, & duodecim millia equestrium, &c. De curribus autem bellicis Pharaonis Regis Ægyptiorū, atq; etiā equitatu, & equis, qui laudatissimi illo tēpore erant, & in magno pretio habebantur, legimus Exod. c. 14. 15. & aliàs sæpè. De equitatu, & equis igitur Salomonis Regis, & curribus bellicis, alijsque rebus gestis, & domesticis, scribit etiam, & suffragatur Iosephus Iudæus lib. 8. de Antiquit. Iud. cap. 2. Sic enim ibi scribit: Cūq; Salomon iam Regnum haberet firmū, punitis omnibus inimicis, vxorē duxit filiam Pharaonis Regis Ægyptiorū, & adificatis muris Hierosolymorū multo potioribus, atq; munitioribus, quàm primitus existebant, de cætero maxima gubernabat pace Imperiū, in nullo periuuentutē circa iustitiam, legūmq; custodiam, aut paternorū memoriam mandatorū minor existens: sed cuncta quæcumque ætate prouecti sapientiāq; perfecti faciunt, cū in-

tegritate præcipua celebrabat, &c. Deinde postea inferius subdit: Tantā vero multitudinem curruū habuit Salomon, vt quadraginta millia præsepia equorū subiugaliū essent. Et præter hos duodecim millia equites, quorum medietas quidem Regem in Hierosolymis obseruabat: reliqui verò per vicos regiois dispersi manebant, &c. quæ sequuntur. Quare mirum non est, si ille in præsentiarū istiusmodi similitudine, etiam in carmine amatorio, & nuptiali vtatur, comparādo scilicet suos amores, id est, amicam, & Sponsam suā, quam vnice amabat, equitatu suo, & curribus suis bellicis, vel etiam curribus Pharaonis Regis Ægyptiorum soceri sui, qui laudatissimi, & celeberrimi erant. Equitatus enim, vt ex ipsa rerum experientia constat, & confitentur omnes, qui de re militari, seu bellica scripserunt, præcipuum robur, & vires belli existit, atque melior pars, & firmior est totius exercitus. Currus autem bellici, quibus olim vtantur antiqui, & quales præsertim erant currus isti Salomonis, vel Pharaonis Regis, instrumenta erant bellica firmissima, & potentissima, è quibus pugnare armati solebant, vt constat ex historia sacra, atque pro-

A phana. Iam ex his omnibus apparet gratia, atq; elegantia, atq; etiā veritas, & proprietas huius comparationis, & similitudinis, qua Salomoni in persona Sponsi amicam suam, id est, amores, & delicias suas cōparat equitatu suo in curribus Pharaonis. Hyperbole enim, seu amplificatio est elegatissima, talēq; sensum habet, quasi dicat Sponsus amplificando amorem suum erga Sponsam, vel potius mutuūm vtriusq; inter se amorem: Equidem, o Sponsa charissima, vt primum te vidi, totum me penitus tibi deuinxisti, & planè animum meum quasi expugnasti eximia specie, & pulchritudine tua; vsque adeò fortiter, & vehementer, vt non minùs fortis, & potens mihi esse videaris in amore, quam equitatus ille meus iunctus currib⁹ Pharaonis fortis, & robustus est in bello ad pugnandum, & vincendū, & profligandum populi Dei hostes. Quia imò fortior, & valentior mihi esse videris ad pugnam, atq; victoriam, nè dicam triumphum. Ad hunc sensum videtur hęc dicere Sponsus, Equitatu meo, &c. Neque enim minus bellica est illa altera comparatio, qua vtitur idem Sponsus inferius cap. 6. cū ait: Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora

confurgens, pulchra ut Luna, & electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. Neque etiam minus hyperbolica, & emphatica est illa alia, quae idem Sponsus utitur Cant. c. 4. ubi ita Sponsam alloquitur: Vulnerasti cor meum, soror mea, Sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Ut omittam alias comparationes, & similitudines, quibus Sponsus passim utitur in laudibus Sponsae. Totum in Canticum istiusmodi hyperbolicis, metaphoris, & parabolis plenum est. Syri enim, & Palestini, in quibus numerantur Hebraei, tam ex rebus naturalibus, quam civilibus, & bellicis, atque ex arte factis, multa ad mores duxerunt, ut animaduertit D. Hier. Com. in Matt. c. 18. ubi sic ait: Familiare est Syris, & maxime Palestinis, ad omnem sermonem suum parabolis iungere: ut quod per simplex praecipuum teneri ab auditoribus non potest, per similitudines, exemplaque teneatur. Haec Hierony. In quo quidem genere, nempe aenigmatum, & parabolarum, praesertim excelluisse videtur Salomon Rex auctor huius Cantici, quippe qui (ut testatur sacra historia 3. Reg. cap. 4.) tria millia parabolarum scripsisse dicitur. Quemadmodum etiam refert Ioseph. lib. 8. an-

tiq. Iud. c. 2. ubi inter alias laudes Salomonis Regis ita scribit: Tanta itaque Deus praebuit Salomoni sapientiam, ac prudentiam, ut etiam homines antiquos excelleret: & nec Aegyptijs, qui sapientia omnibus differre videtur, comparatus vel modicum minor esset, quorum utique multum nimis sapientiam praecedebat, &c. Deinde ita subiicit: Composuit autem & libros de Canticis, & modulationibus quinque, & mille: & parabolarum, & similitudinum fecit libros tria millia, per unum quodque enim arboris genus parabolam dixit ab hyssopo usque ad cedrum, &c. quae sequuntur in eand. sentent. Itaque mirandum non est si in praesentia istiusmodi comparatione sumpta ex re bellica, per amplificationem in laudem Sponsae suae utatur, ad persuadendum scilicet, & commendandam eximia eius pulchritudinem, qua ab illa captus est, & victus, perinde atque in bello vincit numerosus, & robustus, aliquis equitatus, & currus bellici inter se coniuncti.

Neque enim mihi placet sententia eorum, qui opinantur, propter ambiguitatem scilicet vocis Hebraicae, Salomonem comparare hanc Sponsam suam equae cuidam curuli lectissimae, & pulcherri-mae, qua etiam praedelijs utebatur in agitatibus curribus Pharao-

nis. Videtur enim haec comparatio valde esse humilis, & triuialis, ut ne dicam inepta, & impropria, vel potius exquisita, & imaginaria. Quamuis non sit diffidendum iam olim hoc genus equarum in pretio, ac deliciis habitum fuisse a magnis Regibus, & Principibus: quemadmodum ostendit Herodotus lib. 7. qui Polimnio inscribitur pag. 222. ubi ait Xerxem Regem Persarum istiusmodi equis delectatum fuisse, praesertim Thesalicarum, eo quod in Thesalia optimas Graecarum equas esse audiebat. Pro qua re facit etiam Oraculum Pythij Apollinis, qui rogatus a Megarensibus quinam essent Graecorum praestantissimi, tale responsum ab eo tulerunt: Thesala equa praestat reliquis, mulierque Lacana. Vide Adagium, Megarenses neque tertij, neque quarti. Sed prior intelligentia melior est, & grauior, & verior, pro qua valde facit etiam locus quidem elegans, qui est apud Platonem in Symposio, vel de Amore, Orat. 2. pag. 290. ubi inter alias amoris laudes, prerogatiuas, & proprietates, hanc ponit praecipuam, quod potentissimus, & fortissimus sit, atque etiam ipso Marte, id est, Deo bellatore, & auctore belli fortior. Sic enim ibi

ait: Quod ad fortitudinem praeterca attinet, neque Mars equidem amori resistit. Neque enim Mars amorem, sed amor Deum amoris (ut fertur) Martem detinet. Potentius autem est id quod detinet, quam id quod detinetur. Qui vero ceterorum fortissimo dominatur, omnium absque dubio fortissimus iudicandus est. Haec enim Plato. Quinimò vnus ex Dei vehementer amantibus, id est, Bernard. ser. 65. in Cant. super illis verbis, Capite nobis vulpeculas paruulas, &c. non minus eleganter, sed etiam magis, de eximia diuini amoris potentia & fortitudine, simul atque praestantia, & suauitate, ita scribit: O suauitatem (inquit) o gratiam, o amoris vim! Itane summus omnium, vnus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis necius, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo Amor. Qui tamen tam violentum? Amor est. Quae ista vis, quae ista tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique semetipsum exinanuit, ut scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa est, quod altitudo adaequata est, quod singularitas associata est. Haec Bernard. Quo sensu etiam Boetius

lib. 2. de Consol. met. 8. congruenter, & pulchrè ait Amorè cælo imperitare: Et cælo (inquit) imperitās amor, &c. Quid multa? Nam Sponsus ipse inferius ore suo affirmat, Fortis est vt mors dilectio. Satis superque à nobis dictum est super his verbis Sponsi, Equitatu meo, &c.

Murænas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.

Vermiculatas argento, id est, distinctas argento, ad maiorem gratiam, ob varietatem, vt Cant. cap. 5. Venter eius eburneus distinctus sapphiris. ^C Sensus est. Faciemus tibi murænas aureas, ita subtiliter vermiculatas, ac diligenter diuersis animalium argenteis figuris artificio, ornatuque, vt opus materiam superasse meritò dici possit. Nullum est autem opus, quod magis oculos oblectet, quàm opus vermiculatum, propter eximium artificium, valorem, & præsertim varietatem. Varietas enim est iucunda. Itaque in vestitu, & supellectile, varietate præsertim delectamur. Magis autem varium in quo alia sunt similia, alia non sunt, sic abacum argento ornari videmus, vt alia paria sint, alia dispa-

ria, vt inquit, & manifestis exemplis ostendit Varro de lingua Latina lib. 8. Id quod maximè videre est in mundo muliebri, ac dote vxoria & apparatu nuptiali, de quo sermo est in præsentiarum, iuxta illud Regis Prophetæ in altero Epitalamio, id est, carmine nuptiali, nempè in Psal. 44. vbi ita congruenter alloquitur Sponsum inquit: Astitit Regina à dextristuis in vestitu deaurato, circumdata varietate, &c. Vnde etiã in historia vera de vita Agnetis virginis Romanæ, & martyris, & nobili genere, congruenter legimus quemadmodum illa ad filium vrbis præfecti, qui eius amore captus erat, & nuptias magnopere cupiebat, atque etiam istiusmodi dona, & munera, immensâque diuitias, & opes eisdem pollicebatur, & offerebat; tamen pro amore Sponsi diuini, cui iam desponsa, dicata, & consecrata erat, ita respondit: ^D Discede à me, nam multo te nobilior, ditiórque Sponsus subarravit me: qui cum sit Rex cæli, & terræ, aureo vestitu ornauit me, & aures meas decorauit insignibus margaritis, & collum monilibus, atque fulgentibus gemmis. Sic enim illa respondisse fertur iuxta morem Sponsarum, id est, nouiter nupta-

rum, atque etiam iuxta ingenium mulierum, quæ plurimū, atque etiam plus nimio istiusmodi rebus delectantur. Vnde & Valerius Maxim. lib. 9. cap. de luxuria & libidine, memorabile refert exemplum de abrogata lege Oppia, quæ lata fuerat olim tempore belli punici 2. ad coercendam mulierum luxuriam. ^B Sed tamē ibidem prudenter, & modestè sic admonet Author, nempè mulieres excusari mentis imbecillitatē, & grauiorum operum negata affectatione: quam ob rem omne studium ad curiosiorem sui cultum illis permitti. Sic ille. Et quid rectè: nam ob hanc rationem, & hoc ^C sensu fortè etiam Petrus Apost. 1. Petri cap. 3. viris præcipit vxoratis, vt quædam permittât, & indulgeant vxoribus honoris, & amoris causa, ob sexus infirmitatem. Sic enim inquit: Viri similiter, cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri imper-

174
que tamen hæc res se habeat, nihilominus Sponsus morem, & decorum carminis nuptialis, & amatorij hinc seruat, dum Sponsæ suæ tanquam nouæ nuptæ, pro sua dignitate, & simul maxima charitate, ac liberalitate, & nuptiarum consuetudine, murænas aureas vermiculatas argento pollicetur, id est, ^B varias: quo scilicet sic magis istiusmodi munere pretioso delectetur, propter insignem scilicet varietatem, & nouitatem. Varietas enim (vt dixi) in certis quibusdam rebus, cuiusmodi est muliebris ornatu, & vestitus, per se iucunda ^C est: non ideo tamen per omnia placere, aut probari debet, præsertim verò in ijs, quæ pertinent ad veram sapientiam, aut pietatem, id est, diuinam religionem. In ijs enim rebus nouitas antiquitati plerumque cedit. Veneramur enim plerique omnes quasi natura duce, & quid maximè, antiquitatem, & consuetudinem, id est, morem, exemplumque maiorum, id est, Patrum antiquorum. Vnde illud apud Platonem in Timæo, l. de natura, vbi refert illa verba sacerdotis Ægyptiorum cuiusdam natu grandioris ad Solonem Atheniensem, qui eum sapientia causa, consulebat: O Solon

Solon, vos Græci semper estis A pueri, ne quisquam è Græcia senex est. Cur autem istud duceret percontante Solone, respondisse sacerdotem: Quia iuuenis semper vobis est animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione, prisca opinio, &c. quæ sequuntur apud Platonem.

Cæterum videri potest fortè in his verbis Sponsi ænigma esse, quo significatur dandam esse operam iis, qui serui boni ac fideles Sponsi dicuntur, & sunt, vel etiam amici nominantur, vt bona, seu munera naturæ, & gratiæ, hoc est, talenta sibi diuinitus tradita, quantum in ipsis est, semper augere, & multiplicare, atque superlucrari conentur, iuxta illud Matth. cap. 25. in parabola decem talentorum, vbi legimus eum, qui quinque talenta acceperat, ita dixisse: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait D Dominus eius: Euge, serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui, &c. Quin etiam ænigmaticè illud fortè significatur his verbis, nempè bonum naturæ, quantum uis aliàs præstans, & præclarum, laudabile, & com-

mendabile, & quasi aureum fir; tamen per se solum sine additamento, id est, dono, aut munere gratiæ. parui, aut nullius momenti, seu meriti esse apud Deum. Sordet enim planè natura sine gratia, vt rectè, & eleganter ait D. Prosper epist. de libero arbitrio ad Ruffinum. Et Philo Iud. lib. de migratione Abrahæ tom. 1. pag. 340. congruenter sic ait: Nam si quid anima ex se ipsa parturit, plerumque abortiuum, & immaturum gignitur: è diuerso autem integrum, absolutumq; quidquid in eam diuinitus impleuit. Quo sensu Greg. Nissen. lib. de hominis opificio cap. 30. in fine, sic etiam ait: Per peccatū quasi mutilata natura est, &c. Deinde ita subiicit: Age igitur, reuertamur omnes ad illam diuinā gratiam, &c. quæ sequuntur. Siquidem natura opus est creatoris, gratia verò munus est redemptoris, vt rectè, & scitè inquit D. Ambr. lib. de Ioseph. ca. 11. Consentanea quæ scribit idè D. Ambros. etiam alibi, id est, epist. 84. Nihilominus tamen hæc Sponsi verba propter ambiguitatem, quia scilicet valde ænigmatica esse videntur, ideo alias multas, & varias allegorias, seu allegoricas interpretationes patiuntur. Nam D. Greg. lib. 2. scripturæ hæc Sponsi verba refert

fert, aut certè referre videtur, A cum inquit: In intellectu sacre script. respui non debet quidquid sanæ fidei non resistit. Sicut enim ex vno auro alij muranulas, alij anulos, alij dextralia, & ornamentum faciunt; ita ex vna scripturæ scientia Expositores quique per innumeros intellectus quasi varia ornamenta componunt, quæ tamen omnia ad decorem cælestis Sponsi proficiunt. Hæc ille. Quo sensu etiam D. Hieronym. epist. 22. ad Eustoch. de custodia virginitatis, congruenter, & eleganter ait: Margarita est sermo Dei, & ex omni parte perforari potest, &c. Alij verò referunt hæc ipsa verba ad benevolentiam, & beneficentiam, seu bonitatē Dei infinitā, quā multifariè, & multis modis in nos exercet. Alia super alia beneficia in nos cōferendo, quasi verò nihil aliud stude- ret, aut cogitaret, nisi hoc tantum, quomodo scilicet homines nouis semper beneficiis afficeret, & cumularet, atque magis & magis eos sibi obligaret. Quo sensu dixit Rex Proph. in Psal. 15. Mirificauit omnes voluntates suas in eis. Vbi per voluntates suas omnes, congruenter interpretari solēt veteres Theologi, & SS. Patres, multa, & varia munera, eadèmq; pretiosa

gratiæ Dei erga homines, præfertim verò electos, & pios suos. Sic enim interpretatur D. Aug. epist. 59. ad Paulinum. Eodèmq; ferè modo interpretatur D. Hierony. locum illum Psal. 39. Et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi: subintelligit enim, Pro nobis, id est, pro hominibus, & in gratiam hominum. De istiusmodi Dei, seu diuini Sponsi pro nobis cogitationibus, intelligit etiam, & loquitur ipse Rex Proph. alibi, nempè in Psal. 76. cum ait: Et in adinventionibus tuis exercebor. Cogitationes enim Dei illas tam exquisitas, & mirabiles circa hominum salutem, ad inuentiones Dei appellat eleganter, propter eximiam excellentiam, & multiplicē earum varietatem, & nouitatē. q. d. Cogitationes raras, curiosas, ingeniosas, subtiles, & salutare, atq; etiā varias, quales quid erant, muranulæ illæ, quas dotis nomine Sponsus in præsentia largiturum se esse pollicetur Sponsæ suæ charissimæ in typo Ecclesiæ. Iuxta illud Isai. cap. 61. vbi sic ait: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, indumento iustitiæ circumdedit me, quasi Sponsum decoratum co-

rona, & quasi Sponsam ornata monilibus suis, &c. Quibus quidem verbis videtur Itaias in persona Ecclesiae nouae, laetitia exultare, gaudere, & congratulari sibi ob spem promissionum Dei, & beneficiorum, quae per Christum nobis collata sunt. Quo sensu ait etiam Petrus Apost. 2. Petri cap. 1. Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri, qui vocauit nos propria gloria, & virtute, per quam maxima & pretiosa nobis promissa donauit, &c. Prudenter autem, & proprie Petrus Apost. Istiusmodi ornamenta, & dona, seu beneficia per Christum Dominum exhibita Ecclesiae, promissa vocauit, & quidem pretiosa: quoniam tantummodo promissa erant Synagogae olim per Prophetas, necdum etiam exhibita ante aduentum Christi, per quem vera haec nobis collata sunt, iuxta illud Ioan. cap. 1. Lex per Mo-

A Spōsi verba referret ad maxima illa, & pretiosa beneficia, & dona, seu ornamenta, quae Deus pater per Christū filium suum se largiturum Ecclesiae suae iam olim tanto tempore antea in sermonibus Prophetarū etiam atque etiam promiserat. Cui sententiae videtur etiam suffragari D. Hilanus comm. in Psal. 64. super illis verbis, Replebimur in bonis domus tuae. Sic enim ibi ait: Et quidem inter bona domus, quae sint possumus aestimare Ecclesiae scilicet munera, quae secundum multiplicem fructum Christus indulgit, quia & ipsa secundum Apost. domus Dei est. Vt scias, inquit, quemadmodum oportet in domo Dei diuersari, quae est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis. Haec enim habet tricesimum, sexagesimum, centesimumque fructum. His ergo bonis domus Dei fides credentium explebitur, quae interim donorum diuisionibus adornatur, sicut scriptum est. Huic ergo datur sermo sapientiae, alij verò scientiae, alij fides in eodem spiritu, alij dona sanationum, alij genera linguarū, alij interpretatio sermonum. Veruntamen sunt & alia plena, & perfecta domus Dei munera nequaquam natu-

ris carnalium sensuum aestimanda. Nouit haec usque ad 3. Calum Apostolus raptus, & praedicat dicens: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparauit Deus diligentibus se, &c. quae sequuntur. Hūc igitur fortasse pertinet, & referendum est id, quod Sponsus in praesenti loco (subobscurè licet) muranulas aureas vermicularas argēto, quasi nouae nuptae, & dotis nomine; Sponsae suae se facturum, seu daturū pollicetur: siue haec dona ad animam, id est, ad hominem internum, siue etiam ad corpus, id est, ad hominem, & apparatus externum pertineant. Vtrōque enim modo Ecclesia magna, varia, & pretiosa dona, seu munera, & ornamenta à Christo Sponso suo charissimo, & indulgentissimo proculdubio accepit, ut patet manifestè ex ipso rerum euentu. Vnde Gennadius Patriarcha Constantinop. c. 5. Defensionis pro sancta, & oecumenica Florentina Synodo sess. 4. pa. 117. loquens de bonis externis, id est, diuitiis, & opibus, siue auro & argēto, quibus Ecclesia Christi Catholica aliquādo abundauit, hodiēque etiam in quibusdā locis abundat, & redundat, ita ait: Itaq; Ecclesiae cōtigit, ut

A Sponso eius Christo, scilicet inopem esse genitā ex infructuosa Iudaeorum Synagoga, paulatim vero effectā diuitē, ex aqua videlicet, & spiritu: nunc autem opulentem, magnamque potentiam consecutam. Haec ille. Neque abluere seu abhorret ab hac intelligentia, Si dicamus etiam in his verbis Sponsi esse allusionē aliquam ad pretiosam supellectilem, & aurum, atque argentum copiosum, quod Hebraeorū Synagoga, seu Ecclesia Israelitica iussu Dei abstulit in exitu suo de Aegypto. Iuxta illud Sapient. ca. 10. vbi de hac re ita scriptum est: Et reddit iustis mercedem laborum suorum, &c. Super quibus verbis lege Lorinū com. in Sap. ca. 10. & alios Interpretes Catholicos. Vide etiā ad pleniorē scilicet horum Sponsi verborū, cum dicit Sponsae suae, Muranulas aureas faciemus tibi, &c. B. Isidor. Pelusiota lib. 2. epist. 53. & item lib. 3. epist. 408. ad Zenonem, vbi deplorās Ecclesiae sui temporis statū, ita inter cetera scribit: Etenim (inquit) pacis quidem nomen ubique est, res autē ipsa nusquam. Verū Ecclesia foemine cuidam, quae ex antiqua felicitate excedit, atque signa tantum habet, similis est. Ornamentorū enim suorum thecas, & arcusulas habet,

opibus autem spoliata est, non A ob eius, qui eam primo exornauit, incuriam, ac negligentiam: sed ob eorum, qui non, vt conuenit, res administrant, improbitatem, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam conquerendo, & lamentando sui temporis Ecclesiæ statum, vel potius calamitatem, vt ita dicam. Cæterum B ratione, & mysterio non caret, quod Sponsus, dum ait, Faciemus tibi quodammodo te se authorem, & inuentorem facit huiusmodi murænullarum sponsalium, seu nuptialium: quod est argumentum summi amoris. author enim operi dignitatem, & prætium affert: vt patet ex illo loco Exod. cap. 31. vbi scriptum est: Deditque Dominus Mosi in monte Sinai duas tabulas testimonij lapideas scriptas digito Dei. Et alias sæpè. Vnde etiã Poëta Latinus lib. 8. Æn. in laude Clypei Æneæ posuit, quod mulciber ipse author Clypei esset. Et item Ouid. metam. lib. 2. D Solis regiam describens, inquit: *Materiam superabat opus: Nam mulciber illic Aequora celarat medias cingentia terras.* Pro qua re videndus etiam Arist. lib. 9. ca. 7. vbi ait: Magis, n. vnusquisque proprium amat opus, quam ipse ab opere amaretur si

animæ particeps esset. Maximè verò forsitan hoc circa poëtas accidit. Hi namque sua diligunt poëmata supra modum, & perinde atque filios amant, &c. Cui suffragatur etiam Plato dialog. 1. de Repub. post princip. vbi iisdem propè verbis vtitur, quibus & Arist. Denique etiam illud ratione, & mysterio non caret, quod Spōsus, cum sit vnus, singularis, & solus, verbo tamè plurali potius quàm singulari, hoc loco vsus est, vt aliàs notauimus. Non enim dixit, Murænullas aureas faciam tibi, sed, Faciemus tibi. Fortè ad insinuandum magnū, & ineffabile trium diuinarum personarum sacramētum, id est Trinitatem illam simul & vnitatem beatam Patris, & Filij, & Spiritus S. Quomodocumque tamen hæc res se se habeat, Christus verus Dei filius est, atque, etiam verus Deus. Id quod etiam atque etiam fideliter confitendum est: quem admodum eleganter confirmat, & constanter quidem ex nostris grauis Author & antiquus, id est, Arnobius lib. 2. contra gent. pag. 87. vbi sic ait: Et ideo Christus licet vobis multis, Deus (Deus, inquam, Christus.) hoc enim sæpè dicendum est, vt infidelium dissiliat, & dirumpatur auditus, &c. Sic ille.

Dum esset Rex in accubito suo, nardus mea dedit odorem suum.

Hoc in loco Sponsus à sacro Authore, imò ab ipsa sua Sponsa, Rex appellatur, cum ait: Dum esset Rex in accubitu suo, &c. Et quidem iure optimo sic appellatur, siuè per Regem B historicè ipsum Salomonem; siuè potius iuxta allegoriam, Deum Opt. Max. siuè denique Christum Dei filium intelligamus, qui Regum omnium Rex est, & cui omnes Reges terræ parere, & seruire piū est, vt habetur Can. quæ contra. 8. dist. Idque potiore ratione, quàm C Salomoni Regi. Multo plus enim quàm Salomō hīc, vt ipsemet affirmat Matth. cap. 12. Cæterum quoniam in præsentiarum sermo est de Sponsi accubitu; sciendum, & obseruandum istud est, iam olim apud antiquos, præsertim apud Romanos, vxores ad conuiuia etiam D adhiberi solitas. Cubantibus enim viris, sedere solite sunt primo tempore, postea etiam accubare cœperunt. In accubitu autem illis mos erat, vt scilicet recumberent in sinu virorum: vt docet Lipsius Com. in Cornelium Tacit. lib. 7. num. 10. & num. 98. vbi loquitur de accu-

A bitu, seu discubitu inter conuiuas. Quem morem exprimit Iuuenalis ita inquiens:

Sed & gremio iacuit noua nupta mariti.

Quasi verò inter solemnia nuptiarum esset præcipuū, vt Sponsa, seu noua nupta, in sinu, aut gremio mariti accumbentis recumberet. Quo sensu alter etiã Poëta prophanus, id est, Catullus, ita loquitur:

*Aspice intus vt accumbans
Virtus Tyrio in thoro
Totus immineat tibi.*

Interior enim erat maritus respectus Sponsæ, quam alloquitur poëta. Suffragatur his Apuleius, qui loquens de nuptijs Psyche puellæ, sic ait: Accūbebat summum thorum maritus, &c. quæ sequuntur. Debemus ergo per reticentiam hæc Sponsæ verba intelligere, præsertim de accubitu Sponsi coniuiali, nuptiali, & regali, cui ipsa inerat, & pars magna erat, spargens de more gentis pretiosum, & optimum nardi vnguentum supra caput Sponsi, præ delicijs, ad consiliandam etiam sic magis gratiã, & charitatem Spōsi, & lætitiã conuiuiarum. Orientales enim, in quibus erant Hebræi, in omni vitæ consuetudine, tum sacrata, tum profana, maximèque conuiuando, oleorum aromati-

corum, seu vnguentorum suauolentium usum frequentaerunt, balsami præsertim, vt Author est Plinius lib. 12. cap. 25. & item lib. 16. ca. 32. Inter alios autem Orientales, Hebræorum Regio oleorum erat abundantissima (vnde & terra olei cognominatur:) Ideoq; vnguentis varijs vti solebat. Quemadmodum ijs eleganter exprobat Hamos Propheta cap. 6. (Sed dolenter, & cum indignatione tamen) dicens: Væ vobis, qui opulenti estis in Sion, qui dormitis in lectis eburneis, qui canitis ad vocem psalterij, bibentes vina in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super cōtritione Ioseph. Ha& ille. Et Ezech. cap. 27. Iuda, & terra Israël, ipsi institores tui in frumento primo, balsamum, & mel, & oleum, & resinam proposuerunt in nundinis suis. De vnguentorum etiam vsu, & ambitione in conuiujs apud Romanos solēnibus narrat Plutarch. Othonem Imperatorem disposuisse in triclinijs præ delicijs varijs in locis, argēteos, atq; aureos canales initar aquæ vnguenta fundentes. Simile etiam quippiam de Nerone Cæsare Suetonius cap. 31. in vita ipsius. Ex quibus omnibus iam facile patet, quid sibi velit

A Sponsa, cum hîc quasi gloriantur, congratulando, & triumphando ait: Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.

Pro allegoria autem, atque mysterio horum verborū, operpretium fuerit legere, quæ scribit D. Ambr. Com. in Psal. 118. cuius initium est, Beati immaculati in via. Exponens enim tertiam litteram, inter cetera sic ait: Cum venisset Christus ad oues perditas Israël, non habebat vbi caput suum reclinaret. Nunc autem redolet iam fides. Ideoque dicit Ecclesia: Nardus mea dedit odorem suum. Fragrat vnguentum gratiæ ex quo virgo generauit, & dominus Iesus sacramentum incarnationis assumpsit. Ha& D. Ambr. Videndus quoque erit super hac re Clemens Alex. Pedagog. lib. 2. cap. 8. vbi multa, & pulchra affert pro allegoria istorū verborum Spōsæ, quorum pleraq; ad mores nostros cōmodè referri possunt, & debēt. Inter alia autē sic de vnguētis, seu vnguentorum vsu scribit: Scio (inquit) quod cum vnguēti alabastrum ad sanctam canam mulier attulisset, vnxit pedes Domini, & eum delectauit. Scio etiam veteres Hebræorum Reges, auro, & lapide pretioso ornata gestaf-

se diademata. Sed mulier quidē verbi nondum fuerat particeps (erat enim adhuc peccatrix) eo autem, quod apud se esse pulcherrimum existimabat, nempe vnguentum, honorauit Dominum, atque etiam ornamento corporis, nempe capillis suis, absterfit vnguentum quod redundabat; libans Domino lacrymas poenitentiae, propterea eius peccata remissa sunt, &c. Deinde postea inferiùs: Porro autem homines vtuntur etiam vnguento ex lilijis, & vnguento cyprio, & nardus apud eos est in maximo pretio, vnguentū quoque ex rosīs, & alia, quibus vtuntur mulieres, & humida, & sicca, & quæ asperguntur vnguenta, & quibus fiunt suffitus. In dies enim ab eis noua excogitantur, vt inexplebilem cupiditatem boni odoris infatibilitate expleant. Quocirca nimiam quādam decori, pulchrique curam redolent. Quamobrē rectè mihi videntur nonnulli, cum egre ferant tantum studiū in vnguenta cōferri, vt vel virilitatem ipsam effœminarent; & eorum artifices, nempe vnguētarios, à ciuitatibus, quæ bonis legibus, & institutis reguntur, expellere. atque adeo ipsos etiā floridarum lanarum infectores. Nefas est enim vestes dolosas, & vnguen-

A ra in ciuitatem veritatis ingredi. Oportet autem viros in primis apud nos vnguēta non olere, sed vitæ probitatem. Spiret autem foemina Christum, qui est regalis vnctio, non vnguenta, & diaplasmata. Diuina autem semper vngatur pudicitiae vnctione, sancto delectata vnguento, nempe spiritu. Suauis enim odoris studium est escotij, & mollitiei, quæ ad libidinofam, & intemperantem cupiditatem paulatim attrahit. Voluptas autem, cui nulla accedit utilitas, meretriciorum est, morum opprobrium, & medicamentum ad prouocandum, &c. quæ profœquitur in eādē sententiam ibi valdè accommodatè. Consentaneus, de superuacaneis odoribus, & vnguentis, est apud Apuleo in Asclepio fine, vbi etiam ita per amplificationem alloquitur: Mercurius Trimegistus, Sacrilegij, inquit, simile est Deo, Reges thus, atque cætera incendere. Nihil enim ei deest, qui ipse est omnia. Hæc enim sunt summæ incensiones Deo, cum ei aguntur gratiæ à mortalibus, &c. quæ sequuntur. Quibus verbis nō vult Trimegistus (si diligenter attendamus) sacrilegiū esse cum Deo thus, atque cætera huiusmodi incēdimus: sed potius, & maxi-

mè offerendas esse Deo gratiarum actiones, & preces, & pias actiones, quarum rerum symbolum est thus, quod Deo offerimus. Vnde Apoc. cap. 5. Viginti quatuor seniores habentes phialas auri denas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, cecidisse coram Agno, &c. Et item Apoc. cap. 8. similiter legimus, nempe, in hunc modum: Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum: & ascendit fumus aromaticum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo. Ex quibus verbis Ioan. Apost. manifestè constat istiusmodi incensationes, quibus Ecclesia in sacris vtitur, atq; etiam olim summus sacerdos in lege Mosæ passim vtebatur, symbolum esse orationum, siue precum, & gratiarum actionum, quibus præsertim Ecclesia Dei in Templis vtitur, iuxta illud Psal. 140. vbi Rex Proph. ita conuenienter Deum precatur: Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pro qua re legendus erit Dionys. Ariop. lib. de diuinis

nom. cap. 3. & Orig. lib. 5. contra Celsum Philosoph. Quinetiam D. Bernard. ferm. 7. in Cant. & item in sermone de sancto Michaële, vt omittam alios complures.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.

NON dixit Sponsa, Fasciculus nardi, rosæ, aut myrti: sed potius, Fasciculus myrrhæ, id est, quasi olfactorium quoddam ex myrrhæ electa, & optima compositum. Ideo fortè, quia myrrhæ symbolum mortis, seu mortalitatis in sacris litteris est, Ioan. cap. 19. vbi sermo est de sepultura corporis Christi iam mortui, cum mixtura myrrhæ & aloës, iuxta morem Iudæorum, vt admonent veteres Theologi. Verbum enim Dei, licet suapte natura ab interitu, & corruptione omnino sit alienum; nihilominus tamen postquam caro nostrafactum est, naturamque humanam induit vel potius assumpsit, mortale etiã quodammodo factum est. Christus autem Dominus secundum quod homo non solum mortalis, sed etiam patibilis, atque per omnia similis nobis factus est, vno peccato excepto: quamuis secundum quod verbum omnino immortalis,

talis, & impatibilis sit. Vnde inter alia munera, quæ ei recens nato Magi obtulerunt, vnum præcipuè fuit myrrhæ, tanquam symbolum, & argumentum mortalitatis à Verbo assumptæ. Atque proinde nihil prohibet, quominus dicamus Spôsam his verbis tanquam gratam, & memorem, in persona Ecclesiæ, vel etiam animæ perfectæ, ænigmaticè, & parabolicè ita hinc loqui, quasi dicat planè: Ego vero perpetuò memor ero tati istius beneficij, id est, mortis viuificæ, & salutaris Sponsi mei, quippe qui vsq; ad eò me dilexit, vt non dubitaret etiã mortem turpissimam, id est, mortem crucis libenter oppetere, vt scilicet ego morte ipsius viuere, id est, vt mihi vitam, & salutem morte sua daret. Quo sensu etiam videtur dicere Paulus Apost. tanquam seruus gratus, & memor 1. Corint. 2. Non enim iudicauit me scire aliquid inter vos, nisi IESUM Christum, & hunc crucifixum, &c. Et alibi Galat. 2. ca. ait: Ego enim per legem, legi mortuus sum, vt Deo viuam, Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, &

tradidit semetipsum pro me, &c. Et cap. 6. rursus ait: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESU Christi, &c. Quinetiam hoc sensu sacerdos in persona Christi, & iuxta præceptum Christi Luc. cap. 22. in sacrosanctis, & tremendis mysterijs solemniter ait: Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis, id est, in memoriam viuificæ, & salutaris mortis meæ, quam perpetuò cogitare, seu recordari, id est, meminisse, atq; etiam commemorare debetis: præsertim verò sacerdotes, & qui sunt perfectiores, id est, animæ sublimes, virginales, & castæ, qualis proculdubio erat anima Sponsæ, & adolescentularum, quæ eam familiariter comitabantur, & sequebantur. Nemo tamen ideò opinari debet Christum Dei filium etiam nunc esse mortalem, & patibilem in Cælo, vbi sedet ad dexteram patris: sed potius immortalis, & impatibilis, atque alienum ab omni corruptione, iuxta illud Pauli Rom. cap. 6. cum ait: Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam cum Christo viuemus: scientes quòd Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non

dominabitur. Quod enim mortuus est, est peccato mortuus est semel; quod autē viuit, viuit deo, &c. Itaq; oportet, & decet vnumquemq; nostrum exemplo Sponsæ, perpetuò gratias Sponso agere pro tali, tantòque beneficio: & quantum in nobis est viuificam, & salutarem eius mortem cogitare, meminisse, ac celebrare, si volumus serui grati esse, & memores, iuxta illud Tren. cap. 3. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Cæterum quia myrrha amara est, videndus Plinius lib. 13. Nat. hist. cap. 3. vbi ex auctoritate Ciceronis affirmat in vnguētis gratiora esse quæ terram sapiunt, & seueritatem, acrimoniãque quandam præse ferūt. Satis dictum à nobis est de his verbis Sponsæ, cum per comparationem ait: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, &c. Iam deinde statim congruenter, & valde amanter subdit Sponsa.

Inter hubera mea commorabitur.

ID est, in medio corde, seu in medio cordis mei commorabitur. Propter vicinitatem enim vox (huberum) pluralis pro corde in præsentia iuxta

A circumstantiam loci vsurpatur. Quo sensu in Psalm. 39. loquitur Rex Proph. cum ait: In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Rationem enim, sapientiam, & ingenium, præsertim verò charitatem, seu dilectionem, & amorem in corde passim vulgo constituunt: vnde & cordatos appellamus prudentes. De qua re vide Adag. Corpus sine pectore, id est, sine corde. Pectus enim ob eandem rationem, qua & hubera, quia scilicet pars cordis vicina est, pro corde plerumque vsurpatur. Cor enim in medio pectoris est situm in plerisque omnibus animantibus, vt docet Aristoteles lib. 3. de partibus animalib. cap. 4. vbi differit de corde, & loco eius. Cum enim cor principium sensus, & motus vitæ sit; idcirco in medio animalis situm, & collocatū congruenter est à natura parente, vt inde scilicet vitæ, & salutem, & motum influat in reliquas partes, quemadmodum docent Physici. Pro qua re legendus etiam erit Diuus Thom. in 1. Sentent. d. 8. art. 7. & in 2. d. 14. q. 1. art. 2. denique in 1. 2. q. 45. art. 3. & alias.

Rectè ergo, peritè, & eleganter Author Cantic. hoc in loco dixit, Inter hubera mea, pro eo quod est, In medio cordis mei: quandoquidem inter hubera, seu in medio huberum est propria sedes, & locus cordis, in quo quidem fons, & origo est, vt diximus, omnis sensus, & motus, & vitæ, & denique omnium affectuum, præsertim verò amoris. Hinc est, vt quod vehementer amamus, in corde, vel potius in pectore, & sinu gestemus, custodiendum, condendumque esse dicamus, ac existimemus, iuxta illud Psalm. 118. vbi Rex Proph. sic ait: In corde meo abscondi cloquia tua, vt nō peccem tibi. Quare mirum non est, si Sponsa, id est, anima perfecta, seu Ecclesia, vnigenitum, qui semper esse dicitur in sinu Patris, inter hubera sua, id est, in medio cordis sui semper tenere, atque fouere desideret, sic quasi fasciculum myrrhæ in sinu, & complexu suo. Quemadmodum v. g. & discipulus ille dilectus in sinu, & pectore ipsius Sponsi recubuisse legitur, ceruicereflexa amantium more, vt loquitur Diuus Ambrosius. Is enim Commentar. in Luc. cap. 15. super illis verbis

A Euangelicis, Cecidit in collum eius, ita de Ioanne Apostolo scribit: Cadit in collum tuum Christus, vt ceruicem iugo exuat seruitus, & collo tuo iugum suauè suspendat. Deinde subdit: Nonnè tibi videtur cecidisse in collum Ioannis, quando erat Ioannes in sinu Iesu ceruice recubens reflexa? Et ideo Verbum apud Deum vidit, quia ereptus est ad superna, &c. quæ sequuntur apud Ambrosium. Summæ ergo fiduciæ, simul & charitatis erga Sponsum est indicium hoc, quod ait Sponsa: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter hubera mea commorabitur. Summæ quoque dignationis, pietatis, & amoris, atque indulgentiæ Sponsi erga Sponsam argumentum est, sic velle commorari, & requiescere inter hubera, id est, intra præcordia, seu in medio cordis nostri.

D Si quis autem plura pro allegoria, seu mysterio horum verborum desiderat, legendus erit Aponius lib. 3. in Cant. tom. 1. Bibliothecæ Patrum, vbi commorari inter hubera Sponsæ, & lac habere, seu bibere, vel suggere ex huberibus eius, mysticè interpretatur pro eo, quod

est paulatim, moderatè, & quasi gradatim docere, vel præcipere, quæ pertinent ad veram iustitiam, pietatem, & religionem. Exemplo SS. Apostolorum, præsertim verò Petri Principis Apostolorum, qui in 1. illo Concilio, seu conuentu, quod habitum est ab Apostolis Hierosolymis contra quosdam de hæresi Phariseorum asserentiù, quia oportet circuncidi eos, qui credebant in Christum, atque simul cum lege, & fide christiana seruare, & custodire legem Mosaicam, surgens dixit: Num ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri IESU Christi credimus saluari, quem admodum & illi, &c. quæ profertur in eandem sententiam. Nihilominus tamen Hebræorum quidam putant in istis verbis Sponsæ dicentis, Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter hubera mea commemorabitur, esse allusionem quandam ad Arcam Testamenti, quæ inter duos Cherubinos inclusa erat, qui alis suis vndique complectebantur, id est, circumdabant Propitiatorium, atque complexu suo pro-

tegebant. Quomodocumque tandem hæc allegoria sese habeat, voluntas ista Sponsæ, qua desiderat, vt Sponsus inter hubera eius commoretur, honestissima est, atque adeo congruentissima Sponsi voluntati: quandoquidem hoc ipsum Sponsus non solum cupit, sed etiam atque etiam disertè petit, rogat, & præcipit Sponsæ suæ, vt manifestè patet ex verbis illis ipsius Sponsi Cant. cap. 8. vbi sic eam alloquitur: Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio, &c. Ex quibus Sponsi verbis satis superque constat verum, & simplicem, germanumque sensum illius particulæ (Inter hubera mea) tantumdem valere, ac si diceret, In medio cordis mei. Nam (vt diximus) sedes cordis propria est inter hubera, id est, in pectore, vbi tanquam in loco suo proprio continentur: atque proinde continens pro contento accipitur, per synecdochem, cum per hubera, vel inter hubera, cor, seu medium cordis circumloquimur, siquidem inter hubera situs est cordis, vt diximus. De qua re, non abs re erit legere, quæ scribit Lipsius de Physiologica Stoicorum li. 3. c. 18. vbi disserit de prin-

cipali animæ parte, quàm Græci ἡγάμονικον, ac situ eius, & ca. 17. & cap. 18. & cap. 19. Et Alexander Aphrod. lib. de anima cap. vltimo. Præterea vidèdus Torrentius Episc. in Sueton. Tranq. de vita Neronis cap. 14. vbi differens de loco honoratiore, confitetur in primis honoratiorem inter sedendum esse latus dextrum. Nec cum per viam incederent, aliter seruabatur. Quamuis Cyrus Rex Persarum, vt Author est Xenophon in prædia Cyri lib. 8. tradat, conuiuas, quos maximè amabat, læuos sibi accumbere vellet, atque iuberet. Sed hoc peculiari quadam ratione credendus est Cyrus voluisse, tanquam scilicet cordi propiores: non autem quin dexter locus esset honoratior. Quamuis Xenophon ipse aliam reddat rationem, nempe quod læua magis insidiis noxia sit, quàm dextra. lege Adag. In sinu. Nam chariora in sinu ponimus.

Botrus Cypri dilectus meus mihi.

Altera cõparatio est amatoria similis præcedenti, cum dixit, Fasciculus myrrhæ, &c. Sed tamen, vt aliàs notauimus, vox Hebræa, pro qua vulgatus noster Latinus reddit (Cypri)

valde est ambigua, & controversa. Alij enim aliter vertunt. Sed tamen adhuc sub iudice lis est, quis melius vertat. Nihilominus quidam ex recentioribus, Tuccius Lucensis Annot. in Cant. cap. 1. pag. 91. 92. nouiter vertit pro Botrus Cypri, id est, ligustri racemus. Mihi autem hæc interpretatio minimè placet, quamuis ille suo sensu abundet. Suo ergo quisque in hac controuersia iudicio utatur. Est enim cuique suum pulchrum, iuxta vetus prouerbiù. Neque tamen dubito vocem Hebræam, pro qua noster Vulgatus reddidit (Cypri,) significare hîc aliquod genus plantæ, vel potius arboris, seu arbusculæ, cuiusmodi v.g. est balsamus, siue balsamum, quod nascitur in vineis Engaddi: quo sensu statim sequitur. In vineis Engaddi.

In vineis Engaddi.

Vox autem, Engaddi, (vt quidam volunt, significat locum, seu Regionem procul distantem à Hierusalem, id est, plusquam triginta septem miliaribus ad mare mortuum: in qua etiam volunt plantatas fuisse iam olim, tẽpore præsertim Salomonis, radices, siue arbuscu-

las balsami feraces. Quamquam A
Vinearum nomen non proprie
conuenire videatur plantis, seu
arbusculis balsami, nisi fortè per
similitudinem, vel propter vici-
nitatem, quia scilicet locus ille
vtrumque genus promiscuè,
aut etiam separatim contine-
bat, vt vinea in Hebræo sit no-
men a quiuocum, vel etiam no-
men (Botrus.) Fortè enim vox
Hebræa, pro qua vulgatus La-
tinus hîc reddidit Botrum, id
est, racemum, non solummodo
racemum, sed etiam ramum si-
gnificat, vt ita referri commodè
possit ad arbusculam balsami. Bal-
samū .n. arbuscula est propriè,
cuius succus quotannis in die
bus canicularibus ex ramorum
eius fissuris egreditur, vt quidā
volunt. Plinius quoque hunc
succum omnibus odoribus præ-
fert. Quamuis Auicena scribat
hanc arborem, siue arbusculam
Ægyptiam esse, & nasci tan-
tummodo in loco, qui dicitur
Solis oculus. Sed Auicena lo-
quitur de ætate sua, & tempori-
bus barbaricis, iuxta vulgi opi-
nionem. Nam re vera hæc bal-
sami arbuscula propria, & fami-
liaris fuisse videtur terræ Palæ-
stinæ, seu terræ Israeliticæ, quā
vulgo appellant terram San-
ctam: præsertim verò ætate Sa-
lomonis Regis, vt apparet ex

vno loco Ezech. cap. 27. Nihil-
ominus potuit postea tempo-
ris transplantari in terram Ægy-
pti. Pro qua re legendus erit
Cornel. Tacit. lib. 5. nu. 16. & ibi-
dem Lipsius in annot. ad Corn.
Tacit. Tunc autem nihil prohi-
bet, pro eo quod Interpres La-
tinus vertit Botrus cypri, etiam
vertere, Ramus balsami, quæ
versio commoda, & probabilis
est: quoniam, vt diximus, balsa-
mi planta, non vitis, sed potius
arbuscula est, ramusque habet,
potius quàm racemus. Hæc di-
xerim bona venia, & gratia, non
affirmando, sed potius conij-
ciendo, propter magnam He-
braicarum vocum ambiguita-
tem. Nam videtur mihi facilis,
& probabilis hæc intelligentia,
seu interpretatio, nempe, vt pro
Botrus cypri, exponamus hîc,
Ramus cypri, id est, balsami, si-
ue alterius cuiuspiam arbuscu-
læ odoratæ. Sic enim compara-
tio qua vtitur Sponsa, erit mul-
to congruentior, elegantior, at-
que venustior, si cum ramo bal-
sami Sponsum suum etiam cõ-
parari velit, quemadmodum
iam superius cum fasciculo
myrrhæ comparauerat. Vtrum-
que enim horum tam myrrha,
quàm balsamum, res odorata, &
pretiosa est: atque proinde miri-
ficè amatoris comparationi-

bus & amplificationibus fer-
uit. Vt patet ex illo loco Eccl.
capite. 24. vbi in laudem Sa-
pientiæ, inter alias compara-
tiones, ita scriptum legimus: Si-
cut sînnamomum, & balsamum
aromatizans, odorem dedi, qua-
si myrrha electa dedi suauita-
tem odoris. Ad pleniorẽ ta-
men intelligentiam huius par-
ticulæ (Vineis Engaddi) non
abs re erit legere, quæ scribit
Andreas Masius in Iosue cap. 2.
pag. 38. vbi describit urbem Je-
rico: atque etiam per occasio-
nem meminit de montibus En-
gaddi, & item de balsamo.

*Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce
tu pulchra.*

Multum ponderis, & mo-
menti habet in laudi-
bus, & testimoniis, suffragiisq;
ferendis ad faciendam fidem,
ratio, & qualitas personæ, id est,
fides, authoritas, grauitas, & am-
plitudo. De qua quidem re ex
professo agit Cicero in Topicis
circa finem, vbi disputat de fide,
& authoritate testimoniorum.
Seneca quoque Philosophus
epist. 102. hac de re congruen-
ter, & eleganter inter alia sic in-
quit: Cùm Tragicus ille apud
nos ait, magnificum esse laudari
à laudato viro laude digno ait,
&c. quæ prosequitur in eandem

sententiam. Dignus est tamen
per se vir bonus, seu homo pro-
bus laude, etiam si à nemine ho-
minum laudetur, vt idem Se-
neca alibi testatur. Quinetiam
Apuleius in Apolog. I. pag. 202.
agens de gemino amore, id est,
humano, & diuino, eodem sen-
su sic ait: Neq; quidquam aliud
in corporum forma dirigendum,
quàm quod admoneat diuinos
animos eius pulchritudinis,
quam prius veram, & sinceram
viderunt, &c. quæ sequuntur.
Si, quis autem plura super
hac sententia, seu argumento,
de pulchritudine scilicet animi
interna, desiderat, legendus erit
præsertim Plato in Phædro, &
alias sæpè, vbi de hac re accura-
tè, & copiosè differit. Et nos
etiam aliàs multa diximus, at-
que etiam plura dicemus infe-
rius, Deo benè fauente. Nihilo-
minus tamen pudicæ mulieres
à solis coniugibus, vel Sponsis
amari, & laudari cupiunt, non
ab alienis, quorum laudes facile
contemnunt, suspectasque ha-
bent, totumque amorem suum
in Sponsi amorè transferunt, cui
soli placere debent, studèt, atq;
conantur: quamuis aliàs nimio
plus studiosæ sint formæ, & pul-
chritudinis, vt scilicet dicantur,
& sint pulchræ aut certè
pulchræ videantur. Natura

enim pulchritudinem mulieribus tribuit, sicuti viris prudentiam: quemadmodum elegantissimè indicauit Anacreon Poëta, cum ita ad lyram cecinit:

*Natura tauro cornua,
Aequo data cres ungulas,
Lepori velocitatem,
Rictum leoni dentium,
Natare verò piscibus,
Et volucris volare:
Sed & viris prudentiam,
Que feminis non funditur.
Quid ergo dat? Formositas
Pro parmulis est omnibus,
Et omnibus pro lanceis,
Ut ferrum, & ignis percutit,
Que pulchro vultu fulminat.*

Hactenus ille. Itaque in præsentiarum Sponsus ipse cuius auctoritas, & amplitudo, & reuerentia incõparabilis est, & cuius iudicium, & testimonium nec falli, nec fallere potest, Sponsam suam lectissimam, atque etiam longè pulcherrimam inter mulieres, à pulchritudine præferimus, iuxta muliebrem affectum, & ingenium, laudare non dubitat, etiam atque etiam eam pulchram appellans, cum ait: Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra.

Sufficere fortè hæc pauca possent pro historia, neque solum pro historia, sed etiam pro

allegoria: nihilominus tamen, quoniam præsens locus non solum Theologicus, sed etiam valde philosophicus est, & moralis; legendus pro hac re erit D. Irenæus mart. lib. 3. contra hæreses cap. 4. vbi inter alias laudes, & prærogatiuas Ecclesiæ nouæ, quæ propriè Sponsa Christi nominatur, & est, ita scribit: Fidem (inquiens) ab Ecclesia præceptam custodimus, & quæ semper ab spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum iuuenescens, & iuuenescere faciens ipsum vas, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam, de præstãtia nouæ Ecclesiæ. Quo sensu etiam D. Ambr. l. i. de virg. part. 1. tom. 1. laudans Ecclesiæ istius nouæ pulchritudinem, & ordinem, inter cætera sic ait: Virgo est Ecclesia, quæ nupsit, &c. quæ sequuntur. Eodemque sensu Clemens Alex. Pedagog. lib. 1. cap. 6. laudans, atque commendans mirificam Ecclesiæ nouæ pulchritudinem, sic ait: Vna est autem sola mater, & virgo. Mihi autem placet eam vocare Ecclesiam: Virgo est autem simul & mater, integra quidem, & immaculata ut virgo: amans autem ut mater, & suos accersens infantulos sancto lacte, nempe verbo infantili enutrit, &c. quæ sequuntur.

sequuntur apud Clemēt. Alex. Ad pleniorē autem cognitionem, seu intelligentiam horum Sponsi verborum, id est, ad tractandam, explicandamque, & illustrandam magis litteram, simul & allegoriam, seu mysterium, valde sunt accommodata, & apposita, quæ scribit B. Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 131. ad Lempetium Episcop. vbi inter alia sic habet: Ut corporea pulchritudinis norma mēbro- rum apta proportio est; ita etiam extrema spiritualis pulchritudinis linea in virtutum mediocritate consistit, &c. Idēque Isidor. eiusd. lib. 3. epist. 145. ad Zozimum præbyterum ait: Si corpoream pulchritudinem spectes, illud cogita præclarum hunc florem crastino die puluerem fieri: atque hodiernum ignem postera luce in cinerem labi, &c. quæ prosequitur eleganter, & eloquenter in eandem sententiam. Denique idem ipse Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 89. ad Alexand. & item epist. 174. differens de admirabili virtutis, seu honestatis pulchritudine, inter cætera ita scribit: Cæterum omnes non modo ipsius amantes, ac studiosi, verum etiam hostes, virtutem laudibus efferunt. Tanta ipsius pulchritudo est. Improbiter contra,

& hostes, & amatores vituperant, &c. quæ sequuntur. Ut omitram alios complures aucthores, & eandem finem faciam.

Oculi tui columbarum.

Columba animal est non solum simplex, sed etiam valde coniugale, & fecundum, ut testis est Arist. de animalib. lib. 6. cap. 4. vbi ait: Columbæ omni tempore pariunt, &c. Suffragatur Plin. lib. 10. Nat. hist. cap. 56. vbi hoc ipsum confirmat dicens: Columbæ marem & fœminam pariunt: priorem marem, posteriorem fœminam, &c. Quinetiam Columba pudicitia, seu castitate coniugali mirabiliter excellit, & cæteras omnes aues antestat. Plures enim columbæ in eodem simul columbario mixtim degunt, neque tamen mares aliorum conubia violant: amorem mutuum querulo gutturo, icatūque rostri ostendunt. Idēque faciunt & palumbes, id est, columbæ filuestres. Adde his, quod columba supra modum munditiam amat: vnde etiam aquis, atque odoribus mirifice delectatur, allectatur, & capitur. Ideoque columba præsertim symbolū est pudicitiae, seu castitatis, coniugalis, & mutui amoris, simul &

fecunditatis, simplicitatis, & innocentiae, & munditiae. Quare non temere in hoc epithalamio, seu carmine nuptiali, ram crebro columbarum fit mētio. Nam & ipsa Sponsa inferius Cant. cap. 5. ipsius Sponsi sui oculos similiter columbarum oculis comparat super riuulos aquarum, quæ lactæ sunt lotæ, & resident super fluenta plenissima. Sensus ergo Sponsi verborum planus, & germanus talis est, ac si diceret, alludens scilicet ad ingenium, seu naturam, & mores proprios columbæ: Oculi tui, ò Sponsa charissima, planè sunt columbini, atque tales mihi videntur propter mirabilem simplicitatem, & sinceritatem, innocētiam, pudicitiam, fidem, verecundiam, animi candorem, mūditiemque tuam singularem, quæ in te est, vt alias egregias virtutes, & dotes omittam: atque proinde non minus mihi sunt grati, chari, atque iucundi, & amabiles, quàm suapte natura videntur, & sunt oculi columbini inter aues. Aliiter enim potius Sponsa diceretur Boopis, seu Bonis, seu magnos oculos habens, quod est Iunonis Epithetō apud poetas. Itaque ænigmatica nuncupatione columbini oculi ei attribuantur. Ad hunc ferè sensum

videtur Spōsus laudare, & commendare plurimum Sponsæ suæ oculos, & quidem valde peritè, & elegāter. Imago enim animi vultus est, indices autem oculi, vt ait, & docet eleganter Cicero lib. 3. de Orat. fine. Itaque cæco prorsus animo profani poëtæ exstitisse videntur, qui cæcum Amorem esse finxerūt: quandoquidem nulla corporis pars magis seruit amori, atque etiam pulchritudini, & decori. Nam si in oculis, tanquā pretiosissima & præstātissima corporis parte, pulchritudo cōsistit, atque etiam oculis cernitur, & iudicatur, sacrilegium, & nefarium est cæcum existimare Amore, qui Deorum omnium ab illis fingitur esse pulcherrimus, & antiquissimus: vt author est Hesiodus vetustissimus poëta, qui in Theogonia, id est, de generatione Deorum, sic de amoris Deo affirmat: Ante omnia quidem Chaos fuit, atque Amor pulcherrimus immortalium Deorum. Sic ille. Rerum nāque optimarum cognitionem nobis oculi attulerunt, vt inquit, & docet Plato, vbi de eorum præstantia differit, atque passim omnes id confitemur, & experimur. Pro qua re videndus erit in primis Basil. Mag. lib. de vera virginitate non lōgè à principio, vbi sic ait:

Dux. n. & præuius, atque pronubus, vt ita dicam, oculorū iactus est, &c. quæ prosequitur eleganter in eandē sententiam. Et D. Aug. com. in Psal. 41. ait: Oculi membra carnis sunt, atque fenestræ sunt mentis, &c. Vide Adag. Medullitus, oculitus. Amantium namque proprium, & solemne est, oculum appellare, quod vnicè charū est. Vnde etiam illud Plauti in Mostellaria, vbi ait: Euge oculus meus.

Pro allegoria autem, simul & historia istorum verborum, legendus erit B. Isid. Pelusiota lib. 3. Epist. 268. ad Isidorū Diacon. vbi sic ait: Quemadmodū in corpore valentior pulchritudinis pars est oculorū pulchritudo; ita etiam in animo præcipua pulchritudinis pars est pietas. Quod si insuper etiam virtutum congruentia accesserit, tunc eximia quædam pulchritudo futura est. Sic ille. Vnde & D. Aug. lib. 10. Confess. c. 35. loquens de curiositate cognoscendi, ita de oculis philosophatur: Oculi autē sunt ad cognoscendū in sensibus principes, ideoque concupiscentia oculorum eloquio diuino appellata est. Ad oculos enim propriè videre pertinet. Vtimur autē hoc verbo etiam in cæteris sensibus, cū eos ad cognoscendum in-

tendimus, &c. Ex hoc autem euidentius discernitur, quid curiositatis agatur per sensus, quod voluptas pulchra, canora, suavis, lapida, lenia sectatur, &c. quæ prosequitur de curiositate, & concupiscentia oculorum. Obseruandum præterea hīc est (vt melius intelligamus vim, & venustatē, seu gratiam istorum Sponsi verborum, quibus oculos Sponsæ suæ columbarum oculis similes esse ait) quod scribit Eusebius Cæsariensis, lib. 8. de præparat. Euang. cap. 7. vbi in hunc modum ait: Syriæ maritima quædam ciuitas est nomine Ascalon: eò cū applicuissem, magnam multitudinem columbarum videns, admirabar. Interrogantique mihi quam ob rem eæ aues omnia penè loca illa occupabant, responsum fuit, lege apud eos columbarum vsum esse prohibitum. Sic ille. Quod quidem testimonium Eusebij valde pertinet ad cognoscendum, & demonstrandum quanta sit simplicitas, sinceritas, & mansuetudo istius auis: quandoquidem in ea Syriæ nobili ciuitate, cui nomen Ascalon, lege etiam cautum erat, Vt columbarum generi omnino parceret. Pro qua re vide etiam Adag. Mitior columba.

Ecce tu pulcher es, dilecte mi,
& decorus.

PRima statim fronte videtur Sponsa his verbis quasi omnino æqualis par pari referre, ut sic ostendat se in amore, & honore Sponso suo respondere. Nam laudata à Sponso eisdem propemodum verbis utitur in eo laudando, quibus ipsa prius **B** iam fuerat laudata. Nihilominus tamen, si diligenter attendamus, & consideremus mentem, & scopum sacri Authoris, videtur in his verbis, præsertim iuxta sensum allegoricum, & mysticum, esse quædam correctio, quasi dicat Sponsa planè: Tu me, ô Sponse dilectissime, **C** etiam atque etiam pulchram, id est, pulcherrimam inter mulieres, atque etiam totam pulchram appellas, talémque me esse iudicas, & vis. Ego verò etiam si beneficio, & gratia tua re vera, & quodammodo pulchra sim; nihilominus tamè **D** sortem, conditionémque meam, id est, naturam, & infirmitatem, atque indignitatem, simúlq; dignitatem, excellentiam, præstantiamque tuam eximiam agnosco. Ideoque hoc pulchri epitheton, ratio, & veritas, atque proprietas, tibi soli præsertim, & inaximè debetur. Tu enim verè, & propriè es ille pulcher, id

A est, per excellentiam, & summè, & incomparabiliter pulcher, atque adeo ipsum pulchrum, cuius quidem participatione, beneficio, & gratia, cætera omnia dicuntur, & sunt pulchra. Ad hunc enim sensum videtur dicere Sponsa hîc modestiæ causâ, Ecce tu pulcher es, dilecte mi. Per magna namque discrepantia est inter pulchritudinem Sponsi, & Sponsæ: quamvis amoris vis, & ratio amicitiae inter vtrumque per se ferat æqualitatem quandam in verbis, propter eximium vtriusque mutuo inter se affectum, dignationem, & reuerentiam. Ideo **C** enim Sponsa non satis habuit dicere hîc, Ecce tu pulcher: nisi etiam adderet, Et decorus. Neque ipse Sponsus vice versa satis habuit dicere in laudibus Sponsæ semel, Ecce tu pulchra: nisi etiam amoris, & honoris causâ adderet, Ecce tu pulchra, per repetitionem, iuxta illud Pauli Apostoli Rom. cap. 12. vbi præcipit, ut honore inuicem praueniamus, & quodammodo inter nos decertemus. In quo quidem certamine vinci, seu præueniri, & anticipari, turpe est: vincere verò, seu præuenire, & anteuertere, pulcherrimum. Hæc **D** dixerim, quoniam amantes vul-

gares plerumque inter se contendere solêt, quis magis amet: & vtrum is qui amatur, amanti in amore omninò respondeat. Quasi verò in hac parte vincturpe sit: vincere autem, pulchrum, atque decorum. Veruntamen valde errant, qui putant in amore, atque etiam in honore, esse oportere perfectâ æqualitatem, seu analogiam, & portionem; nullámq; prorsus esse differentiam in ratione amicitiae, & charitate, qua amici, seu amantes se inuicem amant. Est enim quædam amicitia excellentiæ, quam vocant, quando scilicet altera pars nimium excellit: qualis v. g. est amicitia inter **C** Deum Opt. Max. & hominem, vel Angelum: & item inter Regem, siuè Principem, & subditum, inter Imperatorem totius exercitus, & militem gregariû. Nam in tali amicitia specie necesse non est, ut sit omnimoda, & perfecta æqualitas rei: sed **D** sufficit æqualitas quædâ rationis, ut loquuntur Philoſophi, præsertim vero Arist. lib. 8. Æthic. cap. 7. vbi ex professò agit de amicitia in excellentia, vbi docet, atq; concludit magis amari præstabiliorem, vtilioremvè, quam amare oportere. Nam cum amatio esse debeat pro dignitate, tunc fit aliquo modo

æqualitas. Quod quidem proprium amicitiae esse videtur: alioquin non est eadem prorsus amicitia parentibus ad liberos, & Principibus ad subditos, neque patri ad filium, & filio ad patrem, nec viro ad vxorem, & vxori ad virum. Diuersa enim est vniuscumque horum virtus, ac opus: Diuersa etiam sunt & **B** ea, propter quæ amant: Diuersa igitur & amationes, & amicitiae. Sed cum liberi quidem ea parentibus tribuunt, quæ tribuenda sunt genitoribus, parentes autem filijs, quæ natis tribui debent; stabilis talium est amicitia, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam ibi Arist. Talis proculdubio amicitia in excellentia est inter Sponsam, id est, Ecclesiam, seu animam perfectam, & Spõsum diuinum, id est, Deû Opt. Max. seu Christum Dei filium. Atque proinde istiusmodi amicitia propter eximiam Dei excellentiam, alterius rationis est, etiã si propter **D** nimiam Dei Sponsi indulgentiam erga Ecclesiam Sponsam, verbis eisdem cõuenire videantur, sicuti certè conuenire videntur, cum Sponsus verbis eisdem laudat Sponsam, quibus prius ab ipsa ipse laudatus fuerat. etenim Spõsus prius dixerat: Ecce tu pulchra es amica mea,

ecce tu pulchra: Sponsa deinde A
statim respōdet eodem modo,
dicens: Ecce tu pulcher es dile-
cti mi, & decorus. Quasi verò
re ipsa nulla inter vtrumque ef-
set differentia, sed omnimoda,
atque perfecta esset æqualitas,
id est, analogia, seu proportio,
vel ratio, seu dignitas personæ.
Quod quidem, vt dixi, tribuen-
dum est nimio Sponsi Dei amo-
re erga Sponsam suam, id est,
Ecclesiam, atque animam per-
fectam, id est, Deum (pro vt di-
gnum est) vehementer aman-
tem, desiderantem, & suspi-
rantem.

Cæterum pulchritudo (vt
aliàs diximus) duplex est: vna
animi, quæ est ipsa honestas, vel
sapientia cum honestate coniū-
cta, quippe quæ non capitur,
nec cernitur oculis: Altera verò
est pulchritudo corporis, quæ
visu, vel etiam auditu capitur, &
harmonia dicitur, ea quæ sic de-
finitur, vt sit apta quædam par-
tium inter se quodam cum le-
porè coniuncta. Quam Arist.
duabus rebus constare inquit,
nempè magnitudine, quæ est
iusta partium moles, atq; men-
sura, & conuenientia, id est, de-
bita membrorum inter se com-
positio. Plato autem etiam co-
loris quandam suauitatem re-
quirit, vt sit pulchritudo per-

fecta. Vtraque autem pulchri-
tudine videtur in primis prædi-
tus fuisse primus homo, seu pri-
mus parēs noster Adam, quem-
admodū eleganter animaduertit,
& firmiter ostēdit Philo Iu-
dæus in lib. de Mundi opificio
tom. I. pag. 27. vbi sic ait: Ille au-
tem primus homo terrigena,
princeps totius nostri generis,
vtraque parte præstantissimus,
& anima, & corpore factus mihi
videtur, longèq; posteros suos
antecellere vtraque præstantia.
Hic ipse enim erat re vera pul-
cher, atque bonus. Coniectu-
ram autē formositatis eius cor-
poris, vel ex tribus causis licet
capere, quarum prima est hæc:
Cū terra tunc recens extitisset
secreta ab aquarum mole,
quod mare appellatum est, se-
quebatur, vt materia rerum sin-
cera, & infucata, puraque esset,
ex qua quidquid conficiebatur,
meritò erat inculpabile. Altera
verò, quia non ex quavis terræ
parte, humo sumpta videtur
Deus hanc humana specie sta-
tuam formare voluisse summa
cum diligentia: sed selecta vn-
dequaque optima ex pura ma-
teria ad id quod inerat purissi-
mū excoluisse accuratè, quod
maximè ad hoc opus aptū erat.
Domus enim quædam, aut tem-
plū sacratū fabricabatur ratio-

nali animæ, quæ illa diuina ima-
go circūferre debebat. Tertia,
nec conferenda quidem cam
iam dictis: Opifex bonus erat,
arte quoque inter cætera, vt sin-
gulæ corporis partes & priua-
tim conuenientibus absoluerē-
tur numeris, & aptè in vniuer-
sum cohærent. Ad eam per
omnia quadrantem commen-
sionem accessit, & habitudo bo-
na, & color appositissimus, vt
quam maximè fieri potest pul-
cherrimus idem qui primus ho-
mo aspiceretur. Quod autem in
anima quoque par inerat præ-
stantia, manifestum est. Nullo
enim creato exemplari in eo fa-
cienda vsus videtur: sed solo, vt
diximus, suo ipsius verbo. Ideo-
que narratur effigiem, & imita-
mentum fuisse hunc hominem
inspiratum in faciem, vbi sensus
locantur, quibus corpus ani-
mauit. Sequitur autem necessa-
rio omnibus modis pulchri ex-
plaris pulcherrimam esse imagi-
nem. Nam Dei verbum etiam
eam, quæ in natura est, pulchri-
tudinem superat, quippè non
ornatum pulchritudine, sed ip-
sum ornamentum illius, si vera
fatenda sunt, decentissimum.
Talis mihi videtur factus primus
homo, tum corpore, tum anima,
omnium quotquot sunt, fuerūt-
uè, præstantissimus. Nos enim

ex hominibus gignimur, illum
verò Deus condidit: quanto au-
tem melior author, tanto etiam
opus melius, &c. quæ prosequi-
tur in eandem sententiam de
pulchritudine primi hominis,
atque parentis totius humani
generis Adam. Quod si ille, pri-
mus inquæ homo, de terra ter-
renus (vt loquitur Paulus Apo-
stolus) tam pulcher traditur, &
creditur fuisse, quāto pulchrior
præstantiorque credendus erit
fuisse ille secundus homo de
Cælo cælestis, id est, Christus.
Dei, & hominis filius, vtraque
pulchritudine, id est, animæ, &
corporis, præsertim verò ani-
mæ? iuxta illud Psalm. 44. Spe-
ciosus forma præ filiis hominū,
&c. Vnde etiam D. Hierony-
com. in Matth. cap. 9. non vere-
tur affirmare in facie Christi
Domini aliquid sidereum fuisse,
atque etiam aliquando appa-
ruisse. Neq; enim dubitandum
est Christum Dei, & hominis fi-
lium, pulchritudine ista corpo-
rali etiam excelluisse, pulchri-
tudine, inquam, ista, quæ pro-
priè nominatur, & est virilis, vi-
rosq; decet, præsertim vero ta-
lem, tantūque virum, id est,
hominem, ac Deum. Fuit itaque
Christus Dominus istiusmodi
pulchritudine virili mirificè
præditus, præstantiq; corporis

forma, & vultu, & ore, id est, A
 aspectu gratissimo, iucundissimo,
 & suauissimo fuit: quoniam il-
 lius corpus singulari quadam
 ratione, & priuilegio præ cæ-
 teris hominibus, seu viris, diuini-
 tus temperatum, formatum, &
 constitutum fuit. Nec mirum
 id videri debet, quãdoquidem
 de B. Stephano protomartyre, B
 etiam refert, & testatur Lucas
 Euangel. in hunc modum: Et
 intuentes eum omnes, qui sede-
 bant in consilio, viderunt faciem
 eius quasi faciem Angeli, Acto-
 rum cap. 6. Quinetiam de qui-
 busdam alijs tradunt Authores
 profani istiusmodi pulchritudi-
 ne virili præstitisse, vel excellui-
 se. Nam Herodotus lib. 7. qui C
 Polymnia inscribitur pag. 212.
 de formæ Xerxis Regis Persarum
 dignitate ita scribit: In quo
 (inquiens) exercitu, cum tot vi-
 rorum millia essent nemo aut
 specie, aut magnitudine corpo-
 ris erat, qui cum Xerxe ipso pos-
 set contendere, tanquam dignior, D
 qui illud Imperium obtineret.
 Et Apuleius Apologia 1. pag.
 216. de forma bona sic ait: Mu-
 nera Deorum gloriosissima ne-
 quaquam aspernanda, quæ ta-
 men ab ipsis tribui sueta multis
 volentibus non obtingunt.
 Deinde postea statim subdit, &
 ait Apuleius, licere etiam Philo-

sophos esse vultu liberali. Pyta-
 goram enim, qui primum esse se
 Philosophum nuncupauit, eum
 sui seculi excellentissima forma
 fuisse ait. Item Zenonem, &c. in
 eandem sententiam.

Pro allegoria autem horum
 verborum Spôsæ, cum ait, Ecce
 tu pulcheres dilecte mi, & decorus,
 legendus erit in primis D.
 Aug. lib. 4. Confess. cap. 13. 14 &
 15. Et item tractatu 10. in Euang.
 Ioan. vbi ita congruenter, & ele-
 ganter ait: Omnia sulphiria (in-
 quit) in Christo anhelent, ille
 vnus pulcherrimus, qui & fœ-
 dos dilexit, vt pulchros facere
 desideretur, ad illum vnũ cur-
 ratur, illi ingemiscatur, &c. quæ
 sequuntur. Idemque Aug. lib. 2.
 de ordine cap. 19. tom. 1. loquens
 de pulchritudine illa Sponsi di-
 uini incorporea, & inaspectabi-
 li, sic ait: Cuius imitatione facta
 sunt pulchra, cuius compara-
 tione facta sunt omnia, &c. Nunc
 enim in ænigmate Deum viden-
 mus, colimus, veneramur, atque
 præcamur, non per speciem si-
 cuti est. Consentanea his valde
 sunt, & moralia, quæ de vera
 pulchritudine, & amore eius
 scribit Arrian. Epietetus lib. 3.
 cap. 1. vbi disputat, quis verè sit
 pulcher, & quis turpis: atque
 etiam de ornatu virili, qui præ-
 cipue viros deceat. Videndus
 quoque

quoque super hac re erit Lipsius A
 in Manud. ad Stoicam lib. 3. cap.
 17. & 20. Denique legendus erit
 Seneca Philosoph. epist. 66. vbi
 sapienter philosophatur de ra-
 tione verè, & propriè dictæ pul-
 chritudinis. Inter cætera enim
 ita ibi scribit: Errare mihi visus
 est, qui dixit, Gratius est pul-
 chritudo veniens è corpore vir-
 tus. Nullo enim honestamento
 eget ipsa virtus, & magnum sui
 decus est, & corpus suum conse-
 crat. Potest enim ex casa vir ma-
 gnus exire, potest & ex defor-
 mi, humilique corpusculo for-
 mosus animus, ac magnus.
 Quosdam itaque videtur mihi
 in hoc natura tales generare, vt
 approbet virtutem omni loco
 nasci. Si posset enim natura per
 se nudos edere animos, fecisset:
 nunc quod amplius est facit.
 Quosdam enim edit corporibus
 impeditos, sed nihilominus per-
 rumpentes obstantia, &c. quæ
 prosequitur in eandem senten-
 tiam. Idemque Seneca alibi, id D
 est, epist. 115. sic ait: Si nobis ani-
 mum boni viri liceret respicere,
 ô quam pulchrâ faciem, quam
 sanctam, quam ex magnifico,
 placidoque fulgentem videre-
 mus! &c. Locus hic Cantici, seu
 versus de pulchro, id est, de Spõ-
 si, atque etiam Sponsæ pulchri-
 tudine, totus mihi visus est pul-

cherrimus. Ideoque venia mihi
 danda est, si paulo prolixior fue-
 rim in eo explicando. Opere-
 pretium enim me facturum esse
 duxi, si in istiusmodi locis tra-
 ctandis, & retractandis imitarer
 religiosos viatores, quibus mo-
 ris est, cum aliquis locus sanctus
 in via oblatu est, votum postu-
 lare, atque paulisper assidere, vt
 loquitur Apuleius lib. 1. Flori-
 dorum principio. Adde, quod
 (vt præclare dictum est à Plato-
 ne) quæ pulchra sunt, etiam ter,
 id est, sæpè repetenda sunt.

Lectulus noster floridus.

Videtur hæc oratio Spon-
 sæ membrum, & pars esse
 statim præcedentium verbo-
 rum ipsius, cum dixit, Ecce tu
 pulcheres dilecte mi, & deco-
 rus: Vnde etiam cum illis rectè
 in scriptura, & sententia conue-
 nit, sensumque talem habet,
 quasi dicat Spôsâ planè de mo-
 re suo solito amatorio, & nup-
 tiali, tanquam nouiter nupta:
 Tu pulcher es dilecte mi, & de-
 corus: atque proinde oportet
 etiam, & decet, vt lectulus no-
 ster sit pulcher, decorus, & flo-
 ridus, vernans (inquam) flori-
 bus rosarum, & lilijs, vt possis
 pro dignitate tua, simulque pro
 temporis opportunitate in eo
 P

quiescere. Lectulus enim symbolum est quietis, atque etiam insigne legitimi coniugij. Nam iuxta materiam subiectam, & circumstantiam loci, & temporis, & rationem item personæ loquentis, per (lectulum nostrum floridum) intelligere hinc maximè debemus lectulum genialem, & nuptialem, qui etiam ad quietem datur, præsertim si floridus sit, id est, floribus abundans suauè olentibus. Tunc enim lætitiã, & voluptatem magnam affert in eo quiescentibus: atque etiam magnopere ad quiescendum videntes allicit. Quo sensu videtur etiam Poëta Latinus id est in Ecloga 4. ita loqui:

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.

Vbi per translationem significat Poëta lætitiã, voluptatem, & suauitatem, quam pariunt varij florum colores, & odores. Quinetiam per translationem, flos, seu vocabulum floris, nonnunquam accipitur, & quidem valde eleganter, pro ornamento cuiusque rei, atque etiam pro virginitate. Vt patet etiam ex autoritate, & verbis alterius prophani Poëtæ, id est, Catull. in Epithalamio, vbi ita canit:

Sic virgo dum casta manet, dum chara suis.

Cum castum amisit polluto corpore florem,

Nec pueris incunda manet, nec chara puellis.

Adde, quod etiam vulgo passim vocabulum floris, pro virtute virginitatis per excellentiam vsurpatur. Virgines enim quasi flores quidam sunt totius Ecclesiæ, vel potiùs totius humani generis: atque adeo ipsa virginitas instar floris cuiusdam est pulcherrimi inter reliquas virtutes. Vnde nihil prohibet, si hoc in loco pro florido intelligamus, & interpretemur virginalis. vel castus, pudicus, purus, immaculatus, in quo scilicet nihil est adulterinum, nullaque prorsus apparent vestigia viri alieni. Talis enim proculdubio erat lectulus, siue torus nuptialis, de quo cum tanta laude, tamque honorificè loquitur Sponsa, dicens: Lectulus noster floridus. Proculdubio enim de lectulo, seu toro, seu cubili geniali, & nuptiali loquitur hinc Sponsa: cuiusmodi quidem lectulum Hebræi appellat cubile amoris, de quali quidem lectulo planè loquitur etiam inferiùs Cantic. cap. 3. dicens, In lectulo meo per noctem quæsiui, quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. De quali etiam lectulo, seu cubili geniali, in qua, & nup-

trali, scriptum est in sacra hist. Genes. 49. Quia ascendisti cubile patris tui, &c. Quinetiam Salomon author huius operis, Prouerb. cap. 7. sic intelligit, cum in persona stultæ mulieris hoc modo ait: Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto, aspersi cubile meum myrrha, aloë, & cinamomo, &c. quæ de lectulo sequuntur in persona stultæ mulieris: licet in malam partem, potiusquàm in bonam. Sed tamen Paulus Apost. in bonam, optimamque partem contra de lectulo, seu toro nuptiali, & legitimo, in hunc modum alloquitur, & adhortatur fideles vxoratos: Honorabile (inquiēs) connubium (subaudiendum, sit inter vos) & torus immaculatus, id est, mundus, purus, castus, pudicus, sanctus, qualis sanè decet sanctos, & Christi fideles. Quare totum hoc, quod ait Sponsa in præsentiarum, Lectulus noster floridus, & item, Tigna domorum nostrorū cedrina, &c. exornatio est quædam Rhetorica, seu Poëtica, ad exprimendum, & amplificandum vehementiam affectus, & amoris sui erga Sponsum, & item præsentem apparatus nuptialem, simul & regalem tali, ac tanto Sponso Rege, pariter & pastore

dignum. Appositè, & accommodatè ad materiam subiectã, quæ tota est amatoria, & nuptialis. Ideoq; oportebat authorem sacrum in persona Sponsæ hinc magnificis, & amplissimis verbis vti, iuxta dignitatem personarum, atque talium nuptiarum. Præcipua enim Sponsæ mens est, consilium, & finis, Sponsum inuitare, allicere, & persuadere, vt ad se visendam, & saluandam citò veniat, atque etiam à labore quiescere velit in lecto florido, & in sinu ipsius commorari dignetur, id est, caput tantisper de more amantiū reclinare: iuxta illud, quod superius dixerat, Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter hubera mea comorabitur. Ista enim est mens Spôsæ præcipua: atque etiam talis mens esse debet cuiusque animæ perfectæ, Deumque vehementer amanti, iuxta illud Ioann. cap. 14. vbi ait ipse Sponsus Christus: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, &c. Vt omittam alia multa super his verbis Sponsæ. Videntur tamen pro hac re erit Lipsius lib. 2. Electorum cap. 17. vbi disputat de lectulo geniali, accommodatè.

Tigna domorum nostrarum
cedrina, &c.

Sensus, & ordo istorum verborum Sponsæ est, quasi dicat Sponsum suum ad se visendam inuitando: Non solum, & dilecte mi, domus nostra comoda, & utilis: sed etiam pulchra, elegans, & bella est ad habitandum, quiescendum, & comorandum, non equidem minus, quam lectus noster. Quinimò cætera omnia instrumenta domestica, & nuptialia sunt comoda, & pulchra, bella, atque iucunda, denique idonea, & digna, quæ te excipiant, aduentumque tuum quodammodo mecum expectant, præsentiamque tuam mirificè desiderant sicuti par est. Pro qua re, atque sententia legendus erit Varro, de origine linguæ Latinæ lib. 7. ubi congruenter docet duplicem esse summam, ad quas metas natura sit perueniendum in usu, videlicet, utilitatis, & elegantiae. Quod non v.g. vestiti esse volumus, ut vitemus frigus: sed etiam ut videamur vestiti esse honestè. Neque domos habere volumus ut simus in tecto, & tuto solum, quod necessitas contruserit: sed etiam ubi voluptas retineri possit. Nec solùm vasa ad victum habilia: sed & figura bella, atque ab artifice, quod aliud ho-


Amini, aliud humanitati satis est. Quoduis enim sitienti poculū homini idoneum: humanitati autem nisi bellum, parum: sed cum disseffum est ab utilitate ad voluptatem, tamen in eo ex dissimilitudine plus voluptatis, quam ex similitudine sæpè capitur, &c. Hæc ille. Pro qua re nos quoque, aliquid diximus super illis verbis 1. Timoth. cap. 6. ad fruendum. Neque enim Deus Opt. Max. res qualdam nobis dedit ad usum, & necessitatem, sed etiam ad gratiam, atque delicias. De utilitate autem, seu usu, & necessitate domus ad vitam, & salutem, ita scribit Hesiodus in Georgicis. Primum, inquit, ædes, siue domus, deinde verò uxorem, deinde bouem agricolantem. Hæc ille. Nam his præsidij putat in primis Hesiodus opus esse ad vitam humanam commodè sustentandam, i. trāsfigendam: præsertim verò ædibus, siue domo, in qua se homo recipiat tanquam nidolum, vel potius tanquam in portum, & insulam quandam vitæ. Nihil enim potius, nihil tutius ad vitam degendam, salutemque & incolumitatem conseruandam. Id quod ex vno testudinis exemplo facilè patet, atque demonstratur. Videmus enim testudinem, ubi collecta in suum tegu-

men est, tutam ad omnes ictus esse: ubi verò exerit partes aliquas, quodcumque nudauerit, obnoxium, atque infirmum habere. Ut eleganter ait Titus Livius de Bello Macedonico lib. 6. Pro qua re, si quis plura desiderat, is videat Adag. Domus amica, Domus optima. Et item Adag. alterum, Domi manendum. Ut omittam alia. Nihilominus tamen Apuleius lib. de Deo sacratis, circa finem, ita de locupletibus, id est, de vulgo hominum locupletium conqueritur: Villas (inquit) villas opiparè exornant, & domos ditissimas extruunt, & familias numerosissimas comparant: sed in istis omnibus, in tanta rerum affluentia, nihil est indignum, præterquam ipse Dominus ædiū, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam. Quod etiam sensu Cicero in lib. de officiis, in hunc modum conqueritur: O domus antiqua, quam dispari domino dominans! Quinimò Isai. Propheta cap. 5. congruenter sic ait: Væ, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, usque ad terminum loci! Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? &c. Et Propheta Amos cap. 6. prope eodem sensu, nec minus vehementer, hanc hominum

A iniquitatem, luxum, nimiamque delicias domesticas lamentatur: præsertim verò aduersus optimates Israel, populares suos dicens: Væ vobis, qui opulenti estis in Sion, Optimates, capita populorum, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, &c. Deinde subdit: Et nihil patebantur super contritione Ioseph, &c. Itaque ornanda est dignitas domo, non tota tamen ex domo quærenda, ne in cemento, & lapidibus veram gloriam reposuisse videamur, ut præclare ait Cicero. Nihilominus tamen in præsentiarum non domum, vel ædes primo loco Sponsa laudauit: sed potius lectulum primò statim laudauit, & commendauit: quoniam scilicet (ut iam diximus) lectulus, iuxta subiectam materiam & circumstantiam loci, non solum res est necessaria, ac expetenda, sed etiam Symbolum est iusti, & legitimi connubij, seu nuptiarum cum Sponso. Atque proinde lectulo, præsertim geniali, primum locum, seu primatum attribuit, de quo illo plurimum, & maxime gloriatur, dicens: Lectulus noster floridus. Deinde verò posterius ædes commendat, dicens, Tigna domorum nostrarum cedrina, &c. Itaque iu-

re, ac merito statim post laudem lectuli genialis, & nuptialis, laudem etiam ædium adiunxit: silentio præteriens cæteris omnibus domesticis ornamentis, & nuptialibus instrumentis, muneribusque ex arte factis. Laudat verò atque commendat magnificentiam simul & artificium, materiamque operis, cum ait ædes istas suas, vel potius suas & sponsi communes, ex tali materia, id est, cedro constare. Quod quidè arboris genus, præterquam quod valde odoratum, etiam perpetuo viret, neque vnquam senescit, & quasi æternum est: ideoque quasi æternitatem quandam præbet domibus, tectisque ædificandis, aliisque rebus arte constantibus, præsertim verò tectis ædificandis hoc genus ligni idoneum est. vt videre est apud Plinium lib. 13. cap. 5. & alios, qui hac de re scripserunt. Cariem namque, & senectam non sentiunt Cedrus, & Cupressus. Sensus ergo planus, & ordo istorum verborum Spon-

sa, cum ait in laudem ædium suarum, Tigna, seu ligna domorum nostrarum cedrina, talis est, quasi planè dicat, & breuiter: Domus nostra, seu ædes nostra magna ex parte cedro constant, quæ quidem arbor nobilissima est. Quapropter videtur Sponsa, seu Autho operis, alludere his verbis ad domum magnificam, & sumptuosam illam, quam sacra historia 3. Reg. cap. 7. refert sibi ædificasse Salomonem Regem, vel potius ad illam alteram domum, quam ibidem legitur ipse Salomon ædificasse Sponsæ suæ charissimæ filiae Regis Pharaonis primæ, atque etiam primariæ suæ vxori. Vtraque enim domus valde magnifica, artificiosa, & sumptuosa, atque etiam magna ex parte hoc ligni genere, id est, cedro, vel lignis cedrinis constabat. Id quod ibidem etiam atque etiam repetendò manifestè affirmat sacra historia in loco modo citato 3. Reg. cap. 7.



CAPVT SECVNDVM.

Vers. Ego flos campi.



Ic habet vulgata editio nostra Latina: Nihilominus tamè quidam pro (flos campi) etiam legunt, & interpretantur iuxta Hebraicam veritatem (rosa Saron) quippe quæ erat laudatissima. Quoniam vox Hebræa (Sufana) pro qua vulgatus noster Latinus vertit (flos) propriè rosam significare videtur (quo nomine casta illa, & augusta mulier Ioachimi vxor appellata est. Daniel cap. 13.) Altera autem vox Hebraica (Saron) pro qua ille vertit (Cambis) videtur esse proprium nomen campi, vel regionis, l. loci potius quam nomè commune, seu appellatiuum. Cui interpretationi (si diligenter attendamus) videtur fauere, & suffragari D. Hieron.

in lib. de locis Hebraicis tom. 3. pag. 594. vbi sic ait: Saron, cuius & Isaias meminit dicens, In paludes versus est Saron; vsque in præsentem autem diem Regio inter montem Tabor, & itagnum Tiberiadis, Saronas appellatur. Sed & à Cæsarea Palestine vsque ad oppidum Ioppe, omnis terra quæ cernitur, dicitur Saronas. Sic D. Hieron. qui testis est Sanctorum, seu Hebraicorum locorum luculentissimus, & locupletissimus: quemadmodum ipsemet etiam de se affirmat ad Domnionè in lib. Paral. præfat. to. 3. pag. 25. vbi sic ait: Quomodo Græcorum historia magis intelligunt, qui Athenas viderint; & 3. Virgilij librum, qui à Troade per Leucarem, & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad ostia Tiberis nauigauerint; ita sanctam scripturam lucidiùs intuebitur, qui Iudæam oculis contemplatus sit, & antiquarum urbium me-

morias, locorumque vel eadem A vocabula, vel mutata cognouerit. Vnde & nobis cura fuit cum eruditissimis Hebræorum hunc laborem subire, vt circumiremus prouinciam, quam vniuersæ Christi Ecclesiæ sonant. Sic ille. Quomodocumque tamen hæc res se habeat, & quamuis hæc intelligentia, seu interpretatio aliàs probabilis sit, & verisimilis; nihilominus fatendum, & tenendum est, Interpretem nostrum Latinum etiam bene vertisse, dum vertit: Ego flos campi. Sic enim hinc etiam vertit Symmachus vetus Interpres, atque peritus linguæ vtriusque tam Hebræicæ, quam Græcæ. Adde, quod rosa est pulcherrimus florum: vnde etiã per excellentiã flos merito appellatur, potiusquã nomine suo proprio: vt sit genus pro specie. Sine vlla enim controuersia cæteris floribus præstat, beneque illi regnum inter cæteros flores deferendum esse Poëtæ censuerunt:

Si floribus vellet Iupiter imponere Regnum.

Quemadmodum apud Sapphon in illo encomio rosæ habetur. Bene quoque censendus est Interpres noster Latinus vertisse alteram vocem Hebræicam, nempe (Saron:) Quoniam vox hæc ambigua est, significans plani-

tiem, siue campum. Vnde recte verti potuit per nomen campi appellatiuum, & commune, quamuis aliàs sit nomen proprium alicuius campi, vel loci, vel regionis, in qua nascitur rosa laudatissima, & pulcherrima. Quapropter, vt colligamus vella, & in summa dicamus id quod sentimus, vtraque interpretatio legitima, & probabilis est, vtraque etiam valde quadrat ad allegoriam, siue mysterium, & metaphoram, qua Sponsus diuinus flos, seu rosa appellatur, vel potius seipse appellat dicens: Ego flos campi, aut, Ego sum rosa Saron, id est, pulcher, decorus, & suavis, vt rosa Saronica. Floris namque perfecti, maximè autem rosæ, ea est natura, & vis, vt quamuis vnum sit ex terræ nascentibus, non solum sensus corporis externos, sed etiã nos, id est, animã, mentemque etiam lætitia, voluptate, ac iucunditate afficiat: quod quidem mirificè cõgruit Sponso, id est, Christo Domino, qui aliàs etiã apud Isai. Flos de radice Iesse nominatur, & est. Nihil enim prohibet si nonnunquam in sacris litteris, vel Petra scādali, vel etiam ruina multorum, quodammodo per occasionem, atque ex accidēti esse dicatur, siquidem diuersa hominũ affectio in causa fuit,

fuit, vt diuersis diuersus esse videatur, atque proinde diuersis nominibus etiam appelletur, quæ admodum v.g. id, quod apis sumit ex flore in mel cõuertitur; id autem quod araneus carpit ex eodem ipso flore, è contrariò conuertitur in venenũ, cum tamen flos vnus idemque sit. Ad hunc enim modum Christus Dominus flos campi excellētissimus, aliis prodest ad salutem, aliis verò vertitur in ruinam. Quo sensu Paulus Apost. 2. Cor. cap. 2. verè & congruenter sic ait: Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, qui Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salui fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidē odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. Eodemque sensu idem D. Paulus 1. Cor. cap. 1. sic ait: Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scādalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam, &c. Ergo flos iste campi, seu rosa Saron, quantum in ipso est, salutaris, & vitalis est, vt potè Dei virtus, & Dei sapientia, Per nos au-

tem stat quominus diuersus esse videatur, seu appareat. Vt docet D. Aug. de peccatorum meritis & remis. lib. 2. cap. 17. vbi sic ait: Gratia Dei adiuuat hominum voluntates, quæ vt non adiuuentur, in ipsis causa est itidem, non in Deo, &c.

Et lilium conuallium.

Non satis habuit Sponsus dicere, Ego flos campi generaliter, sed etiam adiecit, Et lilium conuallium: id quod sua sponte, & plerumque, nascitur in cõuallibus. Valles, seu cõualles, id est, conuallia loca, facilius & copiosius præbent, non solum frumentum aliãque fruges, sed etiam istiusmodi flores. Sunt etenim suapte natura feraciora, amantiora, & commodiora, quam mōtes, seu loca montana. Itaque non otiosè addita est particula (conuallium) siquidem in talibus locis plerumque, & frequenter nascitur lilium, præsertim verò lilium nigrum, siue purpureum: nam lilium album non ita facile, & passim in conuallibus nascitur, aut reperitur, quoniam cultura opus habet, curaque maiori. Vtrumque lilij genus pulchrũ est, & comparationi præsentī seruit: quamuis fortè melius, & congruentius esse videatur, vt per lilium

hoc in loco, album liliū intel-
ligamus, quo quidem nihil est
candidius: vt sic feruetur analo-
gia inter hæc verba Sponsi, &
verba Sponsæ inferius Cant. 5.
vbi in laudibus Sponsi sui sic ait,
Dilectus meus candidus, &c.
Nihilominus tamen (vt dixi)
vtrumque liliū genus pulchrum
est, & comparationibus, & am-
plificationibus, atque exemplis
plerumque feruire solet, vt pa-
tet ex vno illo loco Euang. Mat.
cap. 6. vbi Christus Dominus
liliū exemplo generaliter, & in-
differenter vtitur, cum ait: Et
de vestimentis quid solliciti estis?
Considerate lilia agri, quomo-
do crescunt: non laborant, ne-
que nent. Dico autem vobis,
quoniam nec Salomon in om-
ni gloria sua coopertus est, sicut
vnum existis. Super quibus ver-
bis D. Hieron. comm. in Matth.
ita congruenter scribit dicens:
Quod sericum, quæ Regis pur-
pura, quæ pictura textricū, po-
test floribus comparari? Quid
ita rubet, vt rosa? quid ita can-
det, vt liliū? &c. Sic Hieron.
Quibus etiam verbis D. Hiero-
nym. ruborem rosæ planè tri-
buit, liliū verò candorem. Atq;
proinde videri potest Sponsa,
cum dixit, Dilectus meus can-
didus & rubicundus, quodam-
modo alluisse ad vtrumque co-

lorem, & liliū albi, simul & rosæ,
id est, Sponsum suum propter
eximiam pulchritudinem, at-
que præstantiam, & simplicita-
tem, seu animi candorem, com-
parasse liliū, simul & rosæ. Si
quis autem plura de liliū sci-
re desiderat, is legat Theo-
phrast. de historia plantarum
libro 6. cap. 6. & Plinium libro
21. cap. 1. quinetiam Ausonium
Poëtam in epigr. 298. & 299. &
300. vbi eleganter canit de flo-
ribus & rosis.

*Sicut liliū inter spinas, sic amica
mea inter filias.*

Congruenter, & eleganter
Sponsus, postquam seipse
liliū comparauit, statim ad lau-
des Sponsæ suæ de more solito
reuertitur, similiterque eam li-
liū comparat ob egregiam for-
mæ, ingenijque præstantiam.
Non tamen simpliciter liliū
comparat, sed cum additamen-
to per amplificationem, quasi
dicat: Tantum interest inter
te, ô Sponsa charissima, aliasque
Sponsas, seu virgines, atque
puellas, quantum interest inter
liliū agri, seu conuallium,
quod nascitur, & crescit inter
spinas, & ipsas spinas: tantum-
que tu formæ præstantia, & vir-
tutibus animæ, cæteras mulie-

res antecellis, quantum liliū
antecellit spinas inter quas nas-
citur. Quæ comparatio, & am-
plificatio longè est excellentis-
sima: neque tamen omnino ca-
ret apud prophanos Authores.
Sic enim apud Homerum vir-
go Nausicaa ludibunda inter fa-
miliares puellas in locis solis, re-
ctè, atque commodè confertur
cum Diana venante iniugis
montium inter agrestes Deas.
Quando nulla maior, cumula-
tiórque pulchritudinis laus di-
ci potuerit, quàm quod vna in-
ter omnes pulchras excelleret,
vt inquit Aulus Gel. lib. 9. cap.
9. vbi locum istum ex Homero
præfatum refert, atque exponit.
Adde, quòd Iunonem quoque
cæca gentilitas olim candidis
liliis coronabat, quæ Iunonias
rosas appellabant. Nam eius la-
cte resperfa candida euaserant,
vt fabulis refertur, & refert Car-
tharius lib. de imaginib. Deo-
rum titulo de Iunone pag. 132.
Eleganter ergo Author Cant. D
in persona Sponsi, per compa-
rationem ait: Sicut liliū inter
spinas, sic amica mea inter filias.
Quasi verò reliquæ omnes fi-
liæ, seu virgines, atque puellæ
comparatione Sponsæ suæ in-
star spinarum existerent, quam-
uis alioquin natura essent pul-
chra. Nam (vt rectè inquit

Quintillian. lib. 12.) sunt res
quædam, quæ per se habent
admirationem, & quidem me-
ritò: sed tamen comparatione
meliorum, id est, eorum quæ
sunt eximia, quodammodo
euanescent. vt lana tincta v.g.
fucò, citra purpuras placet: at
si contuleris ad purpuram, eua-
nescit, atque sordescit. Pro
quæ re vide Adag. Purpura iux-
ta purpuram diiudicanda. Vn-
de etiam emptores, seu nego-
tiatores purpuram mercaturi,
vt ne fallentur, alteram adhi-
bent purpuram, atque ita cer-
tissimum iudicium ex collatio-
ne faciunt. Eodè modo
aurum consideramus, atque
probamus, nempe aurum cum
auro conferentes. Cæterùm
pulchrius apparet liliū inter
spinas natum, quàm extra, vbi
nullæ sunt spinæ: multo etiam
pulchrius existit, vbi spinæ
fuerint plures, densiores, &
speciores: gratiùsque plerum-
que est liliū, si fuerit rarius,
iuxta Adag. Rarum, carum. Si-
quidem quod rarum est, gra-
tius, & mirabilius est. Vnde &
Author lib. 3. ad Herennium
ante finem, sic ait: Vt ita res
facile è memoria elabuntur,
insignes & nouæ manent diu-
tius. Solis exortus, cursus, &
occafus nemo miratur, pro-

pterea quod quotidie fiunt: at A
Eclipses Solis mirantur, quia
raro accidunt. Et Solis eccli-
psis magis quam Lunæ: quo-
niam hæ crebriores sunt. Docet
igitur natura se vulgari, & vfi-
tata re non exfuscitari, noui-
tate verò, & insigni quodam
negotio commoueri. Sic ille.
Hinc etiam Isai. Propheta tali B
comparatione vtitur, nempe
racemorum, cum fuerit finita
vindemia: Carior enim, gra-
tiorque est racemus post fini-
tam vindemiam, quanto equi-
dem rarior est. Eodemque ex-
emplo racemi post vindemiam
apparentis seu reperti, vtitur
Micheas proph. cap. 7. ad si- C
gnificandam, & amplificandam
hominum, seu popularium suo-
rum paucitatem. Quoniam ergo
Sponsa forma, seu specie
insigni, & rarissima præstabat,
admirabilisque, & longè pul-
cherrima erat, præsertim iu-
dicio Sponsi; idcirco cæteræ
puellæ, seu virgines, quantum-
uis aliàs pulchræ, speciosæ, &
formosæ, indignæ tamen ei vi-
debantur, quæ cum Sponsa
sua conferrentur, non aliter
quàm si quis cum lilio spinas
conferre vellet.

De allegoria autem istorum
Sponsæ verborum satis dictum
est in priori nostra inscriptio-

ne: præsertim verò de bonita-
te, seu benignitate, seu mode-
stia Sponsi singulari, quatenus
tam libenter, atque amanter,
& liberaliter, cum Sponsa, id
est, Ecclesiæ, & singulis ama-
toribus, cultoribusque suis
axiomata, id est, dignitates,
titulosque suos, etiam proprios
peculiares: eosdemque hono-
rificentissimos communicat. Vt
patet ex hoc vno exemplo,
cum liliij vocabulum, seu ap-
pellationem etiam Sponsæ suæ
attribuere non est dedigna-
tus. Quod quidè rectè animad-
uertit D. Basil. Magn. hom. 29.
de pœnitentia pag. 229. vt aliàs
diximus. Si quis tamè pro hac re
plura desiderat, legendus erit S.
Paulinus lib. 4. epist. ad Sene-
rum pag. 47. vbi sic de Chri-
sto Domino ait: Honori suo
implicat suos, & propè omnia
nomina sua nobis communica-
uit, &c. Consentaneus, elegans-
que locus est pro hac re, seu al-
legoria, apud Philonem Iud.
in lib. de Abrahamo tom. 1. pag.
39. vbi sic ait de amicis, charis-
que Deo, id est, veris Dei ama-
toribus, & ab eo redamatis:
Qui dignatus, sicut indicant
Oracula, propter vitam ipso-
rum probatissimam, commu-
nem cum eis appellationem
habere. Suum enim coapta-

uit cum eorum nominibus no-
men, è tribus compositum vo-
cabulum sibi vindicans. Hoc,
inquit, meum nomen est æter-
num, Deus Abrahæ, Deus Isaac,
& Deus Iacob: relatiuum pro
absoluto. Et merito, inquit Phi-
lo. Deus enim non opus habet
nomine, &c. Hæc Philo. Deni-
que videndus etiam pro isto-
rum verborum allegoria, Vin-
centius Monachus Lirinensis,
in lib. illo aureolo, cui tit. fecit,
Contra prophanas vocum no-
uitates, pag. 21. vbi loquens de
retinenda antiquitate doctrinæ
sanæ Apostolicæ, & Catholicæ,
inter alia alludens ad hæc ipsa
Sponsi verba, sicut lilium, &c. C
ita ait: Absit etenim, vt rosea illa
catholici sensus plātaria, in car-
duos, spinasque vertantur, &c.
quæ prosequitur fideliter, at-
que eruditè in eandem senten-
tiam.

*Sicut malus inter ligna sylvarum,
sic dilectus meus inter filios.*

QVorum verborum sensus
simplex, & germanus, ta-
lis est: Quanto arbor malus cæ-
teris syluestribus arboribus eni-
tet, eminent, & præstat: quanto
vtilè, & salutarè aërem impertit,
vbi opacat: quāto glādibus sunt
meliora poma: quanto homo,

A qui his vescitur, reliqua omnia
animantia, quæ illis vescuntur,
antecellit: tantò, atque etiam
multo magis Sponsus meus cæ-
lestis reliquis omnibus homini-
bus, & dilectis, id est amatis, &
amatoribus præstat. Quo sensu
videtur dicere Christus Domi-
nus in Euang. Matth. cap. 11. In-
ternatos mulierum nō surrexit
maior Ioanne Baptista. Ad hūc
ferè sensum ait Sponsa, Sicut
malus inter ligna, &c. quasi par
pari referens in comparatione,
vt seruetur analogia, simul &
decorum carminis bucolici.
Vtraque enim comparatio ex re
rustica sumpta est, & compara-
tio hæc, qua vtitur in præsen-
tiarum Sponsa, & comparatio
qua vsus fuerat Sponsus in lau-
dem Sponsæ, inter se mirificè
conueniunt.

*Sub umbra illius, quem desidera-
ueram, sedi.*

Pergit adhuc Sponsa in lau-
dibus Sponsi sui, sumptæ-
que metaphora ex ipsa arbore
mali, cuius superius meminit,
dicens: Sicut malus inter ligna
sylvarum, &c. cuiusque umbra,
& fructu, qui suauissimus est, nō
solum Sponsi præsentia, verum
etiam vel sola umbra ipsius plu-
rimum delectari, eamque desi-

derare affirmat: multo verò magis aspectu, colloquio, contubernio, & conuictu, & presentia desideratissima, & dulcissima, qua ardentem frui cupiebat. Ad hunc sensum videtur Sponsa dicere, Sub umbra illius, quem desideraueram, sedi. Sumpta (inquam) metaphora ex arbore mali, cuius vel umbra grata est, & fructus dulcissimus, suauissimus, & salutaris præ ceteris omnibus fructibus, & pomis: quāuis arboris mali umbra re ipsa breuis, seu modica, exiguaque sit perse sola. Nihilominus tamen Sponsæ propter eximium amorem, quo affecta erat, & Sponsum prosequatur, valde expetenda, valdeque optabilis, & delectabilis videbatur, & erat, vel sola Sponsi umbra, & memoria, & imago: atque proinde quodammodo sub ea sedere, & requiescere desiderabat, quasi sub umbra arboris mali, vel etiam sub arbore Platanus, cuius umbra iucundissima omnium existimata est, quem admodum videre est apud Plinium, & alios, qui de hac arbore scripserunt, quod etiam colligitur ex quodam loco, qui est apud Platonem in Phædro, vbi disputaturus cum Phædro tempore æstatis, locum ad disputandum elegit sub platano, id est,

A sub platani umbra. Sic enim ibi Socratem præceptorem suum loquentem inducit: Equidem pulcherrimum diuerticulum, hæc enim platanus est ad modum patulis diffusa ramis, & procera, & altitudo, opacitasque per pulchra nimitum, & amœna, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam eleganter de platano, & umbra eius, in qua tempore æstatis cum Phædro disputare instituerat.

Pro qua intelligentia, simul & allegoria istorum verborum Sponsæ, videndus erit Theodoret. de sanctorum Patrum historia cap. 6. vbi scribit de Simeone Prisco, & inter cetera sic ait: Qui ardentem amant, non solum eos, qui amantur, desiderant, sed etiam illis loca grata sunt, & iucunda, in quibus ipsi fuerunt præsentem, & in quibus versati sunt, &c. Idemque Theodoretus eiusdem hist. cap. 9. vbi scribit de Petro monacho altero sapientissimo, ita congruenter ait: Ipsi enim, qui amore aliquem prosequuntur, est à natura insitum, ut non ex solo eius aspectu capiant voluptatem, sed & domum, & vestes, & calceos contemplantur cum magna lætitia. Tali in Sponsam amore prædicta Sponsa, quæ desiderabat in Cantic. Canticorum clamabat,

dicens: Sicut malus in lignis sylvæ, ita patruelis meus in medio filiorum. In umbra eius desideravi, & sedi, & fructus eius dulcis in gutture meo. Nihil ergo absurdum fecit hic homo diuinus, qui in Sponsam quidem eundem accepit amorem, ipsidem autem verbis usus est, quibus Sponsa. Vulneratus sum ego, clamabat ab amore. Cum autem desiderasset contemplari Sponsi quandam veluti umbram, abiit visurus loca, ex quibus scaturierunt fontes omnibus hominibus salutare. Cum ergo quæ desiderabat, eis frui licuisset, profectus quidem est Antiochiam, &c. Suffragatur huic sententiæ, & interpretationi, locus ille Psal. 131. vbi Rex Propheta sic ait: Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius, quasi dicat, Etiam, vestigia pedum Sponsi, atque umbram, id est, quasi umbram quandam ipsius adorabimus. Quo sensu D. Hierony. in epist. ad desiderium num. 154. alludens scilicet ad locum Psal. modo præfatum, dum loquitur, atque exhortatur ad visitanda loca Terræ Sanctæ, sic ait: Adorasse vbi steterunt pedes Domini, pars fidei est, & quasi recentia natiuitatis, & crucis, ac passionis vidisse vestigia, &c. Pro qua re opere pretium fuerit

A videre quod scribit Feui ardentius Com. in Ruth. cap. 1. & 2. vbi per occasionem exponit locum illum Psal. 101. Placuerunt seruis eius lapides eius. Quintetiam valde pro hac re facit, atque etiam contra aduersarios nostros, id est, hæreticos detrahentes istiusmodi piorum hominum peregrinationibus ad visitanda loca sancta, locus quidam elegans, qui est apud Ciceronem in lib. 2. legum, vbi ita loquitur: Mouemur enim (inquit) nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum quos diligimus, aut admiramur, adsunt vestigia. Me quidem illæ ipsæ Athenæ, non tam operibus magnificis, exquisitisque antiquorum artibus, delectant, quam recordatione summorum virorum; vbi quisque habitare, vbi sedere, id est, disputare sit solitus, studiosæque eorum etiam sepulchra contemplantur, &c.

Si quis plura desiderat pro allegoria, legendus erit Paulus Episcopus Burgens. Scrutinij 2. p. d. 13. cap. 7. vbi accommodatè differit de veritate corporis, & sanguinis Christi Domini in sacro. Euchar. Denique legendus, & conferendus est huic loco, locus ille Exod. 33. vbi rogati Moysi, Ostende mihi faciem, seu gloriam tuam; ita respondisse

fertur Oraculum diuinum: Videtur posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. Quorum verborum fortè talis est sensus, q. d. Per transitum, & quasi per trāsennam me videbis, vel, quasi per tergum, & vmbra quandam me videbis: non autem clarè, & perfectè, sicuti vident beati in Cælo, & sicuti ego sum. Videtur enim particula (mea) opponi (faciei) id est, visio per posteriora opponi visioni claræ, & immediatè, quæ in Cælo Deus facie ad faciem videtur sicuti est, non iam in ænigmate, sed in specie. Videndus erit præterea D. Hierony. in Osee cap. 14. super illis verbis, Conuertentur sedentes in umbra oliuæ, &c. Et item Andreas Symb. Theolog. dec. 1. Symb. 3. vbi accommodatè exponit illud Luc. cap. 1. Virtus altissimi obumbrabit tibi. Consentanea sunt, quæ scribit Origen. hom. 3. in Cant. & item Bernard. ferm. 1. de Aduent. atque etiam ferm. 6. de Ascensione Domini.

Et fructus eius dulcis gutturi meo.

PRO horum verborum allegoria, & mysterio, legendus erit D. Aug. lib. 10. Confess. cap. 9. & 14. vbi loquens de memo-

ria, & reminiscètia, inter cætera sic ait: Nimirum ergo memoria, quasi venter est animi; lætitia verò, atque tristitia, quasi cibus dulcis, & amarus cum memoria commendatur, quasi traiecta in ventrè recondi illuc possunt, sapere nõ possunt, &c. Vt sciam⁹ quomodo Spõsus etiã absens, potuerit quasi præsens esse in memoria, seu mente Sponsæ, atque etiam mentem eius mirabili quadam dulcedine afficere, seu perfundere, perinde ac si præsens re vera esset, Quomodum ipsa videtur his verbis etiam insinuare, vel subindicare. Videndus quoque erit D. Aug. lib. 9. Confess. cap. 1. & 2. vbi inter cætera sic ait, & alloquitur Sponsam, id est, Christum Dominum, dicens: Sed vbi erat tam annofo tẽpore, & quo imo, altòque secreto, euocatũque in momẽto liberum arbitrium meum, quo subderem ceruicem leni iugo tuo, & humeros leui sarcinæ tuæ, Christe Iesu adiutor meus, & redemptor meus. Quam suauè mihi subito factũ est carere suauitatibus nugarũ, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Et rursus cap. 2. cõgruenter ita loquitur, & confitetur: Tu nobis à conuallè plorationis ascendẽtibus, & cantantibus canticum graduum,

graduũ, dederas sagittas acutas. Sagittaueras tu cor nostrũ charitate tua, &c. Denique legendus erit idem August. in lib. Manual. cap. 20. vbi inter cætera sic ait: Frustra accedit ad legendum, ad meditandum, ad prædicandum, ad orandum, qui non amat. Amor Dei amorem animæ parit, & eam intendere sibi facit. Anima amans fertur votis, trahitur desiderijs. Amore anima se cedit, & excedit à corporeis sensibus, vt sese non sentiat, qui Deum sentit. Hoc fit, cum mens ineffabili Dei illucta dulcedine quodammodo sese sibi furatur, imò rapitur, atque labitur à seipsa, vt Deo fruatur ad iucunditatem. Nihil enim tam iucundum, nisi esset tam modicum, &c. quæ profertur in eandem sententiam. Ex quo vno loco facile percipere possumus, quo sensu, vel qua mente dixerit Sponsa in præsentiarum, Et fructus eius dulcis gutturi meo, id est, gustui, seu gustatui meo. Tanquã enim experta loquitur exemplo Regis Proph. qui etiam in Psal. 33. ait: Gustate, & videte, quoniam suavis est Dñs, &c. Super quibus verbis videndus erit, si quis plura desiderat, D. Greg. hom. 36. Et item Leo Papa de quadrag. ser. 12. vt omittam alios complures.

Introduxit me Rex in cellam vinariam.

PER cellam vinariam accomodate oportet intelligere hanc cellam locupletissimam, varijsque generibus rerum deliciarum, seu deliciarum refertam, id est, multis, & varijs rebus esculentis præsertim, & poculentis, epulisque refertam: cuiusmodi est verissimile fuisse regiũ illud penus, quandoquidem Sponsa ait, Introduxit me Rex in cellam vinariam. Vnde D. Ambr. lib. 5. de Sacram. cap. 2. iuxta translationem Græcam, ita congruenter hæc Sponsæ verba interpretatur, per cellam vinariam promptuarium accipiẽs. Ita enim inquit: Græcus in promptuarium suum, & in cellariũ suum haber, vbi bona libamina, boni odores, vbi mella suauia, vbi fructus diuersi, vbi epulæ variæ, vt plurimis epulis tuum prandiũ condiatur. Hact. Ambr. A celando enim & in templo, & in domibus cella appellatur: pars reliqua remotior: & hinc quoque cellarium. Vide Torrentij Episcopi schol. in Sueton. in Tyberio cap. 43. & in Caligula cap. 41. Quamuis non careat ratione, & mysterio, quòd Spõsa hanc cellam, à vino præsertim denomi-

nauerit vinariã, vt diximus aliã A
in priori inscriptione. Nihilominus tamen, vt melius intelligamus vim, & proprietatẽ vocis cellæ vinariæ, qua noster Interpret Latinus in præsentĩ vsus est, legendus erit Aul. Gell. lib. 3. cap. 1. vbi differit de penore. Legendus quoque erit D. Aug. lib. 1. Confess. cap. 19. vbi inter alia sic ait, & confitetur: Furta etiam faciebam de cellario parentum, &c. Ceterum de huiusmodi Sponsæ in cellam vinariã, quæ à Rege facta est, introductione, eiusq; mysterio, iam superius, & alibi diximus multa. Nemo enim penetralia domus de ingressu æstimare debet, vt inquit Ambros. Ideoq; in præsentia satis habeo lectorem remittere pro allegoria, ad magn. Dionys. lib. de Eccles. hierar. cap. 3. p. 3. vbi agens de sacro, vel sacrificio Missæ, non permittit Catechumenos, vel Energumenos, & eos qui sunt in pœnitentia, istiusmodi sacro interesse, præsertim verò sacratori, & secretiori Missæ parti. Inter alia enim ita ibi inquit: Ad ea verò quæ deinceps in hostiæ salutaris oblatione geruntur cõtueda, non hos planè, sed perfectos, & tantæ rei dignorum admittit obtutus, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam.

Ordinavit in me charitatem.

Verbum Hebraicum, pro quo vulgatus noster Latinus hoc loco vertit (Ordinavit) translatum, & bellicum est. Si quis enim propriè, & fideliter reddere velit, idem est, quod vexillare, id est, instar vexilli esse alicui, aut de more vexilli, seu vexilliferi aliquid dirigere, id est, vexillum ferre, aut præferre, & ostendere, aut erigere, vt solent facere in bello ij, qui vexilliferi dicuntur. Solent enim veluti (vulgo dicitur bandeira) præferre, atque erectum ostendere, vt acies ordinatè procedat, quocumq; vexillifer, aut signifer intenderit, vel potius quocumq; Imperator exercitus voluerit, & iusserit, ad victoriã feliciter consequendam. Itaq; videtur hoc in loco, quemadmodum ferè aliã interpretati sumus, Sponsa, sumpta metaphoræ ex bellica, ita loqui, quasi planè in hũc modum dicat: Introduxit me Rex in cellã suam vinariam; & non solum confirmavit, & auxit in me priorem charitatem, atq; cumulavit; sed etiam cõposuit, atq; disposuit, castigavit, & redegit in ordinẽ, vt nihil iam in ea esset preposterum, aut peruersum, & distortũ

in officijs faciendis: sed potius A
omnia essent ordinatissima, re-
ctissima, posita, & consentanea.
Atq; proinde iã ex eo tẽpore, nõ
solum Spõso meo, pro eo ac de-
bui, respondeo in amore; sed
etiã instar vexilli eum mihi esse
puto, & tãquam vexillum mihi
semper sequẽdum esse decreui,
ad eũq; solum tanquam Spõ- B
sum & maximè respiciendum,
intuendũq; esse statui, quem-
admodum scilicet in acie benè
ordinata solent milites, legiones,
cohortes, & decuriæ, vexillum,
seu vexilliferum intueri ad vi-
ctoriam, & gloriam. Sic ego
Sponsum meum semper amori
meo præpositum habeo, atque C
omnes actiones meas ad eũ di-
rigam, & exigam, vt sint Deo
gratæ, honestæ, & benè ordina-
tæ, & deniq; gloria dignæ, iuxta
illud, quod præcipit Paul. 1. Cor.
cap. 10. Si uè ergò manducatis,
si uè bibitis, vel aliud quid faci-
tis, omnia in gloriam Dei facite.
Et item Philipens. capite. 4.
congruenter sic ait: De cæ-
tero fratres, quæcumque sunt D
vera, quæcumque pudica, quæ-
cumque iusta, quæcumque
sancta, quæcumque amabilia,
quæcumque bonæ famæ, si qua
virtus, si qua laus disciplinæ, hæc
cogitate. Quæ & didicistis, &
accepistis, & audistis, & vidistis

in me, hæc agite. Et Deus pacis
erit vobiscum. Hæc. Paul. Quæ
quidem præceptio, seu adhorta-
tio Pauli Apost. tam frequẽs,
tam repetita, & inculcata, ad
animam perfectam præcipuè &
maximè pertinere videtur: & si-
gnificatio perspicua est ordina-
tæ, id est, perfectæ, & consum-
matæ cuiusdam charitatis, quali
quidem prædita Sponsa erat.
Quemadmodum ipsamet de-
claravit, cum dixit Sponsum or-
dinasse in ea charitatem, & quasi
vexillum quoddam erexisse, ad
eum per omnia sequendum, &
quasi currendum, & conuolan-
dum in officijs charitatis, vt nè
fortè aliquando à scopo pietatis
de via veritatis, & salutis aberrare
posset. Semper enim Sponsi
vexillo, seu vellatione ductu, &
auxilio nobis opus est ad salutẽ,
sempèrq; ad eum intuendum,
& respiciendũ est, vt vincamus,
atq; etiam vt nè vincamur: præ-
sertim verò respicere, & inten-
dere vera, & viua fide debemus,
exemplo isto Sponsæ, in vexilla-
torem, seu vexilliferum ipsum
nostrum Christum I E S U M
crucifixum, atque in vexillum
Crucis eius, in qua quidem tan-
quam insigno, seu labaro, & in-
strumento præcipuo salutis cõ-
fidentes, proculdubio vince-
mus, quemadmodum ille vixit,

& triumphavit: iuxta illud, Confidite, quia ego vici mundum. Ad hunc ferè sensum adhortatur Paul. Apost. Hebræo. cap. 12. cum inquit: Deponentes omne pondus, & circumstantias nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem fidei, & consummatorum IESUM, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini animis vestris deficientes, &c. **Quin-** **undò** hoc ipsum Christus Dominus pro sua diuina autoritate in Euangel. Ioann. cap. 3. mandat, ac commendat maximè. In colloquio enim, quod de nocte habuit cum Nicodemo Principe Iudæorum, inter alia sic ait: Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam, &c.

Cæterum de præstantia, atque excellentia benè ordinatæ charitatis, præstat nihil, quàm parum dicere: tanta vsque adeo est eius præstantia, simul & ne-

cessitas ad salutem. Nihilominus tamen legendus erit pro hac re Diuus Augustinus lib. de nativ. & grat. cap. 70. vbi inter alia istiusmodi charitatis laudes, ita fideliter, sapienter, & eleganter ait: Charitas inchoata, iustitia inchoata est: charitas prouecta, prouecta iustitia est: charitas magna, magna iustitia est: charitas perfecta, perfecta iustitia est, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam ibi, & aliàs sæpissimè: Ideoque breuitatis causa supersedendum esse duxi à pluribus eius testimonijs citandis, aut referendis. Operepretium tamen fuerit legere, quæ de laudibus charitatis scribit etiam Philo Iud. in lib. de charitate princ. tom. 2. pag. 78. vbi sic ait: Nunc germana, gemellaque soror pietatis charitas consideranda est adamata legislatori nostro, quantum vix vlli alteri, &c. quæ sequuntur apud Philon. **Quinetiam** de ordine charitatis consultum fuerit legere, quæ post Ciceronem scribit Diuus Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 30. & sequentibus. Consentanea enim sunt (ut Philosophica cum Theologicis, itaque vtraque oportet ut coniungamus) similia sunt, quæ de ordine charitatis scribit etiam, natura & ordine

duce, Simplicius Philosophus A comment. in Epictetum cap. 19. vbi de ratione, & ordine officiorum erga se ipsum, & item erga alios differit. Itemque Aul. Gel. lib. 5. cap. 13. conuenienter differit de officiorum gradu, & ordine. Ut omittam alios complures æthnicos Authores, qui etiam de hoc argumento, seu loco differuerunt. Cæterum ut ea, quæ de vexillo, seu vexillatione Sponsi, melius percipiuntur, vno pulcherrimo exemplo, vidend. erit Eusebius Cæsariensis lib. 1. de vita Constantini Magn. cap. 22. & 23. & 24. & 29. vbi scribit de labaro, id est, certo, & proprio quodam vexillo, quo Constantinus Imper. in bello utebatur, & ducebat exercitum. De quo etiam labaro scribit Eccles. hist. lib. 1. cap. 4. & Nicephor. Eccles. hist. lib. 7. cap. 29. **Quinetiam** Greg. Nazianz. in Iulian. Orat. pag. 603. vbi sic ait: Magnum istud vexillum, quod simul cum cruce magnificè, & cum insigni pompa exercitum ducebat in sublimè euectum, eo quod laborum soluendorum vim habet, inde apud Latinos labari nomen traxisse, principatumque in reliqua omnia vexilla tenuisse, &c.

Fulcite me floribus, stipate me malis.

PYthagoras quosdam arguit, qui animalia quædam odoribus ali affeuerabant. Sed tamen melior est sententia physicorum, & medicorum, qui afferunt aëre, aque rebus odoriferis, floridis, & suaue olentibus spiritus animales ali, viresque delinquentes, & deficientes refici, atque instaurari per olfactum, id est, aëre, seu odore suauiter inspiracionem suauiter attracto. In quibus authoribus est in primis Hippocrates lib. de alimentis circa finem. Et item Galenus de vtilitate respirationis cap. 5. vbi affirmat necessarium esse ex inspiratione per nares potissimam alimenti partem animali spiritui accidere. Idemque Galen. aliàs etiam hanc sententiam confirmat. Consentit, & suffragatur Auicenna. vbi de syncopis curatione tractans, odoribus bonis nutriri in primis spiritum oportere docet. Super qua re, si quis plura desiderat, legendus est etiam Arist. in lib. de sensu, ut omittam alios. Itaque non abs re, neque inconuenienter Sponsa hoc loco, dum se amore languere conqueritur, dicit, Fulcite me flo-

ribus, &c. Neque etiam absur-
dè, sed potius eleganter, & con-
uenienter, atque ex arte, per
amplificationē videlicet, statim
adiicit, Stipate me malis, &c. In-
telligit autem Sponsa, non de
quibuslibet malis, sed de eo ge-
nere malorū, quod odoriferum
est, idoneū, atque efficax ad re-
creandum & refocillandum, id
est, ad medendū huiusmodi lā-
guori, qui ex amore, vel aliun-
de accidit, & per antonomas-
iam, atque sine vllō addita-
mento malum appellatur, ido-
neūque maximè est ad olfa-
ciendum: ideoque in langore,
& fastidio expeti, atque adhi-
beri solet. De quo quidem ma-
li generi, umbra, & fructu eius,
dixerat Sponsa superius, Sicut
malus inter ligna siluarum, sic
dilectus meus inter filios. Sub
umbra illius, quam desideraue-
ram, sedi: & fructus eius dulcis
guttore meo. Et item inferiùs
Cant. c. 7. per comparisonem
dicit Sponsus: Odores tui, seu

Languere etenim amantes
dicuntur interdum, præ
nimio desiderio, & vehementi
amoris affectu, & quasi paraly-
sim membrorum, atque neruo-
rum patiuntur. De qua re le-
gendus erit Isidor. Pelusiota
lib. 2. epist. 233. ad Martinianum,
vbi differit de amore isto cor-
porum vulgari. Inter alia au-
tem ita inquit: Corporum amo-
rem, vt quis acris quidem sit,

Quia amore langueo.

lo me Galatea petit. Vt patet
etiam ex Theocrito Græco
Poëta, & aliis. Malis enim pe-
tere dicimus prouerbialiter,
cū quis ad amādum, vel etiam
redamandum prouocatur. vt
interpretatur etiam Suidas. Vi-
de Adag. Malis ferire. Vnde &
in certamine, præmium malum
erat aureum, quod vincenti da-
batur. Quod ipsum amoris Deę
contigit, vt fingunt Poëtæ, ob
præstantiam formæ. Cæterum,
non solum floribus suaue olen-
tibus, sed etiam vino, fulcire ve-
nas cadentes solent medici. vt
ait Seneca epist. 95. Aristoteles
autem negat eos, qui odoribus
gaudent malorum, rosarum,
iuffimentorum, vocandos esse
intemperantes: sed potius, qui
vnguëtorum, aut obsoniorum,

verum celeriter extinguitur.
Atque ob eam causam Pictores
cum facibus, & pennis Amo-
rem depingunt: quoniam nunc
animum inflammat, nunc rur-
sum ob saturitatem auolat, &c.
Consentanea sunt, quæ scribit
idem Isidor. de istiusmodi amo-
ris affectu, seu languore, vel po-
tius morbo. Vt omittam alia su-
per hæc re quamplura, & super-
uacua: Itaque præ nimio amo-
re, & desiderio Sponsi absentis
languebat, & quodammodo
ægrorare se affirmat Sponsa: vt
sic ostendat quantum boni,
momenti, & ponderis ha-
beat Sponsi sui præsentia. Nam,
vt eleganter inquit D. Hieron.
cap. 26. ad Pammachium, Quid
boni habeat sanitas, languor
ostēdit. Et plus sensimus quod
habuimus, postquam habere
desuimus.

*Leua eius sub capite meo, & dextera
illius amplexabitur me.*

Vide Adag. Hædera lasciu-
uior. Pro allegoria verò,
videndus erit D. Hieronym.
epist. 22. ad Eustoch. vbi ita in-
quit: Amemus & nos Christum,
eiusque semper quæramus am-
plexus, & facile videbitur om-
ne difficile: & iaculo illius vul-
nerati, per horarum momenta

dicamus: Heu me, quia peregri-
natio mea prolongata est, &c.
Idemque Hieronym. epist. 26.
ad Pammachium, per dexte-
ram Sponsi allegoricè intelli-
git, atque exponit studium sa-
crarum litterarum, seu huma-
narum. Ita enim ibi scribit, &
admonet Pammachium, di-
cens: Si adamaueris captiuam
mulierem, scientiam scilicet se-
cularē, & eius pulchritudine
captus fueris, decalua eam, &
illecebras criminum, atque or-
namenta verborum cum emor-
tuis vnguibus seca, laua eam
prophetalit nitro, & tunc re-
quiescens cum illa dicito: Sini-
stra eius sub capite meo, & dex-
tera illius amplexabitur me. Et
multos tibi fætus captiua dabit,
atque de Moabitide efficietur
Israelitis. Hact. D. Hieronym.
Et refertur hic locus Hierony.
pro hac intelligentia à S. Tho-
ma Opusc. 19. cap. 11. Videndus
postremò erit Xenophon in
Cyrop. lib. 8. vbi scribit Cyrum
Regem Persarum lauos sibi ac-
cumbere voluisse, quod læua
magis insidiis obnoxia sit, quã
dextera: vel potius tanquam
cordi propiores. Cor enim ad
læuam paulominus vergit, seu
inclinat, vt Phyci, & Anathu-
mati docent.

Adiuvo vos, filia Ierusalem, per capreas, seruosque camporum.

A Diuratio est Noman-
dria, id est, pastoritia, &
rusticana, vilis, & simplex: sed
tamen elegans, ingeniosa, arti-
ficiofa; id est, valde consenta-
nearationi, & decoro carminis
bucolici: Videtur nihilominus
etiam Sponsus hac forma ver-
borum, seu adiurationis, stu-
dia atque exercitia, oblecta-
mentaque sua præcipua in ve-
nandis istiusmodi feris, obiter
insinuare. Poterat enim Spon-
sus alioquin Sponsam commo-
dè adiurare per genium, salu-
tè que ipsius Spôsæ, vel etiam
charitatem singularem qua il-
lam prosequeretur: vel etiam
per fortunas, per opes & quid-
quid illis dulce erat, vt solebant
veteres Romani. Sed tamen
maluit, magisque ex arte esse
duxit, eam adiurare per delicias
agri, id est, per res agrestes, &
rusticas, quales planè sunt ca-
preæ, seruique camporum: vt
videlicet sic decorum seruaret
carminis bucolici, id est pastoritij.
Magis enim hoc conuenit
personæ pastoris, vt adiuratio
fiat per res consentaneas, & fa-
miliares, id est, pastoritias, rusti-

A cas, & agrestes; quàm per no-
men, aut numen diuinum, aut
alias res diuinas, & sacras, vt
nè fortè veram religionem vio-
lare, aut temerè vsurpare videat-
tur: siquidem per Deum fru-
stra, seu inuanum, & otiosè iu-
rare videretur, id est, absque vlla
ratione, & necessitate sacrosan-
ctum Dei nomen adhibere in
re amatoria, parabolica, & qua-
si poëtica, id quod vera religio
prohibet, & lex diuina atque
etiam humana, & recta ratio.
Tanta vsque adeo est religio iu-
ramenti, quo per Deum iura-
mus, vel etiam adiuramus. Vn-
de & Tertul. in apologet. aduer-
sus gentes cap. 28. iure, meritò-
que reprehendit superstitionem,
ac temeritatem eorum, qui plus
timoris humani Romanorum
Imperatori tribuebant: citiusq;
per omnes Deos, quàm per vnâ
genium Cæsaris peierabant. Si-
quidem maiori formidine, &
callidiori temeritate Cæsarem
obseruabant, quàm ipsum de
Olympo Iouem. Sic ille. Dixit
autem istiusmodi adiurationem
esse, & videri poëticam, id est,
poësim imitari. Nam in Poëtis
frequenter legimus Dianam
venationis Deam, ad otium vi-
tandum, verumque laborem
docendum; per montium, ter-
rarumque iuga, tali venatione
præcipuè

præcipuè delectari: & tali exer-
citiij genere, capreis (inquam)
ceruicque camporum, & alijs
istiusmodi feris captandis, maxi-
mè operam dare, vt ne vnquam
otio indulgere, aut vacare vide-
retur. Vide Adag. In capreas syl-
uestres. Vide etiam alterû, Ama-
torium iusurandum. Viden-
dus quoque erit Plato in Phile-
to, vbi loquens de amantium
iuramentis, seu adiurationibus,
atque periurijs, sic ait: In volu-
ptatibus, seu rebus amatorijs,
etiam periurium à Dijs veniam
consequitur, quasi puerorum
instar istiusmodi voluptates, seu
amatores, non sint mentis com-
potes. Sic Plato, irridens scili-
cet amantium vulgarium iura-
menta, & damnans consuetudinem,
& opinionem istiusmodi
iurandi vulgarem in rebus ama-
torijs, & voluptuarijs. Quo sen-
su etiam quidam ex Poëtis pro-
phanis, iuxta opinionem vulgi,
potius quàm normam veritatis,
de suo Ioue ita pronuntiauit:

*Periuria ridet amantum
Iupiter, & vêtis, irrita ferre, iubet.*
Sed tamen quomodocumque
prophani authores de iuratio-
ne sentiant, & loquantur; in
præsenti loco, non periurium,
neque etiam iuramentum, sed
potius (vt dixi) adiuratio quæ-
dam est poëtica, artificiosa, &

A festiua, dum ait Sponsus: Adiu-
ro vos per capreas, ceruosque
camporum, &c. alludens scili-
cet ad rem venatoriam. De qua
quidem legendus erit Plinius
nepos, in epist. ad Tacitum, vbi
differit de venatione. Viden-
dus quoq; erit, si quis plura de-
siderat, Aug. Nyphus in Opusc.
de solitudine pag. 94. & 95.

Cæterum sciendum est, &
obiter obseruandum, pro hoc
quod vulgatus noster Latinus
hoc in loco habet: Adiuvo vos
per capreas, ceruosque campo-
rum: Lxx. quorum authori-
tas grauis est, vertisse: Adiuvo,
vos in virtutibus, & viribus
agri: propter Hebraicorum ver-
borum similitudinem, & ambi-
guitatem. Ideoque culpandi
non sunt: neque enim malè, sed
potius benè ad sensum ita ver-
terunt. Quemadmodum dili-
genter ostendit etiam quidam
ex recentioribus, Tuccius Lu-
censis annot. in Cant. pag. 138.
D Ego enim in grammaticis, &
friolis non immorabor. Adiu-
rata autem Sponsus filias Ierusa-
lem, id est, puellas, seu virgines
Hierosolymitanas, familiares,
sodales, & pedissequas Spôsæ,
potius quàm filios Hierusalè, vt
scilicet locutio, seu oratio, si
dulcior, & magis & amatoria
accommodata. Sicut etiam lot-

quitur D. Greg. in 1. Reg. cap. 9. lib. 4. pag. 1426. super illis verbis, Inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis, &c.

Ne suscitatis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

PRO allegoria istorum verborum Sponsi, vidend. erit D. Greg. com. in 1. Reg. cap. 9. lib. 4. expositionis Samuelis, super illis verbis, Festina, &c. vbi sic ait: Hoc nimirum magisterio sanctæ Ecclesiæ doctor instruitur, vt videlicet raro sit in publico, frequens in secreto, vt quò tardius aspicitur, deuotius veneretur. Tum quidem quasi cælestis excipitur, quia quod amplius in secreto contemplationis latuit, verbi Dei thesauros ad eos, qui se expectant, ditiores trahit, &c. Deinde postea inferius ita congruenter subdit dicens: Nam nobis pastorum nostrorum loca, in quibus orare, aut secreti esse consueuerunt, veneranda, non ad eunda sunt, quod non solum exemplo, sed etiam diuina cohortatione cognoscere possumus. In Canticis quidem Cant. Sponsus denuntiat dicens: Obsecro vos filiæ Ierusalem, ne euigilare faciatis dilectam, quoad

ipsa velit. Mentis enim perfectorum Sponsæ sunt, quia dum secreto diuini amoris se velut in thalamo collocant, ibi per visionem inueniunt, qui ineffabili amore iunguntur. Cùm ergo Sponsa dormit in thalamo, coniungitur Sponso: quia dum electa prædicatoris anima in secreta contemplatione reconditur, quasi in Sponsi thalamo collocatur. Qui ergo hanc suscitatur, Sponso tollit: quia nimirum requies electæ animæ, non solum sua, sed etiam delectatio Sponsi est. Vnde & per Prophetam dicitur, Gaudebit Sponsus propter Sponsam. Merito ergo Ierusalem filias Sponsus adiurat, vt ab eis Sponsa quandiu dormire voluerit, non excitetur: ne dum illa surgit à quiete thalami, ipse perfruitione perdat amoris. Egressus ergo Samuelis expectetur: quia viri sancti in secreto sui silentij venerandi sunt, inquietandi non sunt. Hęc omnia ibi D. Greg. per allegoriam. Lege quoque locum illum, qui est apud D. Aug. lib. 9. Conf. cap. 10. vbi loquens de mentis excessu, quem ipse aliquando passus est per silentium, de Regno Dei cum matre sua pariter colloquendo, inter cætera sic ait: Dicebamus ergo: Si cui fileat tumultus carnis, fileant

phantasi terræ, & aquarum, & aëris, fileant & poli, & ipsa anima similiter fileat, & transeat se non cogitando: fileant somnia, & imaginariæ reuelationes, & loquatur ipse solus, non per ea, sed per seipsum; vt talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ cui suspirauimus. Nōne hoc est, Intra in gaudium Dñi tui? &c. quæ seqq. Videri autē potest simile quippiam passā fuisse Sponsa: & hoc ænigmaticè significare per eius somnum, siue dormitionem. Ideoque Sponsus, vt ne quis eam excitare à somno audeat, sed potius dormire, & quiescere permittat, donec ipsa velit, &c.

Dilectam. Vox Hebræa, pro qua vulgatus noster Latinus hoc loco vertit (Dilectam) ambigua est, significans tam dilectam, quàm dilectionem. Atque proinde liberum est vt rous modo pro loci circumstantia reddere, siue dilectam, siue dilectionem: vtraque enim interpretatio quadrat, iuxta subiectam materiam. Nihilominus tamen mihi non displicet, sed potius placet, vt hic vertamus (Dilectionem) vt sit nomē abstractū pro concreto. Est enim proculdubio tunc oratio Sponsi magis emphatica, & signifi-

cantior appellatio, & multo magis pathetica, seu amatoria: siquidem Sponsa non solum dilectā, sed etiam ipsa Sponsi dilectio, seu charitas, seu amor appellatur. q. d. Sponsus: Neque euigilare faciatis dilectionem meam, id est, charitatē, & amorem meum, vel potius amores meos. Hęc enim locutio sine vlla dubitatione significantior est, & multo magis amatoria, vt (inquam) vertamus hic vocem Hebraicam per nomen abstractum, potius quàm concretum accommodatē. Sic à veteribus Democritum Philosophum, & Cæli & sublimium rerū obseruatione præstantem, multaque prædicentē, pro sapiēte, sapiētiā appellatū esse legimus. vt testatur Clemens Alex. lib. 6. Stromat. pag. 166. aliàs pag. 700. Ita etiam eos qui Athenis nati eloquentia præcellerent, Atticæ Musæ, domesticæque ornamentis appellati esse, auctor est Eunapius in Oribasij vita sub initium pag. 171. Quinetiam de Xenophonte tradit Diogenes Laert. lib. 2. de vitis Philosophorum, ob elocutionis dulcedinem Atticæ Musæ inditum ipsi nomen à veteribus fuisse: vt omittam alia exempla huiusmodi locutionis.

Vox dilecti mei, &c.

Qualis nam fuerit hæc vox Sponsi, quam Sponsa primum audiuit, non hîc exprimitur: coniecturaque assequendum, diuinandumque potius est, quam pro certo asserendum. Qualiscumque tandem ea vox fuerit, siue articulata, siue inarticulata, non est dubitandum iuxta subiectam materiam, & circumstantiam loci, quin plena dilectionis, charitatis, indulgentiæ, ac beneuolentiæ fuerit, quin etiam causa noui amoris efficiens. Itaque animum Sponsæ incredibili quodam amore, gaudio, lætitiæque ineffabili perfudit, tanquam vox quædam Dei. Sicuti est in veteri proverbio, effecitque, vt illa in hoc verba derepente, & statim, proruperit dicens, Vox dilecti mei, &c. Quamuis fortè qualis omnino fuerit ea vox, non potuerit Sponsa facillè discernere, facile tamen agnouit esse re vera Sponsi sui vocem. Vox tamen Sponsi, quomodocumque res sese habeat, in bonam partem accipitur hîc, amatoriaque est, & salutaris, id est salutis operatoria, quoties in bonam partem accipitur, id est, quando Sponsus ea quæ ad salutem, & pacem lo-

Aquitur nobis. Vt apparet, exempli gratia, ex vno loco, qui est apud D. August. lib. 23. Conf. cap. 1. vbi sic ait: Inuoco te, Deus meus, in animam meam, quam præparas ad capiendum te ex desiderio, quod inspiras ei: nunc inuocantem te, nè deseras, qui priusquam inuocarem, præuenisti & institisti crebrescens multumodis vocibus, vt audirem de longinquo, & conuerterer, & vocantem me, inuocarem te. Tu enim, Domine, deleuisti omnia mala merita mea, ne retribueres manibus meis, in quibus à te defecit: & præuenisti omnia bona merita mea, vt retribueres manibus tuis, quibus me fecisti, &c. quæ sequuntur apud Aug. ibidem, & alias sæpissimè, de uocatione, & auxilio Dei efficaci, & operatorio.

*Ecce iste venit saliens in montibus
transiliens colles.*


Ipsa Sponsa testimonio, atque experimento suo ostendit, adhibita etiam capreæ, hinnulique ceruorum comparatione, quanta dilectione, diligentia, & celeritate Sponsus ad eam amore languentem visendam, & consolandam, consolabundus venerit, dū (in quâ) tam ardentem

ab ipsa expectaretur, in omnem partem respiciens, qua Sponsus vderi, aut apparere posset: fortè ex superiori ædium parte: quânis semper ab ea expectaretur, & paulò magis aut minùs desideraretur, videlicet, pro re nata, & oblata. cuiusmodi expectationis, & desiderij exemplum luculentum habemus in lib. Tobix cap. 11. vbi ita scriptum est de Anna Tobix senioris vxore, & matre Tobix iunioris, reditum filij vehementer expectante: Anna autem sedebat secus viam: quotidie in supercilio montis, vnde respicere poterat de longinquo. Et dum ex eodem loco specularetur aduentum eius, vidit à longe, & illicò agnouit venientem filium suum, currensque, nunciauit viro suo, dicens: Ecce venit filius tuus, &c. Qui locus similis videtur esse huic Cant. cap. 2. cum ait Sponsa præ nimia expectatione, charitate, & desiderio Sponsi absentis, & quodammodo tardantis: Vox dilecti mei. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles &c. Id, quod patet etiam magis ex adiuncta statim comparatione, dum per amplificationem, id est, ad amplificandam charitatem, diligentiam, & celeritatem Sponsi ad se sic amore languentem venientis, seu re-

Adeuntis, subiicit: Similis est dilectus capreæ, hinnulòque ceruorum. Videndus nihilominus etiam super hac allegoria D. Aug. tract. 49. in Euang. Ioan. cap. 11. Super illis verbis, Domine, ecce quem amas, infirmatur. Vbi sic ait: Sufficit enim vt noveris: non enim amas, & deseris, &c. Et item Paulus Episc. Burg. scrut. p. 1. d. 10. cap. 9.

*Similis est dilectus meus capreæ,
hinnuloque ceruorum.*

In quibus verbis Sponsæ illud obiter obseruandum, & ponderandum est, quòd Sponsus suum, non capris, aut hinnulis ceruorum similem esse dixit, qui scilicet liliis, & floribus pascuntur, & in camporum latè patentium æquoribus discurrunt, & in vallibus cauis habitant. sed potius capreis, hinnulisque, qui in montibus, & syluestribus locis degunt. Quibus quidem similes esse videntur, presertim rerum cælestium altissimarum, & diuinarum speculatores, & contemplatores: quales planè fuerunt Apostoli, cæteri que viri Apostolici, sanctique Theologi, & Patres. De qua quidem allegoria multa, atque plurima aliàs dicta reperiuntur, quæ breuitatis causa silentio hic præterire



constitui. Pro quare legend. erit
D. Hierony. in Cat. Script. Ec-
clesiast. pag. 407. & sequentib.
vsque ad finem lib.

*En ipse stat post parietem
nostrum, &c.*

Deus ipse Opt. Max. id est,
Sponsus caelestis, valde ze-
lotypus est, similisque esse vide-
tur (sicut proditum est in sacris
litteris, praesertim in sermoni-
bus prophetarum) homini val-
de zelotypo, qui stans videt,
& audit etiam post parietem, &
quasi per cancellos, quaecum-
que agit, & loquitur amica, seu
Sponsa: qualis praesertim est ani-
ma perfecta, cuius quidem di-
uinus Sponsus obseruat, non so-
lum verba, seu dicta, & facta, &
gestus, & motus quosuis, ne di-
cam intimas animi cogitationes
quas etiam diligenter scrutatur,
speculatur, & notat sigillatim.
Vnde & Sap. cap. 1. prouerbiali-
ter: atque eleganter dicitur ha-
bere aurem zeli, id est, zeloty-
pam acerrimam, & acutissimam,
instar hominis zelotypi, vt su-
perius dixi, & alias diximus. Sic
enim ibi scriptum est: Benignus
est Spiritus sapientiae, & non li-
berabit maledicum, vel potius
maledicum, a labiis suis, quonia
renum illius testis est Deus, &

cordis illius scrutator est veru
& linguæ eius adiutor. Propter
hoc, qui loquitur iniqua, non
potest latere, nec praeteriet il-
lum corripens iudicium. In co-
gitationibus enim impiis inter-
rogatio erit: sermonum autem
illius auditio ad Deum veniet
ad correptionem iniquitatum
illius. Quoniam auris zeli audit
omnia, & tumultus murmura-
tionum non abscondetur, &c.
Super quibus Sapient. verbis
(si quis plura desiderat) legend.
erit D. Aug. lib. de mendacio
cap. 16.

Respicens per fenestras, &c.

Id est, respiciens per fenestras
cancellatas. Ex conspicio enim
obseruare, idem est, quod respi-
cere per fenestras cancellatas.
Conspicium etenim non tan-
tum oculare subsidium signifi-
cat, sed etiam fenestram clatra-
tam, & minutis cancellis obte-
ctam. Vnde inuias prospiciun-
tur homines, qui sese a via videri
volunt. Quam obseruatoriam
fenestram licet appellare, quem-
admodum bene docet, & osten-
dit Budæus lib. 5. de Affe pag.
191. Vnde Prouerb. Ex conspi-
cilio obseruare. Et item alte-
rum prouerb. Per trāsennam in-
spicere. Videtur autem hic Spō-
si respectus per cancellos, ænig-
maticè significare condescen-

sionem Dei quandam, qua se
accommodat ad captum ho-
minum in apparitionibus suis,
vbi neque apparet sicuti est, sed
potius sicuti a nobis videtur, seu
videri potest, oportet, & decet
pro nostra infirmitate, & captu,
vt ne opprimamur a gloria, &
maiestate eius. De qua Dei cō-
descensione, seu accommoda-
tione, videndus erit D. Dionys.
lib. de caelesti Hierarch. cap. 1. &
Origen. lib. 4. contra Celsum
pag. 62. & 63. vbi agit de ista Dei
condescensione, vel descensio-
ne. Et D. Chryl. ho. 3. de incom-
prehensibili Dei natura pa. 997.

En dilectus meus loquitur mihi.

Videtur Sponsa his verbis
exponere, & declarare am-
biguitatem illius, quod dixerat,
vox dilecti mei, &c. id est, disertè
explicare, quid per vocem Spō-
si significetur. q. d. planè: Vox
autem Sponsi id continebat, &
sonabat, nempe vt surgerem, &
properarem post eum, id est,
eius vestigia sequerer, si modo
vellè ab amoris languore peni-
tus sanari, & liberari. Hoc enim
sensu loquens, dixit Spōsus. Sur-
ge, propera amica mea, formosa
mea, & veni. Atque hæc fuit vox
eius prima, quam primum au-
ribus percepit Sponsa: qua qui-

dem voce, seu locutione, atque
iussione, seu præceptione, nihil
potest esse, aut dici molliùs, blā-
diùs, & commodiùs: tota enim
quota est, amatoria est, totaque
spirat amorem, dilectionem, &
charitatem. Atque proinde non
potuit Sponsus loqui magis ex-
animi, seu cordis Spōsæ sen-
tentia.

Pro allegoria autem istorum
verborum Spōsæ, id est, de com-
moda, & salutari Dei ad Eccle-
siam, seu animam perfectam al-
locutione, congruenter ait Rex
Proph. in Psal. 84. Audiam quid
loquatur in me Dominus Deus,
quoniam loquetur pacem in
plebem suam, & in eos, qui cō-
uertuntur ad cor. Vnde D. Aug.
10. li. Cōfes. ca. 26. ibi inter cate-
ra sic ait: Vbi que presides omni-
bus consulentibus te, simul que
respondes omnibus consulenti-
bus te, simulq; respondes omnib⁹
etiam diuersa consulentibus te.
Liquid è tu respondes, sed non
liquidè omnes audiunt. Om-
nes vnde volunt, consulunt: sed
non semper quod volunt, au-
diunt. Optimus minister tuus
est, qui non magis intuetur hoc
à te audire, quod ipse voluerit,
sed potius hoc velle, quod à te
audierit. Et cap. 27. eiusdem lib.
10. sic ait: Vocasti, & clamasti, &
rupisti surditatem meam, coru-

casti, & splendisti, & fugasti A
 cæcitatem meam. Flagraſti, &
 duxi ſpiritum, & anhelò tibi, gu-
 ſtaui, & eſurio, & ſitio: tetigiſti,
 & exaſti in pacem tuam. Deni-
 que idem Aug. lib. 6. Confess.
 cap. 13. de iſtiusmodi Dei ad ani-
 mam locutionis dulcedine, &
 ſuauitate mirabili, ſic ait, taleq;
 reſtimonium perhibet S. Mo-
 nica matris ſuæ, inter alias eius
 laudes: Dicebat enim diſcerne-
 re ſe (neſcio quo ſapore) quem
 verbis explicare non poterat,
 quid intereſſet inter reuelantē
 te, & animam ſuam ſomniantem
 &c. quæ ſequuntur. De huius-
 modi quoque locutione Dei ad
 animam perfectam, qualis planè
 erat Sponſæ anima, intelligen-
 dus eſt Oſeas Proph. cap. 2. Vbi
 Oraculum diuinum inter alias
 diuinas ſuas promiſſiones etiam
 atque etiam, ideſt, aliis atque
 aliis verbis affirmat, ſe futurum
 eſſe blandiſſimum, & indulgen-
 tiſſimum erga Eccleſiam nouā,
 cum ſic ait: Propter hoc, ecce
 ego lactabo eam, & ducam eam
 in ſolitudine, & loquar ad cor
 eius. q. d. Familiariter, molliter,
 & blandè, & ſecundum animi
 eius ſententiam loquar ei, &
 quaſi cum amica, & ſponſa cha-
 riſſima communicabo. Hoc eſt
 enim Ego lactabo eam, ideſt, al-
 liciam multis, variſque favori-

bus, beneficiis, atque blanditiis.
 Quemadmodum v. g. mater l.
 nutrix facere ſolet erga infan-
 tes, quibus non ſolum infantile
 cibos alios, v. g. butyrum, &
 mel, ſed etiam lac ex huberibus
 ſuis præbere ſolent. Iſtiusmodi
 enim metaphora, ſeu compara-
 tione uſus eſt etiam D. Paul. in
 epift. 1. ad Theſſal. cap. 2. vbi ſic
 ait: Cum poſſemus vobis oneri
 eſſe, vt Chriſti Apoſtoli, ſed fa-
 cti ſumus paruuli in medio ve-
 ſtrūm; tamquam ſi nutrix fo-
 ueat filios ſuos, ita deſideran-
 tes vos cupidè, volebamus tra-
 dere vobis, non ſolum Euange-
 lium Dei, ſed etiam animas no-
 ſtras, quoniam chariſſimi nobis
 facti eſtis. Vos teſtes eſtis, &
 Deus, quam ſanctè, & iuſtè, &
 ſine querela, vobis qui credidi-
 ſtis, affuimus, ſicut ſcitis: quali-
 ter vnum quemque veſtrum, ſi-
 cut pater filios ſuos, deprecantes
 vos, & conſolantes, teſtifica-
 ti ſumus, vt ambularetis dignè
 Deo, qui vocauit vos in ſuum
 Regnum, & gloriam. Et 1. Cor.
 cap. 3. ait: Tamquam paruulis in
 Chriſtum lac vobis potum de-
 di, non eſcam, &c.

*Surge, propera, amica mea, formoſa
 mea, & veni.*

QVorum verborum Sponſi
 ſeparatim, talis videtur eſ-
 ſe ordo,

ſe ordo, atque ſententia, quaſi
 dicat, commiſerando Sponſæ
 ſuæ langorem, ſiue laborem, &
 dolorem, quem paſſa erat in eo
 expectando: Surge ergo ex le-
 cto, ſeu ſtrato tuo, & domo, ô
 Sponſa chariſſima, eamſque
 pariter ambo in villam ruſtica-
 tum, animi cauſa, de more no-
 ſtro ſolito, vt in tanta, tamque
 præclara ita temporis verni
 oportunitate, deliciis agri ſi nul-
 etiam frui poſſimus: quãdoqui-
 dem quæ nimio mei amore, &
 deſiderio telanguere, vel etiam
 ægrotare affirmas. Ad hunc ſen-
 ſum, ſi diligenter attendamus,
 videtur Sponſus Sponſam ſuam
 amore languentem alloqui, in-
 uitare, & adhortari.

Pro allegoria autem horum
 verborum, operæ pretium fue-
 rit legere, quæ ſcribit Arnobius
 lib. 2. contr. Gentes autè ſinem
 lib. pa. 97. vbi reſpondens ad ob-
 iectionem Gẽtilium dicentium,
 Cur ſoſpicator Chriſtus Cæli ex
 arcibus tam ſerò venerit ad vo-
 candas, ſeu illuminandas gentes,
 ideſt, ad ſaluandum genus hu-
 manum. Inter alia ſic ait: Cur
 etiam poſt meſſes arefactas, at-
 que extincta frumẽta, nonnum-
 quam decidant pluuiæ, quas re-
 bus oportuit incolumibus labi
 atque temporis oportunitatibus
 miniſtrari? Rationem aliquam

ruiffe dicetis. Ratio ergo & hic
 fuit, cur non nuper, ſed hodie ſo-
 ſpicator noſtri generis adueni-
 ret. Quænam igitur ratio eſt? Nõ
 imus iniſcias nẽſcire nos. Neque
 enim promptum eſt cuiquam
 Dei mentem videre, aut quibus
 modis ordinauerit reſ ſuas. Ho-
 mo animal cæcum, & ipſum ſe
 neſciens, vllis poteſt rationibus
 conſequi quidem oporteat fieri,
 quando, vel quo genere ipſe re-
 rum cunctorum pater, modera-
 tor, & Dominus ſcit ſolus, &c.
 quæ proſequitur.

Formoſa mea. Orditur autem
 Sponſus à laude, & admiratione
 formæ adhortationem ſuam, vt
 ſic magis perſuadeat. Sponſa nã-
 que, & virgines, ſeu puellæ etiam
 valdè pudicæ, ſeu honeſtæ, hanc
 laudem, ideſt, præſtantiam for-
 mæ, peculiariter ſibi ſtudent ven-
 dicare. Vnde illud:

Delectant etiã caſte preconia formæ.

Et veni. Videndus Auguſt. cap.
 52. ad Macedonium ſi. vbi ait:
 Imus autem, nempe ad Deum,
 non ambulando, &c. Nec enim
 locis corporalibus, vel extendi-
 tur, vel includitur, &c. quæ ſe-
 quuntur.

*Iam enim hyems tranſiit, imber
 abiit, & receſſit.*

Natura rerum, cui ſol maxi-
 mè inferuit, moderatas

temporum mutationes amat, & facile fert: repentinas autem, & extremas temporum commutationes non tolerat. Idcirco hyemem ver excipit: Deinde sequitur æstas, illam autumnus, hunc hyems: quoniam ab extremo ad extremum non itur, nisi per medium. Pro qua revidendus etiam erit Seneca Phil. Epist. 36. vbi sic ait: Obserua orbem rerum in se remeantium, videbis in hoc mundo nihil extingui, sed vicibus descendere, atque refugere. Æstas abir, sed alter annus illam adducit: hyems cecidit, referunt illam sui menses. Solem nox obruit, sed ipsam statim dies abigit. &c. quæ sequuntur. Pro qua re vide Adag. Sequitur ver hyemem: pro eo quod tristibus succedunt lætiora. Et alterum Adag. Hirundo astatem loquitur.

Pro allegoria videndus erit Tertul. Apolog. pag. 46. vbi ait, Temporavbi finiuntur, incipiunt, &c. quæ sequitur. Videndus quoque D. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 60. vbi congruenter ait: Qui rerum opportunitatem perdiderit, comoda minimè assequetur. Et cætera, quæ prosequitur de opportunitate captanda, & arripienda, præsertim verò in rebus pietatis, atque salutis. iuxta illud Paul. Apost. 2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc

dies salutis, & cætera quæ sequuntur.

Flores apparuerunt in terra nostra.

INitium fertilitatis est flos, plenique veris, & anni renascentis indicium est. Item flos veluti arborum quoddam gaudium est, & decus, & gloria noua: tunc enim se nouas, longæque alias, quàm in hyeme, & autumno fuerant, ostentat. Tunc variis colorum picturis inter se arbores, & plantæ, quasi decerare, & lasciuire videntur. quem admodum elegantissimè ostendit Claudianus Poëta Christianus, (vt vulgus opinatur: vel potius paganus, vt D. Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 26. Et item Orosius lib. 7. cap. 23.) Claudianus, inquam, lib. 2. de raptu Proserpinæ, in verni temporis descriptione, vbi sic ait:

Vernus sequitur color omnis in herbas,

Turget humus, medioque patens conuexa sereno,

Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro

Induit, & dulci violas ferruginas pingit,

Nam Archimedes potuit melius describere veranum

Tempus.

Sic ille. Quo sensu Ouidius lib.

5. Fastorum, ita vernum tempus describit, inquit:

Purpureis collucent floribus ægri Lumina, &c.

Pro allegoria autem horum verborum videndus erit D. Aug. lib. 12. Confess. cap. 29. vbi inter cætera ita per comparisonem ait: Non est absurdum discernere, quid præcedat aternitate, quid tempore, quid electione, quid origine. Aternitate, sicut Deus omnia: tempore, sicut flos fructum: electione, sicut fructus florem: origine, sicut sonus cantum, &c. Videndus erit quoque Hefychius Presbyter in sermone de temperantia, centuria 2. cap. 63. apud Marcum eremitam pag. 528. vbi etiam per comparisonem sic ait: Initium fertilitatis est flos: conseruanda verò mentis principium est Temperantia a cibis & potibus &c.

Terra nostra. Terra, vel, terræ nostræ voce, intelingenda est accommodatè, & iuxta subiectam materiam, Terra sancta, quam vulgò appellamus, id est, Terra Israëlita, seu Palestina, iam olim Abrahæ, & posteris eius promissa diuinitus. De cuius descriptione videndus præsertim erit D. Hieron. cap. 29. ad Dardanum; vt omittam alios complures recentiores Authores.

Tempus putationis aduenit.

Quoniam hæc oratio scientiam tangit rei rusticæ, cuiusque cognitionem desiderat, præter ea, quæ aliàs diximus, non abs re erit legere, quæ scribit Aul. Gellius libri sexti capite sexto, vbi sic ait: Putare autem veteres dixerunt vacantia ex quaque re, ac non necessaria, aut etiam absentia, & aliena auferre, & excidere: & quod esset vtile, ac sine vitio videtur relinquere. Sic namque & arbores, & vitès, & sic etiam dicta putari &c. Sermo enim hic est de solempni, & annua ista vitium putatione, seu purgatione. Ad quam aliud etiam Christus Dominus in Euang. Ioan. cap. 15. cum ait: Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est: omnem palmitem non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit, vt fructum plus afferat. Et cætera quæ sequuntur in eadem sententia de spiritali amputatione, & fructificatione, id est, fructibus operum bonorum. Pro qua re legendus erit D. Ambr. lib. 2. epist. 7. ad Simplician. vbi sic ait, atque concludit totam epist. Recidatur ergo luxuries, deliciae refecentur. Et si quis fuit

luxuriosus, vale dicat superiori-
bus. Recisa enim vinea, fructum
affert, semipurata frondescit, ne-
glecta luxuriat. Iuxta illud Osee
cap. 10. Vitis frondosa Israel. De-
inde legendus erit Elias vincus
schollis in Ausonij epigram. 253.
ad illa verba, Probra canunt se-
ris cultoribus, &c.

*Vox turturis audita est in
terra nostra.*

VOx turturis gemitus est
potius, quam cantus. Aiunt
enim turturem famosam amif-
so marito, non solum de more
suo solito gemit sola: sed etiam
arborem viridem non amplius
attingit. Quamvis illud sit ve-
rum aues etiam delectari suis
vocibus, ut affirmat D. Aug.
lib. 1. De Musica cap. 4. Et Plato
in Phædo affirmat, nullam auem
neque cygnum inquam, neque
vllam aliam auem præ dolore
canere.

Ad pleniorum cognitionem
horum verborum Sponsi legen-
dus erit Cartarius in lib. de ima-
ginibus deorum titulo, Mercuri-
us pag. 215. quod cornix coniu-
galis concordia Symbolum sit,
atque etiam castitatis. Consen-
taneus est locus ille, qui est

apud Philonem Iudæ. in lib. de
Decalogo, ubi ait: Prærogatiua
est. propriæ religionis virginitas,
& pudicitia, &c. Quod si quis
plura desiderat, legendus erit
D. Aug. lib. 12. Confess. cap. 16.
Intrem in cubiculum meum, &
cantem tibi amatoria gemens,
&c. Et lib. de bono coniugali ca.

21. tom. 6. comparare non vere-
tur meritum Abrahamæ coniugis.
cum merito Ioannis Apost. vir-
ginis: ut ne quis fortè de sola vir-
ginitate superbire audeat. Et D.
Ambr. in epist. quadam ad Va-
lentinianum Augustum, osten-
dens quanta sit præstantia Chri-
stianæ religionis in castitate, &
virginitate, sic ait: Vix sep-
tem Vestales olim capiebantur
puellæ. En totus numerus,
quem infulæ vittati capitis,
purpuratarum vestium muri-
ces, pompa lecticæ ministro-
rum circumfusæ comitatu, pri-
uilegia maxima, lucra ingenti-
a, præscripta denique pudici-
tiae tempora coegerunt. Haest.
Ambrosius. Et Gregor. Na-
zianz. in præceptis ad virgines
canit:

*Turtur vidua a merito;
Extinctum gemit assidue, luctuque
requirit.
O verè sapiens volucris! &c.*

Itaque non videtur mysterio,
seu ratione, & arte, atque do-
ctrina carere in præsentiarum
hæc particula (Vox turturis)
Alioqui, nisi Author vellet vo-
cabulo turturis aliquod infi-
nuare mysterium, potius in ve-
ris descriptione diceret, Vox
Lusciniæ audita est in terra no-
stra. Nam vox Lusciniæ etiam
audiri, & maximè oblectare au-
dientes solet. verna ista parte
anni: quoniam numerosus, &
suauissimus ille cantus, & (nisi
fallor) tēpori maximè cōgruit
talis modulatio. ut inquit D.
Aug. lib. 1. de Musica cap. 4. Vel
etiam: Vifa est hirundo in terra
nostra. Ut dixit quidam: & re-
fertur ab eodem Aug. lib. 4. de
Musica cap. 15.

*Ver blandum viget arvis, adest
hospes hirundo.*

Ficus protulit grossos suos:

Ficum multa sunt genera,
quæ à veteribus referuntur.
Ideæ rotundiores, Chalcidica,
Lydiæ purpureæ, & Rhodia
nigra, & Tyburtina præco, ut
omittam alia multa. Prodromi
autem, id est, præcursores ficus
mariscæ utantur, quando car-
tarum maturitatem præuenire
solent. Per (grossos) quidem al-
legoricè hæc interpretantur

actiones quasdam hominum.
minùs perfectas, quales sunt fi-
cus fructus primi, quos grossos
appellamus, vel etiam alij fru-
ctus arborum præcoces, immaturi,
insuaves, & acerbi, vel inchoa-
ti, minimèque perfecti: qui ta-
men actus, seu actiones huma-
næ, spem fructus perfecti fece-
runt aliquam. Ut v. g. Exod. ca.
2. legimus de factore Moysi, quā-
do Ægyptium hominem in Æ-
gypto occidit, zelo quodam
Dei, atque etiam gentis suæ. Et
item de Petri Apost. facto, quā-
do percussit, vel amputavit
Malchi auriculam zelo ductus.
quemadmodum eleganter ani-
maduertit, & ponderat vtrius-
que factum D. Aug. lib. 21. con-
tra Faustum Manichæum cap.
70. vbi inter cætera ita inquit:
Quid ergo incongruit, si Pe-
trus post hoc peccatum factus
est pastor Ecclesiæ, sicut Moses
post percussum Ægyptium fa-
ctus est rector illius Synagogæ?
Vterque enim non creitabili
immanitate, sed emendabili
animositate iustitiæ regulam
excessit. Vterque odio impro-
bitatis alienæ, sed ille fraternæ,
iste Dominico, licet adhuc car-
nali, tamen amore peccauit.
Veruntamen animæ virtute ca-
paces, ac fertiles, præmittunt
sepe vitia, quibus hoc ipsum in-
T. iij.

dicent, cui virtuti sint potissimum accommodatae, si fuerint praecipitum excoltae. Sic enim & agricola quam terram viderint, quamuis inutiles, tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam esse pronunciant: & ubi scilicet aspexerint, licet eradicandam sciant, validis vitibus habilem intelligunt: & quem montem oleastris sylvescere aspexerint, oleis esse utilem, cultura accedente, non dubitant, &c. quae prosequitur Aug. in eandem sententiam doctissime de vtriusque Mosis & Petri Apost. facto, conijciendo potius, quam omnino affirmando, sententiamque certo ferendo. Vide pro hac sententia Adag. Incaprificatus es. Et alterum Adag. Maturior moro. Praecocia namque ingenia familia sunt praecocibus fructibus, l. grossis: ideoque minimè laudantur, quamuis speciem aliquam praefereant bonitatis, probitatis, seu virtutis, & pietatis, aut zeli. Vnde & Apuleius Apolog. 2. pag. 235. rectè inquit: Est ille Poetae versus non ignotus,

Odi puerulos praecipiti sapientia.
Sed enim malitia procaci puerum quis non auerteretur, atque oderit? Vnde etiam D. August. lib. de utilit. credendi cap. 10.

tom. 6. docet eiusmodi ingenia moderanda, coercenda, & corrigenda, vel potius temperanda. Inter caetera enim ita ibi inquit: Vix enim est, qui de se tantum sentiat, quantum potest: sed qui minus excitandus est, qui amplius reprimendus, ut neque ille desperatione frangatur, neque iste praecipitetur audacia. Quod facile fit, si etiam ij, qui valent volare, ne cui sit periculo incitamentum, paulisper cogantur incedere, quae etiam tutum est. Haec est providentia verae religionis, hoc iussum diuinitus, hoc à beatis maioribus traditum, hoc ad nos usque seruatum. Hoc enim perturbare velle, atque pervertere, nihil est aliud, quam ad veram religionem sacrilegam viam quarere: quod qui faciunt, nec si eis concedatur quod volunt, possunt quod intendunt peruenire. Cuiusmodi enim libet excellant ingenio, nisi Deus adsit, humi repunt. Tunc autem adest, si societatis humanae in Deum tendentibus cura sit. Quo gradu nihil firmitus in celo reperiri potest, &c. quae sequuntur apud August. Quamobrem, si diligenter attendamus, ideo fortè Sponsa superius cap. 1. non dixit simpliciter, Curremus: sed cum

additamento, Post te curremus. Deo enim, seu Sponso diuino duce, omnia sunt currentibus facilia, peruia, & recta, atque erroris, l. etiam periculi expertia.

Vineae florentes dederunt odorem suum.

Non est mirum, aut incredibile, si vineae certo quodam omni tempore odorem dent aliquem, qui sensum olfactus suauitate, & voluptate aliqua afficiat: quandoquidem ipsa terra nuda interdum suauiter oleat. Terra enim ipsa, cum à siccitate continua innaduerit imbre, tunc emittit illum suum halitum diuinum ex sole conceptum, cui comparari suauitas nulla possit, quamlibet aliàs ille sit moderatus, & tenuis. Vt scribit, & testatur Plinius de nat. hist. lib. 13. cap. 3. & item lib. 17. cap. 5. etiam ex autoritate Ciceronis. Cicero namque lib. 3. de Orat. in hunc modum ait: Vnguentis minùs nos delectari summa, & acerrima suauitate conditis, quam his moderatis, magis quae laudari quod terram, quam quod crocum olere videatur. Videndus pro hac re erit Andreas Symb. Theolog. Decad. 10. symb. 8. vbi dicitur,

an vinea verè, & propriè florenter dicatur. Caeterum hoc loco, Vineae florentes, idem est, quod vites florentes. Quo sensu dicit Plinius lib. 16. cap. 25. Floret solstitium vitis: & quae paulo ferius incipit, oleat, &c. Nihilominus tamen vnum pro altero, id est, vinea pro vite passim vsurpatur, & è contra. Nam etiam Iob. cap. 15. scriptum est: Læditur quasi vinea in primo flore botrus eius. Vbi etiam vox vineae pro voce vitis vsurpatur. Et Genes. cap. 40. legimus propagines crescere in gemmas, & post flores vvas maturefcere.

Columba mea in foraminibus petrae.

Columba, praeter alias laudes, & praerogatiuas, quibus naturaliter praedita est, etiam quodammodo humanam vocem sonat, & imitatur. Vt inquit Herodotus in Euterpe, id est, lib. 2. pag. 54. vbi loquitur de columba illa
Neque solum animal est fecundissimum, mansuetissimum, simplicissimum, & maximè sociale: sed etiam indulgentissimum erga factum, siue prolem. Vnde iure optimo symbolum est, & quaedam imago pia matris Ecclesiae erga omnes, pra-

ferim verò erga filios, & domesticos fidei, quos genuit per lauacrum regenerationis. Etenim (vt tradunt ij, qui de rerum natura scripserunt) columba se ad fouendos fœtus etiam explumat: nam læuiente frigore nidificas, & partum immittens, suas plumas etiam non grauat auellere, vt paruuli fœtus mollius incubent: quo fit, vt ipsa sæpe mater gelu contabescat. Sic est ingenium Columbæ. Quem morem, & affectum in persona totius Ecclesiæ ad exemplum nostrum, & documentum, exprimere videtur Paul. Apost. vno in loco, qui est 1. Thessal. cap. 2. vbi ita scribit: Cùm possemus vobis oneri esse, vt Christi Apostoli, facti sumus paruuli in medio vestri, tamquam si nutrix foueat filios suos. Ita desiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis, non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis, &c. super quibus verbis videndus erit D. Petrus Chrysolog. serm. 62. Et D. Aug. epist. 158. alludens ad hæc ipsa Pauli verba, ita congruenter, & eleganter ait: Charitas, quæ tamquam nutrix fouet filios suos, non ordine amandi, sed ordine subueniendi, inferiores fortioribus

anteponit. Sic Aug. Cui suffragatur, quod ait Petrus Apost. & Princeps Apost. 1. Petri cap. 3. vbi viris fidelibus præcipit, vt vxoribus suis quasi infirmiori vasculo, honorem impertiant. Quandoquidem Columba, vt diximus, animal est conjugale, & symbolum casti, & honesti conjugii. Iuxta illud Pauli Heb. 13. Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus. Pro qua re videndus erit Ioann. Roffens. Episc. & Martyr. lib. contra captiuitatem Babylonicam impij Lutheri ca. 12. vbi differens de sanctitate, atque honestate conjugij, seu matrimonij Christiani, inter cetera ita scribit: Et primum (inquit) me mouet, & magno peresane Ioann. Bapt. martyrium, qui pro conjugij violati reprehensione mortem optet. Fuerunt vtrique scelera multa in speciem grauiora, pro quibus coarguendis ille patretur: sed nullum conuenientius, pro quo Sponsi amicus effunderet sanguinem, quam adulterij, & conjugij violatio, cùm ipsa potissimum in non medio-crem Christi iniuriam, qui Sponsus erat, redundabat. Porro Sponsum fuisse Christum, Baptista ipse testatur inquit: Qui habet Sponsam Sponsus est,

est, &c. quæ sequuntur apud Roffens.

In foraminibus.] Videndus D. Hieronym. in Zachariam cap. 3. ad illa verba, Super lapidem vnum septem oculi sunt: ecce ego cælabo sculpturam eius, &c. Hunc enim locum tamquam prophetiam de Christo interpretatur D. Hieron. ita vt illud (cælabo sculpturam eius) referatur ad Christi vulnera: quasi dicat Propheta, seu Oraculum diuinum: Lapidem istum clavis crucis, & lancea militis faciam vulnerari. Vbi etiam aduertit Christi vulnera pulcherrimis comparari cælaturis; quæ eum & pulcherrimum, & pretiosissimum lapidem istum esse demonstrant. Lapis autem erat Christus, quem impij reprobauerunt edificantes, qui tamen factus est in caput anguli, vt alibi testatur Oraculum. Vidend. Tertul. lib. aduersus Valentinianos cap. 2. vbi loquens de figura, & modo primorū templorum, siue domorum, & Ecclesiarum, quibus scilicet veteres Christiani olim utebantur ad sacris operandum, alludens ad hunc locum Cant. scilicet, Columba mea in foraminibus petra; ita eleganter ait: Nostræ columba domus simplex etiam in editis semper, & apertis, &

ad lucem, amat figuram Spiritus S. &c.

Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.

Non solum ex aspectu, seu facie, & oculis, sed etiã ex ore, & oratione, & voce Sponsæ voluptatè percipiebat Sponsus, de more amantium, & affectum amoris beneuolentiæ, & obseruantia erga se facile percipiebat. Inter amantes enim facies, seu vultus, frons, genæ, oculi, atque etiam modus, & sonus ipse vocis plus sæpè loquuntur, maioremque vim habent ad gratiam conciliandam, hoc est, plus efficiunt, atque efficiunt animum amantis, quam oratio, siue sermo, id est, quam verba ipsa expressa. Ideoque Sponsus, vt morem, decoremque carminis amatorij, & nuptialis seruet, & artem, petit à Sponsa, vt saltem faciem ostendat, vocemque proferat: quasi verò hoc solum sufficiat ad amorem, & beneuolentiã conciliandam. Et iuxta hunc sensum ait: Ostende mihi faciem tuam, &c. sumpta metaphora ex amore isto vulgari, & corporali. Sic enim facile ostendit vim, & veritatem mutui amoris, cui inter se & Sponsam erat, id est,

quo se inuicem prosequerentur. Nisi forte hanc parabolam (Sonet vox tua in auribus meis) intelligamus, ut quidam voluit, non de voce ista communi, & simplici; sed potius artificiosa, id est, sonora, seu canora, & musica: sicuti etiam magis apparet ex particula sequenti, cum ita statim subiunxit, Vox enim tua dulcis, &c. Nam ab ipsa natura ad Musicam rationem omnes compositi esse videmur: & nulla est gens tam immanis, & barbara, quæ sonos, cantusque non amet: cum videamus etiam Elephantos, Vrsos, aliaque nonnulla genera bestiarum ad cantus moueri, auesque ipsas delectari suis vocibus; ut inquit D. Aug. lib. 1. de Musica cap. 4. Vnde & merito à Musis hæc disciplina vna sola ex omnibus nomen accepit. Aliud enim prorsus est canere, aliud simpliciter loqui. Loqui enim, si proprie, & simpliciter accipiatur, est articulata voce signum dare; ut de-

Vox enim tua dulcis.

Non satis constat, utrum Sponsus intelligat hic de voce Sponsæ musica, & canora, de qua re aliàs forte dicemus,

præsertim cum peruenerimus ad eum locum, qui est inferius Cant. cap. 8. ubi Sponsus ipse ait Sponsam alloquendo: Quæ habitas in hortis, amici auscultat, fac me audire vocem tuam. Quomocumque tamen hæc res sese habeat, iuxta vetus proverbium, Vox viua per se sola magnam vim, & efficacitatem habet, præsertim inter amantes, etiam si Musica & canora non sit, multo verò magis si sit canora. Vnde etiam Plato Dialog. 4. de Repub. pag. 391. sic ait: Cauendum sanè speciem musicæ nouam inducere, tamquam in toto naufragium. Nusquam enim musicæ modi mutantur, absque maximarum legum ciuiliū mutatione, &c. quæ sequuntur super hac re apud Platonem ex Socratis sententia, nempe de modis canendi nouis cauendis, in ciuitate. Quomocumque tamè hac de re sentiat Plato, legendus erit pro allegoria morali D. Ambr. lib. 1. Officior. cap. 23. ubi non de voce canora, & musica, sed de voce pura cõmuni, & simplici ita congruenter scribit: Multa præterea de ratione dicendi dant præcepta seculares viri, quæ nobis prætereunda arbitror; ut de iocandi disciplina. Nam licet interdum honesta ioca, ac sua-

uia sint, tamen ab ecclesiastica abhorrent regula: quoniam quæ in scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum usurpari possimus? Cauendum est etiam in fabulis ne inflectant grauitatem seuerioris propositi, plenum tamen suauitatis, & gratia sermonem esse non indecorum. Nam de voce quid loquar, quam simplicem, & puram esse satis arbitror? Canorâ auem esse naturæ est, nõ industria. Sit sanè distincta pronunciationis modo, & plena succi virilis, ut agrestem, ac subrusticum fugiat sonitum, non ut rithmum affectet senicum, sed mysticum seruet. Hact. D. Ambr.

si quis plura super hac re desiderat, legendus erit Apuleius lib. 3. Floridorum pag. 143. ubi differit de voce commodè exercenda, & moderanda, neque semper silentio cohibenda. Cæterum pro ratione mysterij ex soliloquiis, seu colloquiis scriptis SS. Patrum, vehementerque Dei amantium (quales plane fuerunt Aug. & post eum Bernard. & Anselm. & tales) facile est colligere, & intelligere, quantum opere Sponso diuino placeat Sponsæ suæ vox, & orationes, & preces; imò etiam gemitus, & suspiria, & lacrymæ hominum piorum. Iuxta illud

A Psal. 55. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, &c. Vnde D. Aug. in lib. Manuali cap. 20. Magna, inquit, res est amor, quo anima per semetipsam fiducialiter accedit ad Deum; Deo constanter inhæret, Deum familiariter percontatur, consultatque de omni re, &c. Quamuis enim vox Sponsæ sit breuis, & simplex, & crebrius repetita; tamen Sponso suo dilecto dulcis videtur, præsertim verò si mens, & vita sit pura. Ut patet v.g. ex vno illo loco Deut. cap. 27. ubi legimus Mosem præcepisse Lenitis, ut verba quadam legis Dei excelsa voce coram vniuerso populo Israëlítico referrent, atque proclamarent, populus autem ad singula quæque verba sigillatim, vno solo verbo, seu voce sæpius repetita responderet, etiam excelsa voce, nempe, Amen. Rex Propheeta quaque in Psalm. 105. postquam dixisset, Benedictus Deus Israël, &c. hoc tantummodo adiecit, & clausit, Et dicat omnis Populus: Fiat, Fiat, seu, Amen, Amen, ut sonat veritas Hebr. Usque adeo vox hæc, vel vna, & sola mirificè placet, & dulce sonat in auribus Sponsi, si ex corde puro, & charitate non ficta proficiscatur.

Facies tua decora.

ID est, Facies enim tua per se ipsam, ac sua pro se & natura decora, venusta, & valde pulchra est, & præstans. Siquidem facies illa, quæ ex arte pulchra tantummodo est, vel facta est, non pulchra dicenda est, cum nativa, & vera careat pulchritudine; sed potius turpis, veriùsq; persona, quàm facies dicenda atq; censenda est. Vnde etiam Cicero Tuscul. 5. rectè ait, Epicuram tantummodo personam induisse Philosophi, id est, specie tenuis non autè re vera, & propriè esse Philosophum. Quinimo & Zachar. Propheta cap. 11. de non probò pastore ait: O pastor, ô idolum, id est, ô idolum, seu simulachrum pastoris, &c. Similiter ergo existimandum de ea pulchritudine, quæ nativa non est, sed potius tota ex arte constat.

Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.

Capere etiam pro decipere, frequenter usurpatur: præsertim in iure, vt, Non capitur, qui ius publicum sequitur, leg. 16. de regulis iuris D. & alias.

A. Quinimò Paulus Apost. 2. ad Corinth. cap. 12. congruenter, & eleganter sic ait: Ego vos non grauavi, sed cum essem astutus, dolo vos cœpi. Sic Paulus. Est enim etiam quidam dolus bonus, quali vsus est Paulus Apost. in procuranda Corinthiorum, & aliarum gentium salute. Est autem hoc genus animalis fallacissimum, atque proinde difficilimum ad capiendum, vel decipiendum: & nihilominus tamen capitur, & decipitur à prudente, & astuto, seu perito venatore, neq; parcitur illi. Vide Adag. Non magis parcemus, quam lupis.

C. Cæterum pro allegoria legendus est Hesychius presbyter lib. de temperant. & virt. ad Theobolum cent. 1. pag. 447. vbi per vulpeculas parvulas, allegoricè interpretatur cogitationes prauas, & suggestiones Diaboli malas, id est, dæmoniacas, cum primum nascuntur, & nobis obiciuntur, id est, ante quam in cor nostrum penitus ingrediantur. Neque est enim tutum sinere, vt huiusmodi cogitationes penitus ingrediantur, & conualescant: sed initio statim, ope Christi, amputandæ, & repellendæ, & expugnandæ, & captiuè ducendæ. Vnde idem,

Autor postea num. 27. ita congruenter subiungit: Si certare statuisti, imitandum tibi propone exiguum animalculum, nempe araneam. Illa quidem minutas venatur muscas. Quod si tu illius exemplo labore quietem animæ comparare volueris, irremisse pueros interficies Babylonios, & cætera. Quinetiâ numero 96. ita subdit: In eo itaque statu collocatus animus inquit, vt canis Laconicus in syluis leporem. Ad hunc enim modum mens scrutatur peruersas cogitationes: sed ille quidem vt comedat, hæc autem vt labefactet. Hæc omnia ille. Si quis autem plura super hac sententia morali, & communi desiderat, vidend. erit D. Hierony. in epist. ad Eustoch. de custodia virginitatis, vbi ita eleganter ait: Dum parvus est hostis, interfice, vt eius nequitia illi datur in semine, &c. Vidend. quoque erit D. Greg. lib. 12. Moral. cap. 18. & item lib. 17. cap. 10. Denique videndus Seneca Philosophus lib. 11. Epistolarum ad Lucillum cap. 3. vbi ait: Facilius est initia affectuum prohibere, quàm impetum regere. Et item lib. 19. Epist. cap. 10. congruenter ait: Imbecillus est primò omnis affectus, deinde ipse se concitat, & vires, dum procedit, parat, ex-

A. cluditur facilius, quàm expellitur, &c. Cæterum per vineas commodè intelligere possumus hæc singulas Ecclesias, sicut etiam inferiùs Cant. cap. 7. cum ait Sponsus, Mane surgamus ad vineas &c. Vbi etiam R. Salomo interpretatur singulares, seu minores Ecclesias, vel synagogas.

Quæ demoliuntur vineas. Mirifice quadrant hæc verba in hæreticos homines, tam veteres, quàm recentiores, vtrique quantum in se student demoliri, & corrumpere vineam, seu vineas, id est, Ecclesias Dei. Vnde D. Aug. Epist. 203. ad Maximinum Episcopum Donatistam, sic ait: Vestem Christi & qui diuiserunt, non violauerunt, & illi adhuc non resurrexerunt Christum crediderant, sed morientem videbant. Si a persecutoribus vestis non concisa est pendentis in cruce, cur à Christianis destruitur sacramentum sedentis in Cælo? &c.

Nam vinea nostra floruit.

ID est, iam propagines crescunt in gemmas, & post flores vix maturefcere incipient. Genes. cap. 40. qui finis est floritionis. Flores enim, & frondes non sunt propter se, sed propter

vuas, & fructus, & hi propter se potissimum expetuntur, atque expectantur, præsertim in vineis, & aliis istiusmodi plantis, & arboribus fructiferis.

Dilectus meus mihi, & ego illi.

Sensus planus, & germanus horum Sponsæ verborum, talis est, ac si dicat: Par mihi est gratia cum dilecto meo, & vnus amor, & vnus animus, seu vnum cor in duobus corporibus: vel, vterque nostrum vtrique est cordi, vt loquitur etiam Terentius: vel, omninò respondemus inuicem, paresque sumus in mutuo amore, atque par pari referimus. Felix autē copula mutui caloris, vt quidam ait. Sic enim est ingenium, & naturaveri, perfectiōue amoris, præsertim vero, coniugalis. Viget enim vis amoris in veris coniugibus magis. Vnde & Christus Dominus Matth. cap. 19. loquens de coniugij sacramento, & amore isto coniugali, sic ait: Iam non sunt duo, sed vna caro, &c. Non dixit Christus Dominus de coniugibus, iam non dicuntur duo: sed potius, iam non sunt duo. Verbo namque substantiuo vsus est, ad significandam, non solum substantiam, & veritatem, sed etiam perfectionem, id est, sum-

am animorum coniunctionē, & affectionem, quæ est, l. certè esse debet, inter veros, legitimosque coniuges, vel potius vnitatem. Vnitas enim potius, quàm coniunctio esse videtur: vsque adeo tanta est illa coniunctio, & vis vinculi coniugalis. Hæc autem vnitas, & præstantia amoris, in castis, sanctisque coniugibus, magis viget, atque lucet, id est, magis apparet, clariusque cernitur, tãto equidem magis, quanto coniuges fuerint sanctiores, & religiosiores, id est, Sponso diuino coniunctiores: quanto etiam magis abhoruerint à vulgari, & turpi isto corporum amore. Quippe qui, si diligenter attendamus, non est verus amor, sed simulachrum quoddam, vel potius aberratio, & corruptio veri amoris: quem admodum rectissime sentit, atque manifestè ostendit magnus ille Diony. Areop. lib. de diuinis nom. cap. 4. parte 1. circa finem: vbi differens de vero, id est, diuino amore, inter cætera ita inquit: Conuenientissime enim cum verus amor non à nobis modo, verum & ab scripturis ipsis celebretur, turbæ nequam capientes vniforme illud amatoriam in Deo appellationis, pro infirmitate sua ad diuiduum & corporalem, diuisumque de-

lapsæ amorem sunt. qui verus amor profecto non est, sed imago potius, seu magis à vero amore prolapsio. Et cætera quæ sequuntur apud Dionys. de vero & falso amore. Dionysio autem in hac parte suffragari videtur Plato lib. 15. qui inscribitur, Conuiuium, vel, De amore: vbi similiter duplicem amorem constituit, atque distinguit, vnum diuinum, & cælestem, alterum vulgarem, & communem, siue plebeum, qui latissime vbi que grassatur: ille namque, nempe amor cælestis, & diuinus, ad operationes honestas, iste ad turpes congressus impellitur. Si quis autem ad illustrandū hunc Cant. locum, plura de duplici amore desiderat, non abs re erit legere, quæ scribit etiam Porphyrius Platonicus: incundissimo enim apologo amoris vim, & natalem, & officium complexus est in imaginibus. Et post eum Cartharius in lib. de imaginibus Deorum pag. 129. & sequentibus, vbi scribit de pace, & concordia coniugum inter se mutua. Sponsa igitur, quia ex animo diligebat Sponsum, & amore eius maximè capta erat, eumque amori suo propositum habebat, ideo hoc loco in persona Ecclesiæ, simulque animæ perfectæ, merito in hunc mo-

dum gloriatur, dicens: Dilectus meus mihi, & ego illi. quasi dicat: vterque nostrum alteri in amore respondet, atque consentit. Quemadmodum enim ille mihi est charissimus, ita etiam pari modo, & vicissim ego sum illi longè charissima, neque ego illi minus sum chara, quàm ille mihi: charus est vt magis ex hoc loco, seu gloriatione Sponsæ, pudeat synagogam quondam Dei Sponsam, & coniugem infide, id est, populum Dei peculiarem, si non diligat, & colat, & sequatur Sponsum ad salutem, sicuti par est, quippe qui prior dilexit eam, & tradidit semetipsum pro ea, id est, natus, & mortuus est, pro ea, id est, pro salute præsertim Iudæorum, quibus præcipuè missus, atque promissus est, iuxta illud Euang. Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Et alibi, In propria venit, & sui eum non receperunt. Tantum abest, vt synagoga Sponso suo in amore respondeat. O generationem adulteram, & impiam: O gentem inuisam, & infestam, atque perfidiam Iudæorum, vt ne dicam inexcusabilem! Excusationem enim nullam habet synagoga de perfidia sua, quippe quæ post tot adulteria, sacrilegia, & scelera, nondum vult ta-

men redire ad virum priorem, & A
Sponsum suum, id est reconci-
liari, & redire in gratiam cum
Sponso suo amantissimo, etiam
atque etiam eam vocante, inui-
tante, rogante, & deprecante
urgente. ut patet ex his verbis
tam frequenter repetitis: Sur-
ge, propera, amica mea, formosa
mea, &c. Itaque apud Hieremiã
cap. 3, & quidem iure optimo, &
quasi de more humano, Domi-
nus ipse tamquam Sponsus de
synagoga, tamquam Sponsa,
etiam multis, & supplicibus ver-
bis, atque blandissimis, conque-
ritur dicens. vulgo dicitur, si di-
miserit vir uxorem suam, & re-
cedens ab eo duxerit virum al-
terum, nunquid reuertetur ad
eum ultra? Nunquid non polluta,
& contaminata est mulier il-
la? Tu autem fornicata es cum
amatoribus multis: tamẽ reuer-
tere ad me dicit Dominus. Et
cætera, quæ prosequitur ibi-
dem, & alias sæpe in hanc sen-
tentiam. Videndus autem super
hisce Hierem. verbis, seu que-
rimonia, si quis velit hanc meta-
phoram, seu apostrophem ad
synagogam, amplius dilatari,
atque exornare, Origen. homil.
8. in Exod. Et item D. Hie-
ronymus in Oseã capite secun-
do. Præterea Phil. Iud. de merce-
cede meretricum tom. 2. pag.

209. Vidend. quoque erit lo-
cus, qui est apud Palladium de
SS. Patrum historia, numero
seu cap. 50. pag. 247. ubi affert
exemplum accommodatissimũ
de vxore viri senatorij ad hanc
rem amplificandam, atque exor-
nandam. Cæterum admoni-
tum esse lectorem in extremo,
seu calce interpretationis. nem-
pe in libr. Eccles. cap. 25. locum
seu locutionem simillẽ esse huic,
cũ ait Sponsa, Dilectus meus
mihi, & ego illi. Sic enim ibi scri-
ptum est: In tribus beneplaci-
tum est spiritui meo, quæ sunt
probata coram Deo, & homini-
bus, Concordia fratrum, & amor
proximorum, & vir & mulier
bene sibi consentientes. Itaque
possunt hæc Sponsæ verba etiã
præsertim referri ad concor-
diam inter Sponsum, & Spon-
sam, seu inter virum, & vxo-
rem. De vtriusque autem offi-
cio, lege Collumellam libro
duodecimo capite primo, ubi
etiam ad verbum refert locum
præclarum Ciceronis in libris
Oecumenicis de officio coniu-
gali. Satis superque dictum de
his rebus Sponsæ, Dilectus
meus mihi, &c. Et quidem pro-
babiliter, dummodo hæc verba
sint abrupta, & absoluta, & non
potius relatiua. Refertur namque
videntur ad verba statim sequen-
tia,

etia, donec aspiret dies, &c. Tunc
enim alium sensum habebunt,
ut mox dicemus.

Qui pascitur inter lilia, &c.

Sponsa dum Sponsi sui me-
minit, dicens, Dilectus meus
mihi, &c. non satis habuit sim-
pliciter, & sine villo additamen-
to illius meminisse, aut comme-
morasse, nisi etiam cum laude
eum appellaret. Ideoque quasi
per parenthesis statim adiecit
hoc tamquam proprium, præ-
cipuum, & singulare Sponsi en-
comium, *Qui pascitur inter li-
lia.* Quid enim amabilius, mira-
bilius, præstantiusque esse po-
test illo pastore, qui semper in-
ter lilia pascitur, & versatur, vel
etiam qui gregem suum, & oues,
non nisi liliis, & rosis, aliisque id
genus floribus pascit? Quoniam
verbum Hebraicum, pro quo
vulgatus Latinus vertit hoc lo-
co pascitur, fortè commune est,
& pro verbo actiuo (pascit) vsur-
patur. quemadmodum in Psal.
22. ubi Rex Proph. ait: Domi-
nus regit me, &c. In Hebræo
enim est, Dominus pascit me,
&c. Et Psal. 80. ait, *Qui regis Is-
rael, intende, &c.* ubi etiam in
Hebræo sonat, *Qui pascis Israel,*
&c. Non enim dicit vates tibi,
Qui pascaris, aut, Qui pascitur:

sed potius, qui pascis, & qui pas-
cit. Ut omittam alia exempla
huius locutionis. Quinetiam
vox altera Hebræa. (Sufanna)
pro qua vulgatus noster reddi-
dit (lilia) fortè etiam ambiguum
est, neque solummodo liliũ,
sed etiam rosam significat florũ
omnium pulcherrimum. Atque
proinde commode vertere hinc
possumus, *Qui pascit oues suas,*
seu gregem suum rosis. Quem-
admodum exponit, exponen-
dumque esse contendit quidam
ex recentioribus scriptoribus,
vel potius recentissimis, id est,
Tuccius Lucens. Anno. in Can-
tic. pag. 321. & sequentibus, ubi
inter cætera in hunc modum
scribit, & probat suam senten-
tiam: Iam diu enim exploratum
est, nec lilia, neque eorum fruti-
cis frondes, ob factorem à peco-
re pasci, sicut firmissimè pasto-
res asseuerant, & egomet semel,
ac sapius, opera data, expertus
comperi. Nam neque oues, ne-
que capris in syluis lilia, neque
eorum fruticis frondes obiatas
gustare volebant: licet in stabu-
lo inclusum pecus frondes por-
rectas libaret, alio pastu carens.
Quamobrem cum omnes vna
mente, & vno ore consentiant
Cantici carmina à Salomone ef-
se condita, imò potius à Spiritu
sancto esse dictata, & à Salomo-

ne scripta admodum pastoralis eclogæ, & quod in Cantico omnia propemodum sunt pastoritia; quomodo aptum, quæso, & conueniens eclogæ esset, vt pastor induceretur in dramate, qui oues, capræve pasceret liliis, quæ putrescunt, quæque pecudes non pascuntur ob fœtorem? Certè ergo nullomodo cõsentaneum est, vt sêsus litteralis elici possit, si nomen Hebraicũ (Susannim) nos lilia vertamus, quibus nequaquam pecudes vescuntur: verum rosas potius. Et cætera quæ prosequitur ille in eadem sententiam.

Facit tamen non nihil pro vulgata latina interpretatione authoritas D. Ambr. qui ex occasione Salomonis Cantici, id est, per allusionem ad præsentem Cantici locum, hymnum pulchrum composuit, cuius initium est: Qui pascis inter lilia &c. Vnde etiam apparet verbum pascendi, vel pascitur, actiuum hic esse potius, quàm passiuum, vt dixi. Quasi dicat Sponsa in laudem, honorem, & gloriam Sponsi sui, Qui pascit oues suas, non quibuslibet herbis, aut frugibus, & pabulis, nec quibuslibet floribus: sed liliis, vel rosis: nec in quibuslibet pascuis, aut locis: sed lectissimis, & lætissimis, in quibus nascuntur

lilia, & rosæ: lilia, inquam, candidissima, & rosæ rubicundissima, ac longè pulcherrimæ. Qui pascitur suauissimus est, & maximè idoneus, iucundus, atque expectendus. Ex quibus facile colligere licet, qualis, quantusque sit iste pastor, & quam delicatis pabulis, cibisque, seu alimentis vtatur in pascendis ouibus suis rationalibus, id est, humanis, præsertim vero perfectis, atque electis, pro quibus ipse vere, & proprie, id est, efficaciter sanguinem fudit, mortemque crucis subiit.

Si quis autem volet hunc locum allegoricè tractare, pauloque magis dilatare, de officio (inquam) probi, ac periti pastoris copiosius disputare, legendus præsertim erit D. Bernard. serm. 77. & item serm. 78. in Cant. Et D. Hieronym. Comm. in Ezech. cap. 34. Et D. Greg. Nazianz. orat. 4. de theologia circa finem pag. 367. Et item D. Greg. Niss. orat. de Assumptione Domini pag. 86. Præterea D. Greg. Mag. lib. 30. Moral. cap. 11. vt omittam alios complures. Satis enim superque officium boni pastoris ostendit oraculum diuinum Psalmo vigesimo secundo præfato, cum Rex Proph. de ipso Sponso diuino, id est, Deo opr. Max. cuius ipse ouis peculiaris, electissimaque

& charissima erat, in personâ aliorum sibi similibus, id est, animarum perfectarum, non veretur gloriando ita pronuciare: Dominus regit me, vel potius, pascit me: & nihil mihi deerit: in loco pascuæ, ibi me collocauit. Super aquâ refectiois educavit me, &c. Vide tamen Adag. Mihi ipsi balnea ministrabo. Nihil enim prohibet, si dicamus Sponsum, id est, pastorem, & principem pastorum, dum oues suas inter lilia, & rosas pasceret, etiam ipsum quodammodo se pascisse, vel pascum fuisse, propter eximiam scilicet pascuis delicias, quibus gregem suum frui videbat. Quæ admodum oportet, & decet probum pastorem. Sic enim est ingenium optimi pastoris. Nihil etiam prohibet si dicamus in fauorem, & gratiam vulgatæ interpretationis latinæ, vocem hebræam, pro qua interpres reddidit (lilia) ambiguum esse, hoc est, significare tam liliam, quàm rosam. Adde, quod multa, & varia sunt genera, seu species, & differentie liliorũ. Atq; proinde non est verisimile, id est, pecudes oues, & capras, omni omnino specie liliorum abstinere, seu abhorre, vt opinatur, & affirmat Tuccius.

Donec aspiret dies, & inclinentur
vmbre.

Hæc Sponsa verba videntur planè esse nuptia (vt vocant latini) id est, nuptialia, & quodammodo alludere ad mysterium nuptiale: sicut illa superius Cant. cap. 1. cum dixit: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter hubera mea commorabitur. Et rursus Cant. cap. 2. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Et item Cant. cap. 3. In lectulo meo, per noctem quæsiui quæ diligit anima mea, &c. Et alia huiusmodi multa, quæ passim dicta reperiuntur in hoc Cant. quæ omnia planè verba sunt nuptialia, & inter se cognata, ac redolentia mysterium, seu ritum, & morem nuptialem: qualia etiam esse videntur verba illa Sponsæ proximè præcedentia, cum dixit: Dilectus meus mihi, & ego illi. Vnde videntur proximè pendere hæc verba ipsius Sponsæ dicentis: Donec aspiret dies, & inclinentur vmbre, ita vt hæc posteriora verba sint veluti membrum, siue pars altera totius orationis, totaque oratio integra, & perfecta sit talis, si coniunctim legamus: Dilectus meus mihi, & ego illi, donec as-

piret dies, & inclinentur umbræ. Tunc enim ordo, & sensus utrorumque verborum simplex, talis erit. quasi dicat Sponsa: Dilectus meus iam nunc ad est mihi, & ego adsum illi, & tenebo illum; neque patiar, ut tam cito recedat, sed potius mecum morabitur, quinimo inter hubera mea, id est, in sinu meo commorabitur, & requiescet: & item ego in sinu illius vicissim requiescam tandiu, donec incipiat esse dies, & umbræ noctis, seu tenebræ finiantur. Itaque particula (donec aspiret dies) tantumdem valeat, quantum (donec dies sit, vel, donec illucescat). Atque etiam illa altera particula, (donec inclinentur umbræ) tantumdem valeat, ac si diceret, Donec, vel, tandiu, donec finiatum umbræ noctis, vel, donec omnino fugiant, atque deficient tenebræ noctis, siue tempus nocturnum omnino finiatum. Nam verbum Hebraicum, pro quo vulgatus noster latinus vertit hic (inclinatur) ambiguum est, & pro loci circumstantia commodè usurpatur per verbum (finiendi, fugiendi, & deficienti). Ut patet ex illo loco Psalmi 101. & 108. Dies mei sicut umbræ declinauerunt, &c. Quinetiam Luc. cap. 24. ad hunc sensum vertit vulgatus noster latinus,

Et inclinata est iam dies. Nam etiam inferius Cant. cap. 3. ipsa Sponsa surgens de nocte ad quærendum Sponsum, postquam eum tandem inuenit, ita dixisse fertur: Inueni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, &c. Quapropter Sponsa hæc (sicut, & alias saepe solet) ut ostenderet, ac persuaderet se esse veram Sponsam, & veram nuptam, non dubitavit per amplificationem hæc dicere Sponsum, in sinu suo, vel inter hubera sua, commoraturum, donec dies esset, & umbræ noctis tota, atque omnino finita esset, id est, usquequo dies esset, & Sol oriens, dispulsis omnibus noctis umbris, ac tenebris diem efficeret luce, & cursu suo. Iuxta illud Salomonis Eccles. capite primo, Oritur Sol, & occidit: vadit ad Austrum, & gyrat ad Aquilonem: gyrans gyrando vadit Spiritus per circulos suos, & cætera. Solem autem ideo Salomon spiritum nominavit, quia scilicet animet, & inspiret, & viuificet omnia, sicut veris tempore, in quo principium mundi æstimatur, esse singulis annis videmus, &c. ut rectè exponit Albinus Com. in Ecclesiast. Ob-

eandem etiam rationem dies, quem Sol gyrando efficit, dicitur hoc loco quodammodo aspirare, seu afflare, & quasi spiritum, siue animam, & vitam rebus afferre. Ad hunc ergo sensum Sponsa de more amatorio, atque pro fiducia, & libertate sua coniugali, ad exprimendam sic magis vim sui affectus, id est, ingentissimi amoris, quo erga Sponsum affecta erat, non dubitavit, nec verita est in istiusmodi verba prorumpere, nempe, Dilectus meus mihi, & ego illi, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. Comprobatur autem etiam magis hæc intelligentia, seu interpretatio, ex loco altero simili, qui est apud nostrum Authorem Salomonem Prouerb. cap. 7. ubi mulierem amantem ita ferè loquentem inducit ad amatorem suum: Veni, inebriemur huberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies, &c. Qui locus, atque locutio omnino utilis est huic, cum ait Sponsa, Dilectus meus mihi, & ego illi, Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. Quemadmodum etiam commodè exposuit Tuccius Lucens. an. in Cant. pag. 122. & 123. Quamuis fatendum sit, etiam Cant. capite septimo, istiusmodi orationem in sensu

absoluto reperiri, cum ait Sponso rursus: Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.

Alij tamen aliter hæc ipsa Sponsæ verba, (Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ) exponunt. Volunt enim hæc verba esse propriam descriptionem temporis pomeridiani, seu vespertini, & serotini, quo quidem tempore præsertim Sponsa Sponsum suum venturum, aut rediturum sperabat, atque ardentè spectabat, ut aspectu, sermone & contubernio, ut ne dicam castissimo complexu, eius frueretur, scilicet, propter oportunitatem temporis singularem. Solet enim tempore pomeridiano, aut vespertino, aura quædam mollis, aut ventus, qui Zephyrus, seu Fauonius dicitur, frequenter spirare: atque proinde frigidior aura esse solet, atque videtur hominibus diurno æstu, & labore fatigatis. Quemadmodum etiam Author est Aristoteles in Problematis sect. 26. q. 54. ubi quærit, Cur Fauonius ventorum omnium lenissimus, & frigidissimus est, duobusque temporibus maxime spirat, vere, atque Autumno, cumque vesperscit, potissimum terram attingit, &c. Unde etiam Poëtæ illud Eclogæ

Et iam summa procul villarum
culmina fumant,
Maioresq; cadunt altis de mon-
tibus umbræ.

Et Eclog. 2.

Nunc etiam pecudes, umbras, &
frigora captant,
Et Sol crescentes descendens du-
plicat umbras.

Et rursum Eclog. 10.

Ite domum satura, venit Hesperus,
ite capella.

Et alia multa reperiuntur apud Poetas, & alios Authores prophanos, de ratione umbrarum, simul & oportunitate, & commoditate temporis vespertini, præsertim verò in æstate. Tale etiam tempus fuisse aiunt, seu oportunitatem temporis, cum sacra historia Genes. cap. 3. memorat Deum apparuisse Adæ primo parenti ad auram post meridiem. Veruntamen non abs re erit legere, quæ scribit D. Basil. Magn. Hexamer. hom. 6. Et item quæ scribit Maiolus Episcop. in eo lib. cui tit. fecit, Dies Caniculares, colloq. 17. pag. 586. Præterea Balforeus in lib. 1. Cleomedis vers. 24. pag. 33. & 34. ex nouissima impressione Burdegal. Qui omnes (vt omitram alios) multa, & quidem doctè, de ratione, & differentia umbrarum scripserunt. Et item Martianus Capella lib.

6. de Geometria, vbi differit de forma, & positione totius terræ, pag. 126. & 127. Nihilominus tamen timeo, vt ne in hac posteriori expositione aliqua sit lacuna, sicut est in veteri proverbio: vereor (inquam) vt ne fortè ista posterior interpretatio, minus solida, & vera sit, quantumuis aliàs probabilis, & plausibilis esse videatur. Sed vnusquisque suo iudicio, & libertate vtatur, saluo semper Ecclesiæ Cathol. iudicio.

Cæterum ad pleniorè intelligentiam historiæ, simul & allegoriæ, sciendum, obseruandumque illud obiter est, quòd vespertinæ umbræ propinquoiores sunt nocti, & minus diurnæ: nam longissimæ propè Occasum Solis abeunt in nocturnas tenebras. Tunc enim cadunt maiores altis de montibus umbræ, vt canit Poëta. Quo enim magis crescit umbra, magis interitui appropinquat dies. Sic cum umbris, quas effecit declinans, & occumbens Sol, comparat dies suos Rex Proph. in Psalm. 105. dum inquit: Sicut umbra, cum declinat, ablatum sum. Quasi dicat: Cum videor mihi duraturus vitam longiorem, repente me video, sentioque totum euanescere, & interire. Quo sensu Rex ille alter

apud Isai. cap. 38. congruenter, atque eleganter per amplificationem dixit: Dum adhuc ordirer, succidit me. Vnde & Theophrastus Philosophus iam moriens, non est veritus naturam accusare, eo quod ceruis, & cornicibus vitam diurnam, quorum id nihil interesset, hominibus autem, quorum interfuisset, tam exiguam vitam dedisset. Vt refert etiam Cicero in Tusc. 3. pag. 62. Sed veteres Philosophi (quantumuis aliàs docti, & sapientes) rem videbant, causam autem rei, id est, tantæ vitæ humanæ breuitatis ignorabant. Vt eleganter dixit Aug. in lib. contra Iulian. Ideoque imprudenter, & temerè, vt ne dicam impiè, naturam, seu naturæ Authorem non verebantur accusare. Est autem is locus, & quidem pulcherrimus, apud D. August. lib. 4. contra Iulian. Pelag. cap. 12. vbi differit de peccato origin. eiusque supplicis, siue pœ-

re libidines. Eorum quippe opinioni conuenienter ait quodam loco Tullius, se non putare idem esse arietis, & Publij Africani, bonum. Qua magis sententia te oportuit admoneri, quid de humana libidine sentire deberes. Sed si talibus litteris (vt aliquid agamus) placet, quia & in ipsis reperiuntur nonnulla vestigia veritatis; interim quæ ipse posuisti, nihil aduersus nos valere puto, quod iam debeas confiteri. Vide nunc, vtrum ista quæ dicam, non auertât assertionem tuam. In lib. 3. de Repub. idem Tullius hominem; non vt à matre, sed vt à nouerca natura æditum in vitam, corpore nudo, & fragili, & infirmo, animo autem anxio ad molestias, humiliter ad timores, molli ad labores, pronò ad libidines: in quo ratum inesset tanquam obrutus quidam diuinus ignis ingenij, & mentis. Quid ad hæc dicis? Non hoc Author iste malè uentium moribus dixit affectum, sed naturam potius accusauit. Rem vidit, causam nesciuit. Latebat enim eum, cur esset graue iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium: quia sacris litteris non

eruditus ignorabat originale peccatum. Si autem de libidine, quam defendis, verè sentiret, non ei pronus in libidines animus displiceret, &c. quæ prosequitur Aug. in eandem sententiam in commemorato cap. 12. & infra c. 16. & item li. 6. contra Iulianum c. 9. vbi etiam pro sua sententia adducit hunc eundem locum Ciceronis.

Cæterum, vt tandem extremam manum huic interpretationi imponamus, admonitum oportet esse lectorem, posse etiam hæc Sponsæ verba (Donec aspiret dies, & inclinentur vmbra,) quodammodo referri ad illa verba superiora proxima ipsius Sponsæ, cum dixit: Qui pascitur inter lilia: vt sit talis sensus, quasi dicat Sponsa: Qui, Sponsus meus videlicet, de mane vsque ad vespertum, vel à Solis ortu vsque ad occasum: hoc est, quando spirat, & durat dies, vsque quo ingruat noctis vmbra, vel toto die, totus occupatus est, vel occupari solet in pascendis suis ouibus, vsque adeo otiosus non est. Et quidem fortè hic sensus videri possit germanus, id est, facilis, & simplex ad intelligendum, & explicandum, si prædicta verba, nempe. (Qui pascitur inter lilia) non essent per parenthesis in-

terposita vt iam diximus. Valde enim probabile est per parenthesis interposita esse: vt apparet ex altero loco simili, qui est Cæt. cap. 4. vbi ita etiam loquitur Sponsus: Duo huberata, sicut duo hinnuli, qui pascuntur in liliis. Donec aspiret dies, & inclinentur vmbra. Videntur enim hæc Sponsi verba coniunctim esse legenda. Quapropter liberum erit erudito, & pio lectori inter hæc discernere, & iudicare absque vlla præcipitatione, & temeritate, & magna cum modestia, sicuti oportet, & decet in litteris sacris.

Super montes Bethæ.

Bethæ Hebraicè significat diuisionem seu diuisos, quales quidem v. g. erant illi montes de quibus 1. Reg. cap. 14. ita scriptum legimus: Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philistinorum, eminentes petrae ex vtraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc inde prærupti, nomen vni Boses, & nomen alteri Sene. Quales etiam portas habet, quas Caspias dicunt Caucasus mons, id est, cautionum præcisiones, etiam ferreis trabibus

trabibus obseratas ad externorum transitum cohibendum: sicuti aiunt qui hac dicit, id est,

Geometria scripserunt. in quibus est Martianus Capella de Geometria lib. 6. tit. de Assyria.

CAPVT TERTIVM.

In lectulo meo per noctes, quaesivi quem diligit anima mea.



Vt ait Sponsa, In lectulo meo, &c. proculdubio iuxta subiectam materiam, & circumstantiam loci, loqui intelligenda est de lectulo geniali: quemadmodum etiam locuta est superius Cant. cap. 1. cum dixit invitando sponsum ad quietem, Lectulus noster floridus est; sicuti tibi admonuimus: loquitur enim Sponsa ex hypothesis, tãquam noua nupta, scientibus legem, & morem nuptiarum. Idcirco aliquid subindicat per reticentiam.

Surgam, & circuibō ciuitatem, &c.

Andromache apud Homerum Hectoris vxor, simile quippiam fecisse dicitur præcipuo amore, & desiderio He-

ctoris viri sui. Sic enim eum alloquitur:

*Tu mihi iam solus pater es, materque verenda,
Tu dulcis frater, tu gratus ad omnia coniux.*

Cuius etiam desiderio veluti id est, mentis inops, & insana, aliquando per medias turmas discurret, & maxima collustrauit Troiana: & alia huiusmodi extrema fecit & passa est. Ex quibus facile constabat, quanto viri sui Hectoris, tum amore, tum etiam honore, obseruantia, & reuerentia teneretur. Iucundum est enim valde hæc omnia apud eundem Poëtam legere, atque etiam cum hoc Sponsæ facto conferre. Sunt enim similia, & consentanea valde, & vtraque in amatoriam, & nuptialiam. Itaque ad hunc modum sese res videtur habere in præsentiarum, cum tam constanter, & amanter dicit Sponsa, Surgam, & circuibō ciuitatem, &c. Misceatur enim

quodammodo decori virtus, A
dum Sponsa amore simul, & pu-
dore, quorum utroque mirifice
prædita erat, armata, rem supra
flexum, & captum fœmineum,
hoc est, rem plusquam virilem,
& propemodum sine exemplo
amorabunda aggredi cogitauit,
atque tentauit, quale planè est
id quod recipit, atque affirmat
se facturam, de quærendo scili-
cet per nocte in ciuitate Spon-
sum, quem vnice diligebat, hoc
enim sensu ait, In lectulo meo
per noctem, quæsiui, quem di-
ligit anima mea, quæsiui eum,
& non inueni. Surgam, & cir-
cuibo ciuitatem, per vicos, &
plateas quæram quem diligit
anima mea. Quasi verò nullam
habeat rationem pudoris, aut
decoris puellaris, & virginalis,
præ nimio amore, quo erga
Spōsum affecta erat, ut sit etiam
in his verbis hyperbole, seu am-
plificatio quædam, ad expri-
mendum magis vim amoris, &
dignitatem, simul & meritum
Sponsi sui.

Pro qua re, id est, mysterio, &
allegoria istorum verborum, vi-
dendus erit D. Aug. lib. 1. Con-
fess. cap. 18. vbi inter cætera sic
ait: Nunquid Domine semper
tacebis, & non eras de hoc im-
manissimo profundo quæren-
tem te animam, & sitientem de-

lectationes tuas, & cuius cor di-
cit tibi. Quæsiui vultum tuum,
vultu Domini requiram? Nam
longè à vultu tuo in affectu te-
nebroso recesserat. Nō. n. pedi-
bus, aut spatiis locorū itur abs-
te, aut reditur ad te. Aut verò fi-
lius ille tuus minor equos, aut
currus, vel naues quæsiuit, aut
auolauit penna visibili, aut mo-
to poplite iter egit, ut in longin-
qua regione viuēs prodigè diffi-
paret, quod dederas proficiscē-
ti. Dulcis pater quia dederas, &
egenō redeuntī dulcior, &c.
Cōsentanea sunt, quæ habet idē
D. Aug. lib. 10. Confess. cap. 18.
vbi sic ait: Si præter memoriam
meam te inuenio immemor tui
sum. Et quomodo iam inueniā
te, si memor non sum tui? Per-
diderat enim mulier dragmam,
& quæsiuit eam cum lucerna, &
nisi memor eius esset, non inue-
nisset eam. Cū enim esset in-
uenta, vnde sciret, vtrum ipsa
esset, si memor eius non esset?
Et cap. 20. Et comm. in Psalm.
76. super illis verbis, Memor fui
Dei, & delectatus sum. Deni-
que videndus erit idem D. Aug.
serm. de Assumpt. B. Mariæ cap.
5. vbi inter cætera sic ait: For-
cunda est enim veritatis autho-
ritas, & dum diligenter discu-
titur, de se signere quod ipsa
est, cognoscitur, &c. Præterea

legendus erit B. Isidor. Pelus.
lib. 1. Epist. epist. 87. quam scri-
psit ad Sandalarias Alexandri-
nas monachas, vbi congruenter
docet, quod muliebris sexus
fœminas non excusat: Excusa-
tionem (inquit) nescit natura,
veniam fœmina non habet. Po-
test enim fortiter, ac strenuè
aduersus mollitiem impetum
facere, cupiditatumque machi-
nas, atque tormenta firmiter
propulsare. Documento sunt
celebris illa Susanna, cum filia
Iepthe, atque etiam admiranda
Judith, &c. quæ prosequitur in
eandē sententiam. Potuit etiam
B. Isidorus exemplo tam fortis
Sponsæ uti præsentī, quatenus
scilicet cum tanta audacia, &
constantia non dubitauit Spon-
sum, quem diligebat, per ciuita-
tem eiusque vicos, atque plateas
quærere sola, donec tandem
cum tanto malo suo, atque peri-
culo inuenit, ac tenuit.

Quem diligit anima mea.

HOc epitheton, tanquam
proprium, & præcipuum,
de more suo solito, tribuit Spō-
sa hîc Sponso suo per anthono-
masiam, & amplificationem; sic
quasi nihil præter Sponsū di-
ligeret, cæteraque omnia pro

A illo contemneret, vnumque, &
solum Sponsū præpositum
haberet amorī suo, præterea ve-
rò neminem, nihilvè diligeret.
Pro qua re videndus erit D.
August. epist. 52. ad Macedo-
nium antè finem, vbi ita con-
gruenter ait: Deus, cui si dili-
gendo aliquid, l. præponimus,
vel æquamus, nos ipsos diligere
nescimus, &c. Idemque August.
lib. 1. doctr. Christ. cap. 38. non
minus congruenter sic admo-
net: Inter temporalia (inquit)
atque æterna hoc interest, quod
temporale aliquid plus diligi-
tur, antequam habeatur: vilescit
autē cum aduenit, &c. Qua-
propter etiam Sponsa inferius,
postquam tandem Sponsū
a se tam studiosè quæsitum
inuenit, conuenienter dixit: Te-
nui eum, nec dimittam.

Quæsiui illum, & non inueni.

PRO allegoria horum Spon-
sæ verborum, non abs re
fuerit legere, quæ de Sponso di-
uino, id est, Deo vno summo, &
vero inueniendo, inuestigan-
do, cognoscendo, atque colen-
do, scribunt grauiissimi Autho-
res, & sentiunt, tam Græci,
quàm Latini, tam nostri, quam
etiam prophani, sed præsertim

legendus erit Clemens Alex. ^Astrom. lib. 5. pag. 652. & deinceps, ubi ex autoritate, & verbis Platonis inter cætera, ita inquit: Patrem enim effectorem huius vniuersi inuenire est difficile, & cum inueneris, ut apud omnes eloquaris, nequit fieri, &c. Vnde & Cicero lib. 1. de natura Deorum, ubi de hac re ex ^Bprofesso disserit, inter cætera ita eleganter inquit: Roges me, quid, aut qualis sit Deus? Authore utor Simonide, de quo cum quæsiuisset Tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi vnam diem postulauit. Cumque idem ex eo postridie quæreret, bidduum petiuit. Cum sapius dupplicaret numerum dierum, admiratusque Hiero quæreret, cur ita faceret? Quia quæto (inquit) diutius cōsidero, tanto mihi res videtur esse obscurior, &c. quæ seqq. Similia de hoc argumento habet Plutarch. lib. 1. de placitis. Si quis autem plura de hac re desiderat, videndus erit Orig. ^Dlib. 7. contra Celsum pag. 131. Et Euseb. Cæsar. lib. demonstrat. Euang. cap. 4. & item lib. 14. de præparat. Euang. cap. 1. & cap. 6. Et D. Greg. Nazianz. orat. 3. de Theologia. ut omit. tam alios (breuitatis causa) cōplures, qui de hac re copiosè scripserunt, atque Antiquo,

rum varias opiniones compendio retulerunt. In quibus præsertim est August. Eugub. lib. 6. de perenni philosophia cap. 1. & item lib. 3. cap. 8. & lib. 5. cap. 4. & lib. 6. cap. 1. Ex quibus omnibus constare facile potest quàm difficile iam olim ante aduentum Dei in carne, fuerit Deum, id est, Sponsum diuinum inuenire, & cognoscere, ne dum ritè, & pro ut par est colere, vel etiam diligere: quàm etiam foelices, atque beati nunc sint Christi fideles, & discipuli, quibus tam familiariter innotescere dignatus Sponsus est. Vnde & Tertul. Apolog. cap. 45. non est veritus affirmare, nunc temporis quemlibet opificem, non modo inuenire, sed etiam ostendere aliis Sponsum posse. Deum (inquit) quilibet opifex Christianus inuenit, & ostendit, &c. Nihilominus tamen confitendum est Sponsum diuinum suapte natura inuentu esse difficilem, ut ne dicam difficilimum: siquidem vera est, sicuti certè est, illa sententia Isaia cap. 45. ubi magnacum asseueratione Propheta pronunciat, dicens: Verè tu es Deus absconditus. Quocirca D. Greg. Naz. orat. 24. in Ægyptiorū aduētū pag. 659. ex vltima

impressionem Parisiensi, qua utor, ^Acongruenter ait: Per visionem illam Seraphinorum, de qua loquitur Isai. cap. 6. illud significari, quod diuina natura paululum quidam nobis appareat. Cui suffragatur etiam Dionys. Areop. epist. 3. ad Caium, ubi etiam affirmat, quid Christus Dominus, etiam post reuelationem, & in ipsa quoque reuelatione, ^Bquod Verbum caro factum est, occultus, vel absconditus sit. Suffragatur etiam D. Aug. lib. 1. de consensu Evangelist. cap. 30. & aliàs sæpè. Gratias tamen Christo Domino debemus agere immortales, qui per aduentum suum in carne sese, simulque ^CDeum patrem suum, quoad eius fieri possit, nobis reuelauit, ac manifestauit. Iuxta illud Ioan. cap. 1. Deum nemo vidit vquam. Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. & Ioan. cap. 17. Pater, ego manifestavi nomen tuum hominibus, &c.

Ceterum possumus etiam non ineptè per allegoriam hæc Sponsæ verba aliter exponere, cum ait, Quæsiui illum, & non inueni. Quasi dicat Sponsa in typo Ecclesæ: Quæsiui dilectum meum in terra Israël, & in ciuitate Ierusalem, & in templo, ac synagogis Iudæorum, &

non inueni. Abiit enim ad gentes, & deseruit has sedes, seu terras, dilectus meus. Pro qua allegoria facit locus quidam pulcherrimus, qui est apud Iosephum Iudæum lib. 7. de bello Iud. cap. 12. ubi narrans de prodigiis excidium Ierosolymitanum præcedentibus, atque præsagiis, inter cætera ita scribit: Post dies autè ^Bfestos diebus paucis 21. diem mensis Maij, visio quædam apparuit fidem excedens. Pro fabula autè fortasse, quod dicturus sum, haberetur, nisi qui viderunt superessent, & clades dignæ præsagiis securæ fuissent. Namque ante solis occasum visi sunt per ^Dinane ferri curris totis regionibus, & armata acies tranantes nubila, & ciuitati circumfusæ: festo autem die, quem Pentecostem vocant, nocte sacerdotes intimum templum more suo ad diuinas res celebrandas ingressi, pri. num quidem motum, quendamque strepitum senserunt, postea vero subitam vocem audire, quæ diceret, Migremus hinc. Hæc. Iosephus Iud. & refert hunc locum Iosephi, Eusebius Cæsar. demonstr. Euang. lib. 8. cap. 3. & D. Hieronym. in epist. ad Marcellā, & item com. in Isaiam ca. 52. & aliàs. Ut omit. tam alios ex nostris complures, qui hoc testimonio Iosephi Iu-

dei aduersus impios, & incredulos Iudæos vtuntur.

Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt Ciuitatem.

Plato Dial. 2. de Repub. pag. 375. vbi disserit de custodiibus, atque vigilibus probis Ciuitatis, eleganter, & sapienter ait. Oportere eos esse erga suos mansuetos: aduersus autem hostes immites esse. Nam qui alterutro horum carebit, custos bonus non erit. Atque proinde vult probum custodem ciuitatis similem esse debere generoso canini, qui aduersus familiares, & notos, mitissimus sit, contra vero aduersus ignotos. Sic enim ibi inquit: In aliis animalibus hoc vtique videre licet, & non minime in cane custode, cum quo nostrum custodem comparamus. Nostri enim generosi canis hunc à natura morem esse, vt aduersus familiares, & notos, mitissimus sit, contra vero aduersus ignotos. Ergo neque impossibile est, neque præter naturam, quod quærimus, talem videlicet esse custodem. Videtur præterea opus, vt qui futurus sit custos, ad ferocitatem illam addat, vt natura philosophus sit. Nam & hoc in canibus intueri licet, quod quidem in bestia di-

gnum admiratione sit. **Q**uem enim ignotum viderit canis, grauius fert, & si nihil mali ab eo sit perpeffus. Noto autem blanditur, quamuis boni ab eo susceperit. At enim videtur hic naturæ ipsius effectus ingenuus, ac vere philosophus: quoniam scilicet aspectum nulla realia amicum, & inimicum discernit, quæ quod hunc quidem nouit, alium autem ignorat, & cætera. Consentanea sunt, quæ habet Dialog. 3. pag. 384. vbi congruenter docet, custodes ciuitatis tamquam canes vigilare diligenter, & insomnes esse oportere. Absurdum enim, & ridiculum esse custodem indigere custode. Et Dialog. 5. pag. 403. Non minus eleganter, & congruenter docet, metum, & pudorem custodes præcipuos esse in ciuitate ad turpia vitanda. Metus namque & pudor custodes (inquit) sunt ad hæc prohibenda sufficientes. Pudor quidem non permittit eos, quos parentes suspicantur violare metus autem ab iniuria absterrebit quemque, timentem scilicet, ne cæteri omnes partim, vt filij, partim vt fratres, partim vt patres, oppresso succurrant. Omnino igitur ex his legibus ciues inui em in pace vitam agent, & cætera. Hæc omnia Plato in locis memora-

tis, & quidem valde oportune. **A** ergo Cicer. in lib. de Repub. 1. Veruntamen licet hoc in loco accommodatè per custodientes ciuitatem, Author sacer intelligat custodes vrbs Ierusalem, sicut & inferius Cant. cap. 5. cum ait: Inuenerunt me vigiles, qui custodiebant ciuitatem, &c. Nihilominus vox (ciuitatis) est ambigua. Non enim luteis, aut faxeis muris, valloque semper definienda est ciuitas. Quamuis Verrius Flaccus, & ciuitatè inter alia significata tradiderit, ipsum quoque populi locum, septumque denotare. Vnde & vulgus iuris consultorum ciuitatis videntur propriam definitionem sumpsisse, cum eam esse definiant ciuitatem, quæ muris cingatur. Quasi vero Lacedæmon ciuitas non fuerit, quæ sine muris sexcentos annos, non solum ciuilitè vixerit, sed etiam latissimè tenuerit Imperium: aut non populus, aut ciuitas fuerit Ierusalem, antequam muros haberet. Vt etiam gens ipsa Israëlitica in illa Arabiæ peregrinatione, in qua & Moses Ecclesiam Dei agmen illud Israëliticum vocauit. Nempe Rempub. illam Iudæorum sentiens, quamuis sedes fixas, locumque spatiis communibus distinctum, nec dum illum incolerent, sed desertas rupes illas præterirent. Melius

A ergo Cicer. in lib. de Repub. 1. Ciuitatem definit omnem populum iuris ciuilibus, æquitatisque constitutione sociatum. Neque enim, vt idem asseuerat, ciuitas dici potest ferorum, & immanium conuentus; aut etiam multitudo fugitiuorum, aut latronum in vnum congregata. Sic ille. Si quis autem plura desiderat de ratione Ciuitatis, seu de custodia optima ipsius, atque ciuis optimi officio, consulendus erit præsertim Arist. Politic. lib. 3. cap. 1. 3. & 5. & item lib. 7. cap. 8. & cap. 11. vbi etiam priuatim disputat, vtum oporteat, necne, ciuitates, seu vrbes esse muratas, contra Platonem, qui Dialog. 6. de legib. pag. 555. id negat, adductus videlicet, & persuasus exemplo Lacedæmoniorum. Videndus quoque si placet, & si est otium, Vegetius de remilitari lib. 3. cap. 8. Vide etiam Adag. Non docet Principem solidam dormire noctem. *Tenui cum, nec dimittam, &c.*

Similis locus est ille inferius Cant. p. 8. cum inquit: Sponsa, Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, &c.

Pro allegoria autem horum

Sponsæ verborum videtur erit **A** D. Thom. Aquinas, vel potius Thomas Anglicus, super illis Genes. ca. 32. vbi Iacob Patriarcha Angelum, cum quo per totam fere noctem luctabatur solus, ita allocutus esse fertur: Nō dimittam te, nisi benedixeris mihi, &c. Pro qua re etiam facit locus quidam, qui est apud Orosium lib. 6. cap. 8. vbi sic ait: Peruentum est aliquando ad intelligentiam illius noti, & ignoti Dei, quam apprehendere nemo, nisi per ipsum, potest. Nec quisquam potest, nisi quid toto se despecto, ac perspecto, conuersus ad sapientiam Dei, omnem querendi ratiocinationem transtulerit ad credendi fidem, &c.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & uniuersæ pulueris pigmentarij.

Ante omnia ad perfectam, germanamque huius loci cognitionem, & explicationem, sciendum est vocem (deserti) iuxta phrasim Hebraicam, id est, linguæ sanctæ proprietatem, in sacris litteris significare, rus, siue campum, siue eremum & solitudinem, siue loca ista sint montana, siue campestria,

siue culta, siue inculta. Quicumque enim locus solus Hebraicè desertum nominatur, & est, si sit extra urbem, respectu ciuitatis, atque frequentia. Deinde etiam, ascendere per desertum, iuxta eandem Hebraicam phrasim, nihil est aliud, quam iter facere per loca sola, atque montana. Necessarium est autem hinc aliquid etiam subintelligere, vt constet ratio sententiæ simul & litteræ, id est, historiæ sensus: quando quidem ex abrupto, & nulla expressa persona, quæ loquatur. Author sacer ita exorditur inquit: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, &c. Loquitur enim Author sacer ex aliqua hypothese, quippe quæ ex aliis locis facile colligenda, & subintelligenda est, atque etiam facile apparet, si diligenter attendamus. Etenim Sponsa interdum simul cum Sponso, rus, seu villam, & vineam, quæ extra urbem erat, animi causa, rusticatum adire solebat, præsertim tempore verno: vt aperte patet ex illis verbis Sponsi Cant. cap. 2. Sponsam suam sic inuitantis. Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hyems transit, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, &c. quæ sequuntur. Et

Cant.

Cant. cap. 4. rursus sic ait: Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amanæ, &c. Quinetiam ibidē ipsa Sponsa vicissim Sponsum inuitat dicens: Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum. Et Cant. cap. 5. ipse Sponsus etiam inuicem Sponsam suam ad exeundum ita inuitat dicens: Veni in hortum meum soror mea Sponsa, messiui myrrham meam cum aromatibus meis. Denique ipsa met Sponsa rursus Cant. cap. 7. Sponsum suum istiusmodi verbis ad hoc ipsum iter, id est, peregrinationem, seu rusticationem, & animi refectionem prouocat dicens: Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea nostra, si flores fructus parturiunt, si florent mala punica. Sic Sponsa. Quæ etiam Cant. cap. 6. dixerat: Descendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium, &c. Hæc omnia subintelligenda sunt. Neque id solum, sed etiam subintelligendum, & præponendum est tamquam certum, & euidens, Sponsam vbi que locorum, & domi, & foris, semper delectatam fuisse eximia fragrantia odorum, atque

omnis generis vnguentorum suauiter olentium, cuiusmodi est nardus, & myrrha, & talia. Nam de hac re præsertim, & maxime videtur, atque inducitur ipsa plerumque in hoc Cant. data oportunitate, gloriari, sibi que plurimum placere. vt Cant. cap. 1. dū ait: Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Et rursus Cant. ca. 5. ait: Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima. Et alia multa. Consentaneum ergo his est, vt Sponsa, dum extra urbem iret in villas, vineas, & hortos simul cum Sponso rusticatum, præsertim vero tempore verno, seu æstiuo, propter eximiam fragrantiam odorum, & vnguentorum varij generis, quibus delibuta erat in itinere vnguenti cuiusdam effusi, non solum ipsa mirabiliter redoleret, sed etiam viam ipsam quodammodo sua violentia impleret, atque etiam videntes, ac transeuntes voluptate afficeret: præsertim vero adolescentulas, seu virgines, puellasque, ceteras Hierosolymitanas, quæ eius rebus, id est, partibus, & amoribus plurimum tauebant. Vnde vox ista, quæ prima fronte videtur obrupta esse, & sine vlla personæ certæ expressione prolata, vox est pro-

Z

pria chori, id est, adolescentularum familiarium sodalium, & æqualium, quæ scilicet præcipue in hoc Cant. interloqui, Sponsamque sequi, & comitari describuntur, quippe quæ cum admiratione, & amplificatione, admirabilem fragrantiam odorum, & unguentorum eius collaudant, & prædicant, dicentes: **Quæ est ista**, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, &c. Qualis proculdubio est etiã sermo illè inferius Cant. cap. 6. vbi legimus dictum: **Quæ est ista**, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, &c. Utrobique enim loquitur chorus adolescentularum, admirans, & prædicans scelicitatem, apparatus, & faustum, simul & fragrantiam Sponsæ euntis extra urbem in villas, & vineas, vel etiam domum redeuntis per loca sola, atque montana, letiam campestria: quæ omnia quodammodo Sponsa fragrantia, & suauolentia afficiebat, quaquã (inquam) ibat, vel redibat. Neque enim existimandum est chorum adolescentularum in hoc dialogo amatorio agere partes mutæ personæ, quæ nunquam loquitur, vel nihil loquitur. Nam de persona muta quarta in ordine Horat. in arte.

Comprobatur etiam magis ista interpretatio ex loco illo Cant. cap. 6. vbi ipse Sponsus huic nostræ expositioni manifestum testimonium perhibere videtur, cum ait: vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filia, & beatissimam prædicauerunt, reginã, & concubinẽ, & laudauerunt eam. Deinde sequitur statim, quasi explicatio, cuiusmodi scilicet, & quibus verbis Sponsa ab illis, nempe à filiabus Hierusalem, id est, adolescentulis, & virginibus, seu puellis, atq; matronis Hierosolymitanis fuerit laudata in hunc modum: **Quæ est ista**, quæ progreditur, &c.

Pro allegoria autem istorum verborum, præsertim videtur esse legendus D. Cyprian. Mart. lib. 2. epist. 2. ad Donatum sine, vbi ita scribit: Postquam auctorem suum cælum intuens anima cognouit, solo altior, & hæc omni terrena potestate sublimior, id esse incipit, quod esse credit. Hæc. Cyprian. Exemplum autem huiusmodi ascensionis, id est, animæ perfectæ in cælum, mirificè, & præclarum, habemus in Christi Domini Ascensione, de qua quidem Lucas Euang. Actorum cap. 2. ita conuenienter scribit: Cum

que intruerentur in Cælum (Apostoli, & discipuli eius admirandi) euntem illum, &c.

Sicut virgula fumi.] Eleganter hinc Sponsa propter eximiam odorum fragrantiam, & varietatem, qua mirificè diffuebat, cum fumo odorato, seu aromatico, atque etiam cum puluere pigmentario comparatur, dum per viam incederet, vel per loca montana, amœna, & sola extra urbem ascenderet, & peregrinaretur, vel ipsa sola, vel etiam vnã cum Sponso, sicuti interdum animi causa solebat. Fumus enim, seu puluis aromaticus dum incenditur, velut ignis, alta petit, atque in Cælum quodammodo videtur ascendere ob singularem subtilitatem, & leuitatem. Fumus namque hoc loco pro suffitu etiam accipitur, qui ex bonis odoribus excitatur, & in omnes partes sursum, deorsumque diffunditur. Veruntamen sciendum est, in Hebræo, pro eo quod in vulgata translatione nostra latina habetur (sicut virgula fumi,) sic haberi, sicut palma fumi, videlicet propter rectitudinem, qua sursum ille fumus, seu suffitus odoratus recte ferebatur instar arboris palmæ, cuius proprium, & præcipuum est sursum, recteque ferri, hoc est, in altum,

& quodammodo in Cælum ascendere: quemadmodum & ignis, qui suapte natura alta, & sublimia perit. Pro qua re legendus erit. A. Gellius lib. 3. Noctium Atticarum cap. 6. vbi ita de vi, atque natura palmæ arboris scribit. Per hercle (inquit) rem mirandam Aristoteles in 7. Problemat. & Plutarch. in 8. Symposiacorum dicit: si supra palmæ arboris lignum magna pondera imponas, ac tam grauius vrgeas, oneresque, vt magnitudo oneris sustineri non queat; non deorsum palma cedit, nec intra flectitur: sed aduersus pondus resurgit, & sursum nititur, recuruaturque. Propterea (inquit Plutarchus) in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ, quoniam ingenium istiusmodi ligni est, vt vrgetibus, opprimentibusque non cedat. Hæc. A. Gellius. Itaque non est contemnenda hæc lectio, seu interpretatio Hebræorum, cum pro virgula, legunt palmam: quandoquidem hoc arboris genus præcipue Symbolum est victoriæ, & virtutis, vt aliàs notauimus: & patet ex illo loco Psalm. 91. vbi Rex Proph. per comparationem ait, Iustus vt palma florebit, &c. Similis autem huic est comparatio illa, qua Sponsa

in laudem sui Sponsi vsa est superius Cant. cap. 1. cum dixit: Oleum effusum est nomen tuum. Quibus verbis non solum nomen, sed etiam personam, & corpus Sponsi, cum vnguento effuso comparauit, propter eximiam scilicet praestantiam vnguentorum, quibus de more Orientalium utebatur, & delibutus erat, praesertim in die nuptiarum, id est, desponsationis suae, & in die laetitiae cordis sui.

Et thuris.] Videndus Arnobius lib. 7. contra Gentes pag. 226. & 227. vbi disputat de ritu isto, quo in sacris, & in re diuina thus adoleri solet, inter alia sic ait: Nam ne forte ignoretis quid, aut vnde sit thus istud, viscum est ex corticibus profluens, ita vt ex amygdalo Ceraso, lacrymabili destillatione coalescens.

In lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel,

Alludit his verbis Sponsa, siue Author facer, vel potius adolescentula, ad morem Regum solitum. Solent enim Reges diligenter curare custo-

diam corporis sui, id est, vt habeant corporis sui custodes fideles, & fortes, praesertim vero tempore quietis, tempore scilicet nocturno, quod quidem maxime insidiis opportunum, & obnoxium est. Pro qua re legendus erit Apuleius lib. de Mundo, vbi loquens de Cambyse, & Xerxe, & Dario Regibus Persarum potentissimis, eorumque apparatu, & ambitione, inter caetera sic sibi ait, propemodum atque Salomon hic: Ante fortes (inquit) viri fortes, stipatoresque regalium laterum, turtela peruigili, custodiam per vias fortium sustinebant, & caetera.

Pro allegoria autem non abs re erit, & non nihil forte iuuabit legere interpretes super illis verbis Isai. capite 61. cum ait, Et vocabuntur in ea fortes iustitiae, & caetera. Caeterum admonitum esse volo lectorem, quod totus hic sermo; Quae est ista, & caetera, & item quod statim postea sequitur, Ferculum fecit sibi Rex Salomon, & caetera, vtraque enim verba videntur esse chori adolescentularum, potius quam Sponsae.

Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani &c.

VOx Graeca qua hic vsi sunt Lxx. in vertendo vocem Hebraicam, significare videtur genus quoddam lecticae: vnde & Interpres Latinus bene vertisse etiam videtur ferculum quod a ferendo nominatur: idcirco non male iuxta subiectam materiam, & circumstantiam loci, per ferculum hic, lecticam interpretabimur: cuiusmodi v.g. erat olim apud Romanos cella curulis. Nam Senatores in veterum aetate, qui curulem magistratum, id est, maiorem honorem gerebant, honoris causa, in Curiam vehi soliti erant curru, in quo curru cella erat eburnea, supra quam confederent, quae ob eam causam curulis appellabatur. Quae admodum ait, & docet Aul. Gellius lib. 3. cap. 18. & item lib. 6. cap. 9. vbi differit de magistratu, seu dignitate curuli, ostenditque eos Senatores, qui magistratum curulem non acceperant, pedibus iuisse in Curiam, non curru in quo erat cella eburnea. Pro qua re si quis plura desiderat, legendus erit Lipsius Electorum lib. cap. 19. vbi differit de variis lecticarum ge-

neribus, quibus veteres Romani, & Graeci olim utebantur.

Caeterum videtur in his verbis Cantici esse allusio aliqua ad arcam foederis, quae dicebatur, & erat veluti scabellum, seu tabernaculum, & templum quoddam Dei deambulatorium, vt ita dicam. Ita enim loquitur etiam alicubi Philo. Iud. Propitiatorium namque erat quasi sedes Dei, arca vero testamenti, seu foederis, quasi scabellum pedum illius, vel certe sic videbatur, & vulgo dicebatur, siquidem arca subiecta erat propitiatorio, & quemadmodum scabellum pedibus subiicitur, vt ex 1. Paralip. cap. 28. colligitur atque etiam ex lib. Exod. cap. 25. & aliis item locis. Vnde est illud Ierem. Threnorum cap. 2. vbi plangens calamitatem, seu captiuitatem Hierosolymitanam, inter caetera sic ait, atque dolenter conqueritur: Non est recordatus scabelli pedum suorum, &c.

Accuratissima est autem, si diligenter attendamus, haec ferculi Salomonij descriptio: atque proinde oportet singulas eius particulas non carere mysterio, neque accuratior est illa descriptio vestitus, seu ornatus summi Sacerdotis Eccles. cap. 45. vbi post multa, ita tandem

concludit author illius operis: A fragio hoc tabernaculū perit.
Sic pulchra ante ipsum Aarōnem scilicet, non fuerunt vsque ad originem, &c. Veruntamen vt alia mysteria omittam, certē ratione, & mysterio minime caret, quod inter alias patietes, & laudes istius ferculi, ait Salomonis hic: Et ascensum eius purpureum. vt Author est D. Hieron. com. in Ezechiel. cap. 15. vbi sic ait: Ascensum habet purpureum hoc ferculum, quia maxima multitudo fidelium in exordio nascentis Ecclesie per martyrij sanguinem peruenit ad Regnum. Igitur Rex noster ascensum purpureum fecit in ferculo, quia ad clarum, quod intus aspicitur, per tribulationem sanguinis peruenitur. Hacten. D. Hieron. Plutarchi tamen salutare præceptum illud est, temperandum ab raris, & exquisitis poculis, signis, gemmis pretiosis, & talibus. Hæc enim deiciunt de statu animū, si perierunt; non item illa, quæ parabilia sunt, & vulgata. Itaque Nero tabernaculum quoddam octagonum eminenti specie, & splendore comparasset, Seneca ad eum: Ostendisti te ipsum, inquit pauperem: si enim hoc perdidideris, simile non recuperabis. Et dictio Senecæ hæc vera fuit. Paulo enim post nau-

Media charitate construit.

IN hac oratione vocabulum (media) casus est accusatiui pluralis, pro eo quod est, Mediam ferculi partem. Vocabulum autē (charitate) casus ablatiui est; pro eo quod est, Cum charitate, i. charitatis gratia, vel gratia, vel charitate, simul & veræ gloria incensus. Cupiebat enim aliquid operis facere se dignum, in gratiam Sponsæ, & adolescentularum, quod etiam ad laudem sempiternam valeret, atque maneret. Sic enim constare potest aliqua ratio sententiæ, secundum vulgaram translationem Latinam, quamuis paulo obscurior. Nihilominus tamen si pro [charitate] legamus [charitati] in casu datiui, quandoquidem vox ipsa Hebræa est ambigua, vt aliàs notauimus, & admonuimus; tunc sensus horum verborum erit omnino perspicuus, & dilucidus. Erit enim tunc talis sensus, quasi planè ita dicat Author sacer: Mediam autē partem istius ferculi, charitati, id est, charæ suæ, dilectæ suæ, seu dilectæ suæ, tanquam potiozem, construit, seu præparauit, adornauit, vel dicauit, atque sacravit. Vox

enim Hebræa, pro qua vulgatus Latinus in casu ablatiui hæc vertit (Charitate) ambigua est, vt dixi, & indeclinabilis, significans charitatem, & charam: atque proinde nomē abstractum (charitas) pro nomine concreto adiectiuo (charæ) accipi & interpretari potest: imo verò ita interpretari solet, ac debet in hoc Cantico, & aliàs; iuxta circumstantiam loci, siue in casu ablatiuo, siue in casu datiui, siue in alio casu: quoniam sic multo magis emphatica, significantiorque est oratio, atque sententia, & magis consentanea argumento, & carmini amatorio: si (inquam) Spōsa dicatur, & sit ipsa charitas seu dilectio, & amor Sponsi; quam si dicatur chara & dilecta: præsertim cum vox ipsa Hebræa sit ambigua, & vtrumque indifferenter significet, atque etiam abstrahat à casu ablatiuo, vel datiui. In vtroque enim casu, salua linguæ sanctæ proprietate, poni potest, seu verti. Itaque, vt verisimile est, media istius Salomonis ferculi pars, præ cæteris partibus eminebat, præstantior, elegantiorque erat, maiori que artificio, & gratia pollebat. Idcirco hanc partem Salomō Dilectioni suæ, seu Charitati suæ, hoc est, Spōsæ charæ, & dilectæ suæ præter-

tim, constratam, dicatamque esse voluit, & iussit. Hoc enim opere, non solum abundè Spōsæ satisfecit honori, amoris, & desiderio; sed etiam simul satisfacere visus est voluntati, & cupiditati, & curiositati filiarum Hierusalem, præsertim verò adolescentularum, quæ amoribus eius, & Sponsæ fauebant: iuxta illud Cant. cap. 1. Adolescentulæ dilexerunt te. Ideoque etiam Sponsus hoc opere tam affabre facto, & elaborato, præsertim gratificari, ac placere cupiebat, ac debebat, quia scilicet dignæ erant præ cæteris virginibus seu puellis & matronis Hierosolymitanis, hoc fauore, & honore, seu gratia: quamuis cæteris omnibus generaliter hoc ferculi genus, tam mulieribus, quam viris mirificè placeret, & longè gratissimum esset, propter eximiam pulchritudinem, & pretium, & artificium summum, vtpote in quo materiam longè superabat ars; media charitate construit propter filias Hierusalem. ita quidem, vt præpositio (propter) referatur ad totum ferculi opus; quod quidem incomparabile planè erat, & rarum, inter aliaque opera Salomonis exquisitissimum: vt apparet ex tam exacta descriptione, cum ait: Columnas eius

fecit argenteas, &c. sed præsertim cum ita subiungit, atque concludit dicens: Media charitate construit. Medius, n. locus præsertim in conuiujs, in lectis, & cœnationibus, maximè verò solēnibus, & nuptialibus, & acubitu ad mensam, honorificentissimus, & dignissimus erat apud antiquos, vt apparet ex multis probatis authoribus, tam Græcis, quàm Latinis. Hinc enim illud apud Poëtam Latinum de Didone Regina:

— *Auleis iam se Regina superbis
— Composuit sponda, mediamque locauit.*

Provt, scilicet decebat Reginam. Quanto ergo magis decebat, vt Rex Sponsus Reginam Sponsam, id est, nouiter nuptā & vnicè dilectam, in medio locaret, id est, medium lecticæ, seu ferculi istius nuptialis, honoris, & amoris gratia, præque delicijs Sponsæ tribueret: Quandoquidem iuxta Prouerbum vulgare, medijs plerisque rebus gratia maior inest, quod etiam natura, non solum ratione comparatū esse videtur. Nam Arist. lib. 3. de partibus animalium ca. 4. vbi disputat de corde, situque eius proprio, sic ait: Aptissimus autem omnium locorum medius est. Mediū enim vnum est, & tale, vt vbiue attingere

vel æquè, vel proximè possit. Cor igitur in plerisque omnibus animantibus in medio peritoris est, &c. Vnde etiam Ioannes Apost. cap. 7. Christo Sponso medium locum in throno Dei attribuit, dicens: Agnus in medio throni, &c. Vnus est enim Patri, & Filio honor, & gloria, cum Pater in Filio, & filius in Patre sit. Absit autem vt aliquid prophanum, & absurdum hinc cogitemus, quasi verò Author sacer significare velit, in medio ferculi istius fuisse imaginem amoris depictam, aut ex arte factam: de quali Amoris, seu Cupidinis imagine, ac figuram scribit Pausanias initio Corinthiorum, quæ depicta erat in Neptuni templo. Describens enim Neptuni templum, meminit etiam currus ab Herode dedicati. Et cuius (inquit) media basi amoris Dei emergebat assistentibus vtrimque Nereidibus. Alcibiades quoque clypeo utebatur aureo, atque ebore cōfecto, in quo insignis erat Cupido fulmens, incuruans, atque inflectens, sicut proditum est in historia. Sed tamen absit, inquam, à sacris litteris tam prophanum figmentum. Nam Sap. cap. 15. istiusmodi picturæ tanquam prophanæ, & superstitionis aperte damnantur. Quin potius

tius iuxta sanctos, & veteres Theologos, per charitatem, siue amorem, cum ait Oraculum hinc Media charitate construit, intelligere debemus (vt iam dixi) ipsam Sponsam, vel etiam ipsum Sponsum, quippe qui charitas, seu Amor, & desiderium nostrum nominatur, & est, vt Ecclesia Catholica in sacris Returctionis eiusdem canere solet dicens, Iesu nostra redemptio, Amor, & desiderium. Quinimo ipsa Sponsa inferius hoc nomine Sponsum appellat Cant. cap. 5. cum ait: Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis, &c. vel, totus desiderium, sicuti Lxx. Interpretes ibi Græci vertunt, nempe q. d. Totus est desiderium, omnes quæ ad amandū se trahit, quemadmodū exponit Theodor. Pro qua intelligentia, seu interpretatione, valde facit locus ille, qui est apud Dionys. lib. de diuinis nom. cap. 4. pag. 1. vbi sic ait: Atqui vilum est plerisque ex tractatoribus nostris diuinius esse amoris, quàm dilectionis nomen. Scribit enim & D. Ignatius: Amor meus crucifixus est. Et in primis scripturarum institutionibus quendam de sapientia diuina dixisse comperies: Amator factus sum forme illius. Non ergo metuamus amoris

nomen: neque nos vllus perturbet sermo, terrorēve concutiat, &c. quæ sequuntur apud Dionys. vbi de nomine simul, ac ratione, seu notione differit. Quare verendum non est, si hæc Amoris appellatio Sponsæ, l. etiam Sponsi, in carmine præsertim amatorio, & nuptiali, per hyperbolen, seu amplificationem tribuatur. Dixi (vel etiam Sponso,) quoniam alia quædam translatio, pro eo quod est in vulgata nostra editione Latina (Media charitate construit) non malè sic habet. Et medium tenet ipse incensus, hoc est, ipse Sponsus, qui totus incensus erat, atque inflammatus (supplendū, Amore Sponsæ, simul & filiarum Hierusalem) medium ferculi tenebat, seu occupabat, atque implebat. Comprobatur etiam magis hæc translatio, siue expositio, ex altera Glossa, seu traditione antiqua Hebræorū, quæ extat super illum locum Genes. cap. 2. Et germinare fecit Dominus de terra, &c. Sic enim habet: In cuius medio thalami Messias filius David, qui est diligens filios Israël, sicut dictum est Cantic. cap. 3. Medium charitate construit propter filias Hierusalē. Quam Glossam Hebræorum refert etiam Christophorus in lib. cui

tit. fecit de triumpho Christi titulo 2. pag. 39. & item. pag. 43. Cæterum videndus est Cartharius de imaginibus Deorum. pag. 129. vbi differens de Iunonis imagine, & item de flammeo nuptiarum velo, ex autoritate Suidæ tradit, quemadmodum nouiter nuptæ, seu Sponsæ olim apud antiquos, vt ne erubescerent, noctu lectica vehebantur, quæ à mulis, siue bobus gestabatur, vbi Sponsa in medio sedebat: eiusque latera ex vna parte Sponsio, ex altera honestissimo aliquo, aut amico, aut propinquo claudente. Hacten ille, partim ex Suida, partim etiam ex Varrone.

Propter filias Hierusalem.

Non solum Sponsus charitate Sponsæ incensus erat, sed etiam charitate filiarum Hierusalem, præsertim verò adolescentularum, id est, amicarum, & familiarium Sponsæ, Vnde non solum propter Sponsam, seu in gratiam Sponsæ, verum etiam in gratiam filiarum Hierusalem, atque propter filias Hierusalem, ferculum hoc tam sumptuosum, magnificum, & exquisitum fecisse dicitur, quia scilicet in tali opere fabricando, non solum rationem habuit Sponsæ

siue, sed etiã simul filiarum aliarum, id est, puellarum, matronarumque Hierosolymitanarum, quæ vestigia Sponsæ sequebantur, moreque eius sanctissimos imitabantur. Neque dubitandum est, quin per filias Hierusalem mysticè hinc intelligantur, & significentur animæ fideles, electæ, dociles, & piæ, & salutis cupide. Idcirco autem dicitur filias, potius quam filios, quia sermo hinc totus muliebris est, nempe Sponsæ, vel potius adolescentularum: vt scilicet sermo sit mollior in genere feminino. Hoc. n. magis consentaneum est argumento, & carmini amatorio, & nuptiali. Adde, quod iuxta phrasim Hebræam, per filias Hierusalem etiam possunt significari, minores ciuitates Iudææ. Nam, Hierusalem erat ciuitas metropolis, cui tamquam matri suæ subijciuntur minores ciuitates, vt filia. Sic Hebræi exponunt illud Psalm. 44. Filia Tyri, &c. Cùm ergo Sponsus diuinus summum bonum sit, atque proinde, suapte natura diffusiuum, & communicatiuum sui sit, instar lucis, vel solis, quemadmodum, eleganter docet magnus ille Dionys. lib. de diuinis nom. cap. 4. in principio; idcirco mirandum, minimè est, si propter Sponsam, etiã alias (vt dixi) filias Hierusa-

lem, præsertim verò amicas, & familiares Sponsæ, diligeret, & honoraret, earumque etiam rationem haberet in ferculi istius fabricatione. Nam ob hanc rationem legimus in sacris litteris Deum Opt. Max. non semel, sed frequenter, benigne fecisse SS. Patriarcharum posteris, & successoribus, quamuis per se minus dignis, vt ne dicam indignis; quinetiã iniustus hominibus benigne fecisse, & pepercisit propter iustos. Vt patet ex multis locis diuinæ scripturæ, sed præsertim Genes. cap. 18. vbi legimus Oraculum Abraham Patriarchæ dicenti, Nunquid perdes iustum cum impio? si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribit simul, & non parces loco illi propter quinquaginta iustos: &c. ita respondit: Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omnino loco propter eos, &c. quæ sequuntur in hanc sententiam. Gradatim. n. interrogabat Abraham Patriarcha, & Oraculum vicissim respondebat: priusque cessauit, defecitque Abraham pro Sodomis precando, & intercedendo, quam Deus ipse concedendo id, quod Abraham petebat. Præterea Genes. cap. 26. scriptum est: Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæ-

li, daboque posteris tuis. Vniuersas Regiones has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta, & mandata mea, & ceremonias, legesque seruauerit, &c. Et Itai. 37. ait Oraculum: Et protegã ciuitatē istam vt saluē eam, propter me, & propter Dauid seruum meum, &c. Denique (vt omittam alia multa testimonia, atque exempla) Daniel cap. 3. Deum ita conuenienter, & suppliciter precatur dicens: Propter Abraham dilectum tuum, &c. Facit pro hac sententia valde locus ille, qui est in sacra historia 4. Reg. 13. vbi legimus mortuum quendam vitam recepisse, eo quod sepultus fuerit in sepulchro, i. inter ossa Elisæi viri sanctissimi. Si quis volet amplius hanc allegoriam, seu locum communem dilatare, legendus erit Procopius in Genes. cap. 18. super illis verbis præfatis: Si fuerint quinquaginta. Vbi eleganter, & conuenienter ait: Pauca salis micæ multam conseruata putredine carnem, &c. quæ profectur in eandem sententiam. Videndus etiam erit D. Chrysoft. homil. 80. ad Populum Antioch. tit. 5. vbi docet Deum frequenter parcere malis propter bonos, qui ex illis

sunt nascituri. Videndus quoque erit Andreas Masius in Iosue cap. 6. pag. 110. vbi quærit, cur Deus vniuersam Hierico voluit, & iussit esse Anathema, neminique pepercit, nisi Rahab, & propinquus eius. Vbi etiam ostendit Deum vnius gratia interdum multis parcere, atque indulgere. Vnde etiam Hebræi dicere prouerbialiter solent, Pauperum orationibus Deus orbem sustentat. Sūt enim pauperes, & iusti quasi cardines quidam terræ, vt quidam vir pius, atque eruditus ait. Qualiscunque tandem sit, hæc allegoria, & item interpretatio proposita, nihilominus firmiter tenenda & quoad eius fieri potest tuenda erit vulgata translatio Latina, quatenus hoc loco habet, Media charitate construit: præsertim si per vocem charitatis, vt dicebam, ipsam dilectam, id est, Sponsam accipiamus, legendo scilicet in datiuo casu (Charitati) in hunc modum: Media strauit charitati, id est, charæ suæ, vt in media ferculi parte tantquam in mollissimo lectulo recubaret, aut requiesceret. Nam hoc ferè sensu, verbo conster-nendi vsus est Cicero alicubi, nempe pro eo quod est lectum sternere, vel substernere, hoc est aptare. Sic enim in lib. de Nat.

A Deorum loquitur: Aues nidos construunt, eosque quã possunt mollissimè sub sternunt. Et rursus in lib. de diuinatione dicit, vias omnes constrauerat. Et in oratione pro Cluentio dicit, lectum illum genialem, quem filia nubenti strauerat.


B *Egredimini filie Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, &c.*

D iadema commune olim in sine Regum, nõ aliud, quam fascia tenuis cingens caput, seu fascia alba erat, vt videtur est apud Lipsium in scholiam ad Cornel. Tacit. lib. 6. num. 87.

C Pro allegoria autè & mysterio horum verborum, legendus præfertim erit Clemens Alex. Pedag. lib. 2. c. 8. pag. 212. vbi ita inquit: Accedit his quod à ratione alienum est, vt qui audierimus Dominum spinis fuisse coronatum, ipsi venerabili Domini passioni per ludum insultantes habeamus capita redimita floribus. Domini enim corona nos propheticè significabat, qui fuimus aliquando infrugiferi, qui circa illum impositi fuimus per Ecclesiam, cuius pfe est caput, &c. Videndus quoque erit Isidorus Pelusiotæ lib. 1. Epist. 95. vbi rationem reddit, ob quam Christus Dominus spinea corona,

seu spinis coronam voluerit, ita enim inquit: Quandoquidem execratione illius, qua terra post mandatum à nobis violatum, multata est, seges spinea erat, Dominus autem, vt omnem in seipso morbum curaret, aduenerat, idcirco spinea corona, vt victor, redimitus est; quemadmodum scilicet clari, ac celebres victores faciunt qui hoc ipsum telum aut instrumentum, cuius ope victoriam consecuti sunt in triumphum gestant. Confidite, inquit Dominus, Ego vicimundum. Et cætera, quæ sequuntur. Contentaneus locus hic est in historia de bello sacro, id est, apud eos qui de Hierosolymitano bello & victoria scripserunt. Iam enim tunc, capta & expugnata à nostris Hierosolyma, coacto consilio Gothofredus Bullioniensis dux, sanctæ terræ Rex, propter multa egregia & fortia facta, meritaque eius fuit designatus & salutatus, sed tamen nihilominus ille se in ea vrbe auream coronam sumpturum, vbi Dominus Deus spinæam gestasset, constanter negauit. Itaque regia potestas sine regio nomine, insignique ei credita est. Vnde & Author historia, (Paulus Æmilius) de rebus gestis Francorum, siue Gallorum lib. 4. fine. pag. 123. & 124.

A vbi hanc ipsam narrat historiam, merito in hunc modum exclamata; Vbi hac nostra tempestate tanta modestia? tam incorruptum dominandi pectus, tam sancta, & vltro se in ordinem cogens ciuitas æquitasque meritis? Nulla. n. in sancta Ciuitate ambitio, nulla prehensatio, nulla fuit largitio, & cætera, quæ profequitur in laudem huius fortissimi viri, & imperatoris, seu ducis Gothofredi. Quod tamen ille non fecit sine exemplo Domini sui, simul & Domini nostri Iesu Christi, de quo quidem ita luculenter narrat Euangelista Ioannes cap. 6. dicens: Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit in montem ipse solus, & cætera. Super quibus verbis videndus erit, si est otium & si placet, D. Greg. Mag. 1. p. Pastoral. cap. 3. & cap. 5. & D. Epiph. hæres. 29. Et Orig. homi. 9. in Ezech. & item hom. 33. Videmus tamen & legimus in vera historia Alexandrum ipsum illum Aristotelis discipulum summo ingenio, summa modestia, posteaquam Rex appellatus sit, superbum, crudellem, immoderatumque fuisse, quemadmodum inquit & ingenue fatetur Cic. ad Articum lib. 13. epist. 24.



CAPVT QVARTVM.

*Quam pulchra es amica mea,
quam pulchra, &c.*



Videndus pro allegoria horum verborum D. Aug. in lib. de verbis Domini serm. 6. ^B ubi exponens per occasionem locum illum Psal. 44. Quoniam concupiuit rex decorem tuum, ita de pulchritudine Sponsæ ait: Concupiuit Rex quod fecit, quoniam vt pulchram faceret, factam amavit. Pro infideli & facta sanguinem fudit, fidelem & pulchram reddidit, dona sua in te amavit. Quid enim Sponso tuo contulisti? quid in dotem à priore parente, & à priore populo accepisti? nonne luxurias & pannos peccatorum? Abiecit pannos tuos, decidit cilicium tuum; miser- ^D tus est, vt ornaret; ornauit vt amaret. Hæc D. Aug. de pulchritudine Sponsæ, id est, Ec-

^A clesie vel etiam animæ perfectæ, quæcumque enim illa tandem sit, & quæuis pulchra nunc sit, tamen aliquando turpis & facta fuit. Pulchrum autem & perfectum idem est apud Platonem, & alios Philosphos plerosque. Sic enim illi pulchritudinem definiunt, vt sit apta partium inter se quodam cum lepore coniunctio. Eamque duplicem esse volunt vt alias notauimus, & sæpe repetendum est, vnam animi, quæ est ipsa honestas, virtus & sapientia; alteram corporis, quæ oculis ^C cernitur, & subiecta est. Arist. quoque duabus rebus istiusmodi pulchritudinem constare docet; magnitudine, quæ est iusta partium moles, atque mensura; & conuenientia, quæ est debita membrorum inter se compositio, atque proportio. Sed tamen ^D Plato etiam coloris quandam suauitatem requirit, vt omnibus suis numeris perfecta, & absoluta, atque consummata dicatur, & sit

& sit pulchritudo. Quamuis nihil sit inter mortales omni ex parte perfectum, sed in omni pulchro corpore & formoso, sæpe quidam sint næui, qui non ægre conspiciuntur, sed tolerantur.

Oculi tui columbarum.

^B Rectè atque perite Sponsus postquam Sponsam etiam atque etiam pulchram appellauit, statim subiunxit: Oculi tui columbarum. Ratio enim præcipua & flos ipse muliebris pulchritudinis, sunt oculi pulchri in facie pulchra. ^C .s. amabiles, verecundi, simplices, &c. quales planè sunt oculi columbarum seu columbini: ideo Sponsus etiam atque etiam in laudibus Sponsæ hanc laudem præsertim illi attribuit, quod scilicet habeat oculos columbinos, non solum quia oculi sunt in amore dulces, & amorem maxime concilient, sed etiam ad significandam eximiam Sponsæ simplicitatem, charitatem, innocentiam, fidem, & pudicitiam. ^D

Absque eo quod intrinsecus latet.

^D Vasi dicat Sponsus. Non recuso neque necesse ha-

^A beo, dicturus de laudibus corporis Sponsæ, singulas partes vel singula membra singillatim collaudare, arduum enim & difficile hoc est, ideoque satius erit aliqua silentio præterire, aliqua vero singillatim commemorare, præsertim ea quæ omnibus extrinsecus patent, manifesta, & confessa sunt, qualia sunt illa, quæ ad faciem, vultumque eius pertinent, corporis scilicet gratiam animique candorem. Ad hunc ferè sensum videtur Sponsus dicere hic etiam atque etiam in laudibus Sponsæ, Absque eo quod intrinsecus latet, vt ne quis fortè existimet nihil esse aliud in corpore vel animo Sponsæ, laude vel encomio dignum, præterea quæ Sponsus singillatim vel nominatim commemorat atque commendat. Multa plura enim restabant laudanda in corpore animoque Sponsæ, quæ intrinsecus penitusque latebant, quam sint ea quæ Sponsus commemorauit, & commendauit; nam etiam silendo, vel silentio multa laudamus, quæ voce reticemus. Summa enim admiratio, & contemplatio Deitatis plerumque facit, vt penè obmutescamus, & in laudibus eius deficiamus. Vnde Rex Prophetæ in Psal. 64. ita Deum alloquitur. Tibi silentium laus. Sicuti

est in Hebræo, & sicut vertit D. Hieron. iuxta Hebraicam veritatem, pro eo quod in vulgata editione latina habetur: Te decet hymnus. Chaldaeus quoque paraph. ita interpretatur, quasi dicat Propheta: Coram te, Domine, reputatur sicut silentium. laus. Et Isaias cap. 35. ait: Erit cultus iustitiae silentium. Cum enim Deus sit ineffabilis, non tam verbis, quam silentio exprimens, & laudandus à nobis est. Hinc etiam antiqui sapientes & Theologi, praesertim sacri Auctores, plerumque solent divina mysteria, & sapientiae dogmata sublimiora quibusdam anigmatum inuolucris data opera obtegere, videlicet ne prophana turba, ac nondum Philosophiae, & Theologiae sacris initiata, possit assequi. Vnde Heraclitus nonnullique praecelari philosophi obscuritatem magnopere affectarunt, atque etiam commendarunt, quia scilicet, ut inquit Boetius, arcanorum sit fida custos, & sapientia tantum cultores suo colloquio dignetur. Pythagoras quoque & post eum Plato, data opera, suam doctrinam, & placita obscuravit. Quinetiam Arist. multa mathematicis collationibus, seu exemplis reddidit obscuriora. Haec est natura rerum verè honestarum, sublimium, &

diuinarum, ut quod habent eximium, id in intimis recondant, quod autem deterius, & vulgarius, id prima specie statim praeseferant, atque obscurum seu vili quodam cortice dissimulent, neque prophanis oculis ostendant. At vulgarium & umbratarum longe diuersa ratio est: summa enim & prima specie clauditur, quodque pulchrum habent statim obuiis ostentant. Pro qua re legendus erit locus, qui est apud Plinium lib. 35. cap. 10. vbi differens de ratione picture congruenter atque eleganter exemplis ostendit praestantiam & perfectionem picturae, non in mediis sed in extremis lineis cerni. Verba autem eius haec sunt: Parrhasius Ephesi natus primus symmetriam picturae dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus est. Haec est in pictura summa subtilitas. Corpora enim pingere & media rerum, est quidem magni operis, sed in quo multi gloriam tulerint: extrema autem corporum facere, & desinentis picturae modum includere rarum in successu artis inuenitur. Ambire enim debet se extremitas ipsa, & sic desinere, ut promittat alia post se, ostendatque etiam quod oc-

cultat. Haec Plinius. Ad hunc sane modum Sponsus in praesentiarum cum ait in laudibus Sponsae: Absque eo quod intrinsecus latet, atque haec ipsa verba (quod maius est) etiam atque etiam repetit, instar probi & periti pictoris circa extremas lineas, facile ostendere videtur id quod occultat, scilicet eximias virtutes, & dotes & praerogatiuas tam corporis quam animi, quae prima statim fronte non extrinsecus, & palam apparebant omnibus, sed potius intrinsecus penitusque latebant & occulta erant vulgo. Sic enim solent excellentissimi pictores in describendis, vel circumducendis lineis extremis. Tanta enim usque adeo erat praestantia Sponsae, ut verbis exprimi congruis facile non posset; sed potius silentio, & reticentia, tacitaque quadam admiratione & veneratione celari oporteret. Praestat enim de rebus maximis silere, & nihil dicere, quam parum dicere: quemadmodum eleganter dixit Sallustius in descriptione Carthagini. Facit pro hac interpretatione quod ait Basiliius Mag. in lib. de Spiritu sancto cap. 27. nempe obscuritatem in sacris litteris praesertim, speciem quandam silentij esse. Sic ille & quidem acutè. Facit etiam

A Prouerbum illud vulgare Silentij Alcibiadis. Et item illud Horatij carm. 2. ode 13. sacro silentio. Et item lib. 3. ode 1. Fauete linguis. Praeterea Ode 20. Tacita virgine.

Consentanea sunt quae habet Philostratus de vita Apollonij lib. 1. cap. 1. vbi scribit de silentio Pythagorae. Quibus omnibus suffragatur magnus ille Dionys. Areop. lib. de caelesti Hier. cap. 1. fin. vbi ait, Arcana caelestia silentio veneranda putauimus, & cetera.

*Capilli tui sicut greges caprarum
quae ascenderunt de monte
Galaad.*

I Am deinceps pergit Sponsus in Sponsae suae laudibus, & ab oculis ad capillos transit: deinde etiam ad alios corporis partes singillatim celebrandas, & praedicandas procedit, praesertim verò eas quae ad faciem corporis externam pertinent. Non est enim formosa mulier, cuius aliqua pars certa laudatur, sed illa cuius vniuersa facies admirationem singulis partibus abstulit, ut eleganter inquit Seneca philosophus epist. 33. sed in primis statim post oculos, perite admodum Sponsus capillos, seu comam Sponsae suae laudat, cum

per comparationem sic ait: Capilli tui sicut caprarum, &c. Omnis namq; cura, opera, & gloria, (vt ita dicam) mulierum stat in capillis componendis, molliendis, colorandis, discriminandis, torquendis, & ostentandis: sic est enim ingenium muliebre. vnde est illud apud Comicum de mulieribus dictum. Dum molliuntur, dum comuntur annus est. Homerus quoque Poëta antiquissim⁹ Calypsoni nymphæ tale Epitheton congruenter attribuit, dum eā appellat Nympham *εὐπλοχεμον*, id est pulchris cincinis bene compram. Quod etiam patet ex vno loco qui est in lib. Iudith. ca. 10. vbi de ornatu Iudith ituræ ad Holofernem loquens diuinum Oraculum sic habet: Vocauit Abram suam, & descendens in domū suam abstulit à se cilicium, & exiit se vestimentis viduitatis suæ, & lauit corpus suum, & vixit se myrto optimo, & discriminauit crinem capitis sui, &c. quæ sequuntur. Vnde etiā Paulus Apost. 1. Cor. 11. increpando mulieres fideles, quæ minus honestè, minusq; decore sese in templo, Ecclesiæque gerebāt, comāque aperto capite palam ostentabāt, sic ait: vos ipsi iudicate: decet mulierē non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet vos quod vir quidā, si

comā nutriat, ignominia est illi; mulier verò si comam nutriat, gloria est illi, quoniā capilli pro velamine ei dati sunt. Idemque Paulus 1. Tim. 2. cōgruenter præcipit & cauet, dicens: Volo ergo viros orare in omni loco leuātes puras manus; similiter & mulieres in habitu ornato cū verecundia, & sobrietate ornātes se, non in tortis crinibus, &c. Quapropter Clemens Alex. Paedag. li. 3. pa. 286. ita cōgruenter, & decenter præcipit dicēs: Mulierib⁹ autem crines mollire sufficit, & tenui aliqua fibula comā alligare frugaliter, simplici cultura, pudicas comas in verā & germanā pulchritudinē alentibus. Meretricis enim pilorū plexus, & catenarū nexus, cū eas deformes reddūt, tum etiā pilos discerpūt artificiosis infertis vinculis auelētes. Quo fit, vt ne sua quidem tangant capita, ne capillos confundant pertimescentes. Quin etiam non sine metu eas inuadit somnus, dum timent texturæ figuram imprudentes spolient. Alienorum autem capillorum appositiones sunt omnino reiciendæ: & externas comas capiti adhibere est maximè impium, quæ mortuis pilis cranium induunt. Cui enim malum imponit presbyter? cui autem benedicet, non mu-

lieri quæ est ornata, sed alienis capillis, & per ipsos alio capiti, &c. quæ prosequitur in eandem sent. Ob hanc etiam causam (vt author est D. Hieronym. in Epist. ad Sabinianum, nū. 48.) moris fuit in Ægypti & Syriæ monasteriis vt tam virgo quam vidua quæ se Deo vouerint, osculo renunciantes, omnes delicias sæculi conculcarent, crinem monasteriorū matribus offerret defecādum, &c. Cæterum pro allegoria horum verborum; Capilli tui, &c. operæpretium fuerit legere quæ scribit D. August. Com. in Psalm. 51. super illis verbis: Sicut nouacula acuta fecisti dolum. vbi ita scribit: quid faciunt sanctis mali. Capillos radunt. Nam isti capilli superflua rerum temporalium significāt. Quia enim sine sensu præciduntur, illi, qui Deo adherent sic habent ista terrena quasi capillos. Quod autem de ipsis capillis bene aliquid fieri possit, significauit mulier illa peccatrix Luc. cap. 7. quæ cum fluisset super pedes Domini, capillis suis tersit quos lachrymis rigauerat, &c.

Sicut greges, &c.

Comparatio hæc rustica & pastoritia est, sed tamen

valde consentanea carmini bucolico. Nihilominus similis propemodum comparatio reperitur apud Poëtam prophannum lib. 1. Epigr. 38. vbi etiam flauos capillos Herotij puellæ ob singularem colorem laudans ita inquit:

Quæ crine vincit Baticæ gregis vellus, &c.

Dentes tui sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de Lanacro.

Ad pleniorē intelligentiam horum Sponsæ verborum cum bonitatem & præstantiam dentium singularium Sponsæ suæ laudat, non abs re ent legere quæ scribit Arist. 1. 3. de partibus animalium ca. 1. Et itē Apuleius in Apolog. 1. pag. 216. & deinceps, vbi differit de oris & dentium munditia, nitore, atque candore. De quare etiam Catullus Epigr. in Egnatium; Cuius initium est: Egnatius quod candidos habet dentes, Renider, &c. pag. 44. Et item Epigram. de Æmilio. Cuius initium est: Non ita me Dij amēt. &c. pag. 44. (Sicut greges tonsarum, id est tōsillarum ouium. Sic enim Latinè appellantur oues attonsæ. De lanacro. In Eroticis, hoc est, in amoribus vel amatoriis alienant (supp. amantis animum) immunda;

insulse, nudæ, indecoræ. Sic me illius fugæ negligentiaque deformitas auertit ab amore: vt inquit etiam per comparationem Cicer. ad Atticum lib. 9. Epist. 12. Itaque Sponsus congruenter hîc adiunxit: Quæ ascendunt de lauacro. Quandoquidem in amoribus, vel amatoris lauacrum Symbolum est munditiæ, siue hæc munditia ad corpus, siue ad animum Sponsæ referatur.

Eloquium tuum dulce.

Videndus Ambros. lib. 1. officiorum cap. 22. & cap. 23. de sermonis gratia, decore, & lepore.

Sicut fragmen mali Punici, ita gene tue.

Similis propemodum extat comparatio apud D. Hieronymum. in epistola ad Marcellam, vbi gratias agens de acceptis ab ea munusculis, ita per comparationem & allusionem eleganter ait: verum (inquit) ne videar dona minuisse accepimus, & canistrum cerasis refectum talibus, & eam virginali verecundia rubentibus vt ea nunc à Lucullo delata existimarem, &c. quæ profertur. Quibus verbis insinuat D. Hieron. quodammodo sen-

sum & mentem horum Sponsæ verborum, quibus scilicet Sponsus Sponsæ suæ genas cum mali punici fragmine comparat, ob singularem scilicet verecundiam quæ in genis Sponsæ lucebat, seu apparebat instar mali punici. In genis enim sedes est propria verecundiæ, seu pudoris, & ruboris, vnde & D. Greg. Nazianz. Orat. aduersus mulieres sese nimium exornantes pag. 893. congruenter & eleganter sic ait: Vnicus color amabilis est in mulieribus, nimirum rubor ille, quem pudor, seu verecundia gignit, &c. Consentaneus locus est apud D. Ambros. lib. 1. offic. pag. 19. vbi differit de verecundia. Pro qua refacit dictum illud Comici: Erubuit, salua res est. Et Cic. in partitionibus: Custodem omnium virtutum esse verecundiam affirmat; præsertim verò in virginibus, & adolescentibus, in quibus præcipue affectionem hanc probam, bonæque spei indolem demonstrantem. Docet etiam Arist. lib. 4. Et hic cap. 9. vbi verecundiam ita definit, vt sit timor quidam dedecoris, Sic enim ait: Itaque definitur verecundia timore, timorque dicitur dedecoris quidam, & fit perinde atque circa res formidolosas. Timor fieri solet: nam qui


verecundantur erubescunt; qui timent mortem, pallefcunt. Non autem ad quamuis ætatem is affectus, sed ad iuuenilem accommodatur. Censemus enim eos qui huius ætatis sunt, verecundos esse oportere, vt cum non sine perturbatione viuant, multumque ob hoc peccent, à verecundia prohibeantur delinquere, &c. quæ sequuntur apud Arist. Contentanea sunt quæ de verecundia scribit Plato Dialogo 5. de legib. & alias sapè. Et item Plutarchus in lib. de vitiosa verecundia. Et item in vita Catonis pag. 127. vbi inter alia dicta Catonis, refert eum dicere solitum, se plus adolescentibus delectari quorum vultus rubore prius quam pallore perfunderetur. vt omittam alia plurima quæ reperiuntur dicta apud Philosophos, & Theologos de laudibus huius virtutis. Nihilominus si quis plura super his verbis Sponsi desiderat, legendus etiam erit Cartharius lib. De imaginibus Deorum titulo Mercurius pag. 215. vbi inter alia scribit quod mala punica apud antiquos concordiam significabât; quemadmodum etiã Hebræorum scriptores tradunt. Ideoq; in veste sacerdotali, seu pontificali depicta esse feruntur.

Sicut turris David collum tuum.

Describens magnificentum & modestum habitum (nescio cuius virginis aut matronæ primariæ) Varro, vt refert Nonius, propemodum similiter ait: Collum procærum, fictum leui marmore, &c.

Omnis armatura fortium.

Ad perpetuam scilicet rei memoriam atque exemplum paternæ seu auitæ fortitudinis & gloriæ. Nam maiorum gloria posteris quasi lumen est quoddam, neque bona eorum, neque mala in occulto patitur, vt inquit Marius apud Sallustium lib. de bello iugurt. Quæ ob rem etiam in lib. Sapient. ca. 18. scriptum est quod in veste Sacerdotali etiam parentum magnalia insculpta erant. Sic enim natura comparatum est, vt exempla paterna, & domestica plus moueant, non solum ad virtutem bellicam & ciuilem, sed etiam ad pietatem, & veram religionem. Vnde D. Hieron. in epist. ad Demetriadem de seruanda virginitate, num. 8. rectè ait: Rhetorum disciplina est, ab auis, & atavis & omni retrò nobilitate ornare, quem laudes, vt



ramorum sterilitatē radix fœ-
cunda compenſet, & quod in
fructu non teneas, mireris in
trunco. Sic ille.

*Duo hubera tua ſicut duo hinnuli
capreæ gemelli, qui paſcuntur, &c.*

PRO allegoria horum verbo-
rum legendus Auguſt. lib. B
8. Confefſ. cap. 6. ubi ſcribens
de vita & moribus magni illius
Antonij Ægyptij monachi, at-
que monachorum aliorum, gre-
ges & mores ſuauiſſimos laudās,
præſertim eorum qui in locis
ſolis, & deſertis Ægypti ſuo tē-
pore degebant, vel potius de
more ferarum in ſpeluncis ibi C
latebant, eleganter per transla-
tionem hos hubera deſerti ap-
pellat. Idemque Auguſt. tract.
3. in epiſt. Ioan. ſic ait: Eſt au-
tem mater Eccleſia, & hubera
eius duo teſtamenta ſcriptura-
rum diuinarum hinc ſugatur
lac, omnium ſacramentorum
temporaliter pro æterna ſalute D
noſtra geſtorum, vt nutritus at-
que roboratus perueniat ad mā-
ducandum cibum quod eſt: In
principio erat verbum, & ver-
bum erat apud Deum & Deus
erat verbū. Lac enim noſtrum
Chriſtus humilis eſt, cibus no-
ſter eſt idē ipſe Chriſtus æqua-
lis Patri, lacte te nutrit, vt pane

*Tota pulchra es amica mea, & ma-
cula non eſt in te.*

BEne veteres honum ipſum
id eſſe dixerunt quod om-
nia appetunt, vt inquit Ariſt. lib.
1. Ethicorum cap. 1. ſic autem
natura ſimul & ratione compa-
ratum eſt, vt quæcumque ſunt
bona, honeſta, & pulchra, non
modo mirabilia, ſed etiam ex-
pectanda, & amabilia ſint, & de-
ſiderabilia. Vnde & D. Cyrillus
de adorat. in ſpir. & verit. lib. 9.
pag. 216. congruenter ſic ait:
Quod verò ſemper Cherubim
ſemper propitiatorū aſpiciunt,
illud ſupernarum virtutum in-
tentum & inexplicabile Dei vi-
dendi deſiderium indicare vi-
detur, &c. quæ ſequuntur. Quo
ſenſu etiam forte dixit Petrus
Apoſt. In quem, vel in quæ, de-
ſiderant Angeli proſpicere.
Quod ſi quodlibet bonum, &
pulchrum etiam in rebus crea-
tis atque corporeis ſuapte na-
tura mirificum, expectandum &
amabile eſt, quanto verò magis
ipſum bonum & pulchrū bea-
tificum, quod ſummum eſt.
Quod quidem eſt totum pul-
chrum, & fons totius pulchri-
tudinis, non tamē ſufficit, neque
ſatis eſt ad faciendum officium,
ſiqui-

ſiquidem ea quæ ſunt pulchra,
& bona, ſiue honeſta tantum-
modo approbemus, vel etiam
admiremur, ac prædicemus, ni-
ſi etiam ea, quoad fieri poteſt,
imitemur, præſertim verò eos
imitari oportet qui perfectæ &
conſummata virtute præditi eſ-
ſe videntur, qualis planè in præ-
ſentiarum hîc inducitur & fer-
tur fuiſſe Sponſa à ſuo Sponſo. B
Ideoque tanquam exemplar
quoddā totius virtutis hîc enig-
maticè proponitur, ad imitan-
dum ſi volumus benè & beatè
viuere. Oportet enim omnibus
in rebus præſtabiliorem imitari,
vt inquit Ariſt. Ethic. lib. 9. cap.
11. Sunt enim quidam, qui non C
ea quæ maximè oportet, & de-
cet, ſed potius puerilia quædam
leuia & friuola ac deteriora, po-
tius quam ea quæ potiora, &
præſtantiora ſunt, imitantur &
conſectantur. Quemadmodum
conqueritur etiam Cic. lib. 2. de
Oratore, vbi ait: Multos imita-
tores ſapè cognoui, qui aut ea D
quæ puerilia ſunt, aut etiam illa
quæ in ſignia ac penè vitioſa cō-
ſectantur, imitando, &c. quæ
proſequitur in eandem ſenten-
tiam, de recta & falſa virtutis
imitatione. Conſentaneaq; his
ſunt quæ ſcribit idem Cic. lib. 1.
De nat. Deorum, vbi inter cetera
ſic ait: Etiam vitia ſapè iucū-

da ſunt, Næuus enim in articu-
lo pueri delectat Alcæum. At eſt
corporis macula. Næuus illi ta-
men hoc lumen videbatur, &c.
quæ ſequuntur apud Cic. Quo
ſenſu etiam Auſonius Poëta
Chriſtianus Epigr. 234 de Cupi-
dine cruci affixo ſic ait: Næuos
noſtros, & cicatrices amamus,
nec ſolo noſtro vitio peccati
contenti, affectamus, vt amen-
tur, &c. Sic ille. Quapropter di-
ligenter ſtudendum, dandaque
eſt opera, vt ne vnquam pueri-
lia, & friuola, ſeu vulgaria, & vi-
tioſa amemus, aut conſectemur,
aut etiam laudātes admiremur,
magnique æſtimemus, ſed po-
tius quæcumque ſunt pulchra,
& omnino pulchra, hæc tantū-
modo amemus, admiremur, at-
que laudātes toto pectore æmu-
lari, atque imitari, & conſectari
ſtudeamus, exemplo iſto Sponſi
dicentis; Tota pulchra es amica
mea, &c. iuxta illud Pauli Apoſt.
1. Cor. 12. Æmulamini autē cha-
riſmata meliora, &c. & Philip. c.
4. vbi ſic ait: De cætero fratres,
quæcumq; ſunt vera, quæcun-
que amabilia, quæcunque bonæ
famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus
diciplinæ, hæc cogitate. Quæ &
didiciſtis, & accepisti, & audi-
ſtis, & vidisti in me, hæc agite,
& Deus pacis erit vobis cū. De-
nique idem Apoſt. alibi non ve-

retur etiam seipsum proponere A instar exempli, seu exemplaris ad imitandum, non tamen simpliciter & sine villo additamento, sed potius cum isto additamento, quemadmodum scilicet ipse imitabatur Christum, quippe qui solus ex hominibus totius vera, solidæque virtutis perfectissimū est exemplar. Ita enim inquit 1. Cor. 11. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Modestissimè autem sic loquitur Paulus dum non simpliciter audet seipsum existimare idoneum, dignūque esse, quem ceteri imitentur, nisi cum istiusmodi clausula, seu exceptione, quatenus scilicet ipse Christum Dominum imitebatur. Oportet enim in omnibus rebus (vt inquit etiam Arist. lib. 7. Ethic. ca. 11.) præstabiliorē imitari. Sic ille. Neque solum præstabiliorem oportet nos imitari, hoc enim caput est & ante cetera omnia respiciendum, sed quod præstabilius, seu præstantius in rebus est, præsertim verò & maximè in ijs quæ ad pietatem & cultum Dei pertinent. Cuiusmodi v.g. sunt quæ vocant Theologi opera seu officia supererogationis; in quibus est, vt exemplo rem melius intelligamus, perfecta continentia, seu votum virginittatis, & alia huiusmodi officia,

quæ notant perfectā virtutem, & perfectam mentem docēt atque ostendunt. De quibus legēdus erit D. Aug. lib. de sancta virg. c. 45. & 46. Et item D. Th. 1. 2. qu. 111. art. 1. vbi differit de operibus supererogationis. Cæterum valdè consentaneum est secundum allegoriā illud Pauli Apost. Ephes. c. 5. vbi hoc ipsum Epitheton & encomium quod Author Cantici Sponsæ attribuit, etiam Ecclesiæ nouæ, quæ procul bubio Spōsæ Christi nominatur & est, tribuere non veretur dicēs: Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculā, aut rugam, aut huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Hæc Paulus. Quibus quidem verbis videtur Paulus planè alludere ad hæc Sponsæ verba, cum laudando Sponsam ait: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Ne quis tamen fortè perperam Apostoli verba hæc intelligat, consulendus erit D. Aug. lib. 2. retract. ca. 18. vbi emendans & corrigens quod aliis in locis minus consideratè scripserat, sic ait: Vbicunque autem in meis libris cōmemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic

accipiendum est, quasi iam sit, A sed quæ præparatur vt sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum, habet vnde quotidie tota dicat: Dimitte nobis debita nostra. Hacten. D. Aug. Consentanea sunt quæ habet idem D. Aug. in Euāg. Ioan. B tract. 56. super illis verbis Christi. Qui lotus est non indiget nisi vt lauet pedes, sed est mundus totus. Iraque secundū sententiam, atq; doctrinā D. Aug. (cuius autoritas grauissima est) Ecclesia Christi in præsentī seculo nondum reuera & propriè talis est, vt careat omni prorsus macula, & ruga, quamuis interdum, & quodammodo talis esse videatur, & prædicetur, qualis aliquādo in altero sæculo seu in celo futura est; interim tamen in spe talis esse videtur atque etiam nominatur, & est, iuxta illud Pauli in epist. ad Rom. Spe salui facti sumus q. d. nōdum re D sed tamen spe iam salui facti sumus. Vnde etiam non malè quidam allegorici authores hunc locum Cantici exponunt non quidem de absoluta pulchritudine, siue iustitia, & perfectione consummata, cui nihil amplius addendū est, & in qua nihil amplius restat desiderandum, sed

potius de pulchritudine quadā respectiua, & comparatiua, quatenus scilicet Ecclesia Christi confertur cum cæteris quibuscumq; aliis orbis terrarum congregationib. nationib. sue, gentibus, & cæteribus. Ita .n. Ecclesia Dei Catholica, quæ est cæterus fidelium tota pulchra atq; etiam pulcherrima nominatur & est, non quod omnino iam labe seu vitio careat in hac vita mortali, sed comparatione reliquorum hominum, Ethnicorū, Paganorum, infidelium, & hæreticorū, quorum propemodū infinitus est numerus: quemadmodum v.g. inter turpes & deformes vel etiam minus pulchras, pulchrā putare & appellare vulgo solemus, nō quod absoluta pulchritudine illa prædita sit, sed quod cæteris omnibus collata pulchrior existat. Quo etiam sensu supra c. 2. ipse Sponsus Sponsam suam, Eccles. s. vel animam perfectam, & sanctam per comparationem appellasse pulchram videtur, cum dixit: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Expulso .n. (vt quidā ait) primo homine de paradiso, dictum est ei, Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos germinabit tibi. Ideoque cum comparationem ait Spōsus, Sic amica mea inter filias, nō ineptè

per filias hærefes intelligemus, A
quæ per baptismum quasi malæ
soboles renatæ filiarum nomine
anigmaticè nuncupantur, atq;
spinis, & sentibus comparantur,
propter studium corrupendi
animas innocentes. Pro qua in-
telligentia seu allegoria legendus
erit D. Greg. lib. 1. Moral. c. 1. &
item D. Aug. tra. 56. in Ioan. c. 13. B
sup. illis verbis supra citatis, vbi
ita inquit: Homo in sancto ba-
ptismate totus abluitur, nõ præ-
ter pedes, sed totus omninò. Ve-
runtamen cum in rebus huma-
nis viuatur utiq; terra calcatur.
Proinde Ecclesia, quam mūdatur
Christus lauacro aquæ, non so-
lum in illis est sine maculæ ruga, C
qui post lauacrum regeneratio-
nis ex huius vitæ cōtagione tol-
luntur, verū in his quibus Do-
minus hanc misericordiam præ-
bens, fecit illos de sæculo isto
lotis pedibus migrare, &c. quæ
sequuntur apud D. August. vn-
de etiam D. Hieronym. Com-
ment. in Ezech. cap. 27. non D
veretur illud pronunciare: Ve-
ra (inquens) & perfecta pul-
chritudo in nullo est hominū,
nisi in Christi corpore, quod
interpretatur Ecclesia, & mul-
torum. Sanctorum virtutibus
congregatur. Vnde, & ipse lo-
quitur ad Sponsam: Tota pul-
chra es amica mea, & macula

non est in te. Hacten. D. Hie-
ronym. Si quis autem plura su-
per hac re desiderat, videndus
erit. Feu. Ardentius commen-
tar. in epistolam Iacobi. cap. 3.
In multis offendimus omnes,
& cætera. Et Paulus Burg. Epif-
copus scrut. pag. 1. d. 10. ca. 4. &
item 2. p. d. 2. cap. 3. Nihil tamen
prohibet, sed potius conuenit,
quominus hæc Sponsi verba, si-
ue encomium, cum ait: Tota
pulchra es amica mea, & cætera:
per antonomasiam magis, mi-
nusue accomodare possimus
ad certas quasdam perfectas,
egregias, & illustres, atque vir-
tute præstantes animas. Qualis
præfertim & maximè fuit, ho-
dieque est anima illa Beatiss.
Deipara, quippeque quasi ex-
ceptio quædam est totius ge-
neris humani, atque principem
locum tenet etiam inter Ange-
los. Pro qua intelligentia siue
sententia, legendus erit D. Aug.
in lib. de nat. & grat. cap. 36. vbi
inter cætera sic ait: Excepta ita-
que sancta virgine Maria, de qua
propter honorem Domini, nul-
lam prorsus, cum de peccatis
agitur, habere volo quæstionē.
Inde enim scimus, quod ei plus
gratiæ collatum fuerit ad vin-
cendum omni ex parte pecca-
tum; quæ concipere & parere
meruit eum, quem constat nul-

lum habuisse peccatum. Hac A
ergo virgine excepta, si omnes
illos sanctos & sanctas, cum
hîc viuerent, congregare posse-
mus, & interrogare, utrū essent
sine peccato, vna voce clama-
sent, quod Ioan. Apost. Si dixe-
rimus, quia peccatum non ha-
bemus, nos ipsi seduximus, & ve-
ritas in nobis non est, &c. Con- B
sentit planè, & suffragatur huic
sententiæ & verbis D. Aug. De-
cretum Conc. Trid. sess. 6. can.
23. Tanta vsque adeo est præstā-
tia illius animæ Mariæ, quamuis
idem D. Aug. serm. 3. In decolla-
tione Ioan. Bapt. quodammodo
videatur sentire, & insinuare,
etiam ipsum Ioannem Baptistā C
vixisse absq; vilo peccato actua-
li etiam veniali, & leui. vt refert
Aurhor Milleloquij verbo Ioan.
Bapt. Neque enim grauius erra-
re putauit Aug. Si quis dixerit
posse hominem in hac vita per
Dei gratiam absque peccato vi-
uere; vt videre est apud ipsum
Aug. loco superius præfato, de D
nat. & grat. Et epist. 95. in fine
& alias. Etenim Greg. Naz. in
monodia Basilium magnum eò
perfectionis peruenisse affirmat,
vt longius progredi negatum
esset humanæ naturæ.

Cæteram (vt ne quis fortè
scrupulus remaneat in his ver-
bis Sponsi, cum in laudem Spō-

sa suæ, quasi ex hypothesi lo-
quens, ait: Tota pulchra es a mi-
ca mea, &c.) quæri hoc loco po-
test vtrum Sponsa, quæcumque
tandem illa fuerit, si modo ali-
qua mulier in rerum natura cer-
ta fuit, secundum historiam, tam
pulchra corporaliter fuerit, vt
tota. i. ex omni parte pulchra
fuerit, omnique macula seu vi-
tio corporali naturaliter carue-
rit. Videtur namque cum ipsa
natura, & ratione, atque etiam
quotidiana rerum experientia
pugnare (excipio semper corpus
seu carnem Christi & Mariæ vir-
ginis genitricis) si dicamus ali-
quando vel alicubi post lapsum
Adæ, & in statu hoc naturæ cor-
ruptæ, extare vel extitisse reue-
ra corpus aliquod humanum
siue foemineum, & muliebre, si-
ue virile vsque adeo pulchrum,
vt omni prorsus macula, vitioq;
caruerit, præfertim vero ante
generalem beatam, & gloriosam
illam communem corporū hu-
manorum resurrectionem, quā-
do sicut speramus, & firmiter
credimus, corpus hoc nostrum
mortale, patibile, & corruptibi-
le commutatum efficietur quo-
dammodo spiritale beneficio
beatæ gloriæ. Quemadmodum
Paul. Apost. apertè etiam mani-
festis rationibus atque exemplis
ostendit 1. Cor. 15. Vbi inter cæ-

tera sic ait: Sed dicit aliquis^A quomodo resurgunt mortui? quali autem corpore venient? inspiens tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quid seminas? non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut puta, tritici vel alicuius ceterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult. Seminatur in corruptione surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Oportet enim corruptibile hoc induere in corruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Et cetera quae profertur Pauli, in eandem sententiam disputans de generali corporum humanorum resurrectione quae futura est in extremo iudicii die. Ex quibus Pauli verbis satis constat quam sit in hac vita mortali corpus humanum imperfectum, corruptibile, atque obnoxium variis calamitatibus, miseris, & morbis, atque etiam malis, ob poenam scilicet parentum primorum peccati, usque adeo tantum abest à veritatis scopo, ut in hac vita mortali omni macula, & vitio careat, aut verè dici possit totum omnino perfectum, & pulchrum. Opor-

tet enim, si modo pulchrum est totum, partes quoque eius esse pulchras, seu formosas: non enim ex turpibus pulchrum constare potest, nisi etiam ipsae partes pulchritudinis sint participes; quemadmodum eleganter inquit & docet Plotinus inter Platonicos nobilissimos Enn. 1. lib. 6. cap. 1. Quinetiam Boët. lib. 3. de consol. Prosa. 8. loquens de humani corporis specie seu pulchritudine ita censet: Quod si (ut Arist. ait) lynceis oculis homines vterentur, ut eorum visus obstantia penetraret, nonne introspectis visceribus, illud Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus turpissimum videretur? Igitur te pulchrum videri, non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas. Sed aestimate quam vultis nimio, corporis bona, dum sciatis, hoc quodcumque miramini, triduanæ febris igniculo posse dissolui, &c. Haët. Boët. de humani corporis pulchritudine. Consentanea & propè eadem sunt, si quis plura super hac re desiderat, quae scribit Arnobius libr. 4. contra gēt. & falsos gentium Deos pag. 140. ubi in hunc modum argumentatur: In humanis vero corporibus quidnam quaesitum erat pulchritudinis? quid decoris, quod irritare, quod flectere

oculos possit inde lous? cutes, viscera, pituita, atque omnis illa proluvis intestinorum sub involucris constituta, quam non modo Lynceus ille penetrabili acie possit horrescere, verum etiam qui vis alter sola vel cogitatione vitare. O egregia merces culpa! o digna & pretiosa dulcedo, propter quam Iupiter maximus Cygnus fieri, & taurus, & candidorum procreator ouorum. Et cetera, quae sequuntur. Similia sunt quae scribit D. Chrysost. Orat. de muliere, & pulchritudine tom. 5. ut omittam alios. Quapropter probabile, & credibile est, Sponsam his verbis: Tota pulchra es amica mea, &c. aut non intelligere praecipuè de pulchritudine humani corporis Sponsam illa externa aut certe alludere anigmaticè ad pulchritudinem illam corporis humani, quae futura est in caelo, post generalem corporum nostrorum resurrectionem, vel etià (neque enim hoc improbabile, sed potius probabile) anigmaticè alludere velle hisce verbis ad pulchritudinem illam humani corporis quae re vera fuit olim in nostris primis parentibus ante peccatum in paradiso, stante adhuc naturae integritate, innocentia, & gratia, in qua recens fuerant à Deo creati. Neque

enim dubitandum est primos generis humani parentes fuisse pulchros, imo etiam totos pulchros, & sine vlla macula aut vitio creatos, atque vtramque corpore simul & animo, in tus & extra pulchritudinem ad tempus, quam diuinitus acceperant, illibatam conservare. Quemadmodum eleganter & accurate ostendit Philo. Iudaeus lib. de mundi opificio titulo 1. pag. 27. ubi ita scribit: Ille autem primus homo terrigena princeps totius nostri generis, vtraque parte praestantissimus & animo & corpore factus mihi videtur, longèque hic ipse enim erat reuera pulcher, atque bonus; coniectura autem formositatem eius corporis, vel ex tribus causis licet capere. Et cetera quae profertur eleganter & conuenienter in hanc sententiam.

Nihilominus tamen possumus etiam huic scrupulo, seu propositae quaestioni etiam aliter probabiliter satisfacere, si dicamus in his verbis Sponsam ad Sponsam, Tota pulchra es, &c. inesse hyperbolen, seu amplificationem quaedam amatoriam, & artificiosam. Solent enim amantes, praesertim vehementer amantes, eorum quos amant, non solum virtutes admirari atque laudari, sed etiam vitia quaedam,

& maculas interdum dissimulare & excusare, vt ne dicam imitari, imo etiam amare, & commendare; quemadmodum vno in loco animaduertit atque etiā exemplis manifestis ostendit Plato, vbi sic ait: Quando aliquē amare dicimus, si verē id dicitur, non partim illud amare, partim vero minimē, sed erga totum affici, &c. Consentaneus locus est apud Greg. Nazianz. Orat. in lib. Basilij pag. 195. vbi docet quemadmodum ij, qui vehementer amant, interdum etiam vitia eorum, quos amant, laudant & imitantur.

Quo sensu etiam verē atque eleganter dixit Theocritus, cum agit de amantium iudiciis, atque affectibus: Amanti plerumque pulchra videri, quę pulchra non sunt. Quoniam scilicet, omnis amans iudicium fert iuxta amoris affectum, nimiumque indulget istiusmodi affectui. Nam prout quisque affectus est, ita res ei aliter atque aliter videri solet. Arguatis enim (vt ait Varro) & verernosis omnia lutea videntur; febrescentibus autem amara, quę dulcia: aliter omnibus de rebus ebrij, aliter sobrij iudicant. Idemque putandum est euenire his omnibus quorū animus aut amore, aut odio, aut ira, aut inuidia, aut denique aliqua

huiusmodi passione seu affectione occupatus est: quemadmodum ipsa rerū experientia quotidiana ostendit. Vide Adag. Est cuique suum pulchrum. vnde & Arist. lib. 3. Ethicorum cap. 5. recte dixit vniuersos quidem homines id affectare semper, quod bonum apparet, ipsius tamen apparentiæ dominos suos non esse. Sed qualis tandē vnusquisque est, talem & finem ipsi videri. Sic ille. Quod quidem presertim verum est, locumque habet in amoribus, & rebus amatoriis. Sic enim omnino est ingenium amantium.

Itaque Sponsus diuinus amator hominum, presertim vero animarum sanctarum de more scilicet amantium vulgariū hisce verbis, Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, amplificando vim amoris sui erga Sponsam, Ecclesiam scilicet, animamque perfectam; quodammodo videtur dissimulare vitia eius, virtutesque tantummodo eius admiratur, laudat, atque commendat, ad exemplum, & imitationem, & consolationem nostram; quasi Sponsa quædam sit idea & exemplar nobis ad imitandū, atque æmulandū charissimara meliora. Ideoque nulla habita ratione priorum Sponsæ meritum, seu vitiorum

tiorum, sed tantummodo presentium eius virtutum meminit; vsque adeo tam grata sunt ei presentia officia, & obsequia Sponsæ, presentisque iustitia, vt videatur quodammodo non solum vitæ eius prioris, vel deterioris non recordari, & quodammodo obliuisci, præ nimio scilicet amoris affectu qualis antea fuerit Sponsa Pro qua sententia seu interpretatione facit locus ille Sapientiæ cap. 11. vbi ita scriptum est. Et misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter penitentiam. Diligis enim omnia quę sunt, & nihil odisti eorum quę fecisti. Pars autem omnibus quoniam tua sunt Domine, qui amas animas. Hacten. ibi. Quinetiam Ezech. cap. 18. ita congruenter ait Oraculum: Si autem impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, quę operatus est, & custodierit omnia præcepta mea; omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor, &c. Cuius quidem rei luculentissimum, & locupletissimum testimonium simul & exemplum habemus in sacra historia, nempe 3. Reg. 14. vbi de Dauid rege post penitentiam, vel potius propter penitentiam de peccatis grauissimis, quę antea commiserat, per-

actam; quasi hæc dissimulans Oraculum sic ait: Seruus meus David qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo. Tale scilicet testimonium perhibet Deus Opt. Max. Dauidi Regi propter penitentiam, nulla facta mentione grauissimorum, saltem duorum peccatorum quę ante commiserat, qualia planè sunt adulterium simul & homicidium. Quibus duobus peccati generibus nihil esse potest grauius, nihil atrocius. Quid igitur mirum, si pro sua infinita bonitate, charitate, indulgentiaque erga Sponsam sibi charissimam pariter, & sui amantissimam, non meminerit, aut respectum habuerit quorundam corporis vitiorum quę parum, vel nihil ad rem pertinent, sed potius hæc leuiora vitia dissimulauerit, virtutesque Sponsæ vel solas, vel certè præcipue respexerit, & considerauerit. quibus illa mirificè in presenti prædita, & ornata erat, & ob quas illi videbatur sicuti erat, tota pulchra, atque pulcherrima, sic quasi vero omni prorsus macula, & vitio careret. Satis dictum de his verbis.

Veni de Libano, &c.

DE Libano scribit Plinius lib. 5. nat. hist. in hunc modum: A tergo Tyrimons Libanus orsus centum quinquaginta stadiis Zymaram usque porrigitur, quæ Coelesiria cognominatur. Huic post interiacentem valle mons aduersus Antilibanus ostenditur, quodam muro coniunctus. De quo lege Strabonem lib. 16. Hactenus de Libano, & Antilibano iuxta historiam.

Videndus pro allegoria horum verborum Sponsi Tertull. lib. 4. aduersus Marcionem cap. 11. pag. 844. Vbi de Ecclesiana uia, & gentium ad fidem Christi uocatione interpretatur hunc locum dicens: Christus sibi Ecclesiam Sponsam etiam per Salomonem ex uocatione gentium arcessit. Siquidem legisti ueni Sponsa de Libano. Eleganter Libani utique montis mentione iniecta, qui thuris uocabulo est pene Grecus. De idololatria. n. sibi sponsabat Ecclesiam. Negate nunc dementissime Marcion, Ecce legem tui quoque impugnas. Sic ille.

De capite Amanæ.

Videndus Theodoretus de Sanctorum Patrum histo-

Aria, cap. 6. in uita Symeonis Prisci pag. 322. ubi per occasionem meminit Amanei montis. Et Cic. quoque ad Atticum lib. 1. epist. 18. sic ait: In Amano tuto confedimus copioso frumento, Ciliciam prope conspiciente, &c. Et rursus epist. 21. frequenter meminit Amanii montis, sic enim ibi ait: Tharsum ueni ad. Non. Octobr. Inde ad Amanum contendi, qui Syriam à Cilicia diuidit aquarum diuortio, qui mons erat hostium plenus sempiternorum, &c. & infra. Direpto & vastato Amano inde discessimus, &c. Meminit etiam huius montis Plutarchus in Demetrio, & item Cæsar lib. 3. bellor. ciuil. Est mons notissimus, & Tauri montis pars adiacens Ciliciæ, ut Author est etiam Stephanus.

De montibus pardorum.

Herodotus in Euterpe pag. 73. legèduserit, ubi sic ait, A monte Casio qui Ægyptum Syriamque determinat. Et item pagina 78. Vnde quoque modo conuicere possumus qui sint montes isti pardorum, de quibus in præsentiarum loquitur Author Cantici.

Vulnerasti cor meum, soror mea
Sponsa, vulnerasti, &c.

Similis locus est, similemque sensum habet ille, qui est inferius cap. 6. ubi Sponsus ad Sponsam in hunc modum ait: Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt, &c. Quibus quidem uerbis etiam iuxta historiam de more amatorio oculos simul & capillos Sponsæ suæ laudat atque commendat, sed præsertim oculos. Sunt enim oculi in amore duces, ut eleganter canit quidam ex Poëtis prophanis, ubi in amatis persona ita inquit:

*Si nescis, oculi sunt in amore
duces,*

*Absulerant oculi lumina nostra
tui.*

Quo sensu dixit etiam Basil. mag. lib. de uera uirginit. non longe à principio. pag. 527. Dux enim ac prauus & pronubus, ut ita dicam, oculorum tactus est, &c.

Pro qua re videndus Cornel. Tacit. li. 13. num. 128. ubi de Poppæa scribens ait, eam uelata parte oris incedere solitam, ut ne fatiaret aspectum; ad amulationem fortè mulierum Arabiæ, seu Arabicarum, de quibus (ut alias notauimus) Tertul. in li. de

A virginibus uelatis, ita inquit: Arabiæ foemina non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato, contentæ sint, dimidiam frui lucem, quam totam faciem prostituere. Quæuis causa in hoc tam nobili scorto, nempe in Poppæa, & Arabiæ foemina fuerit dispar, ut rectè ait Lipsius Cornel. Tacit. interpres. Videndus quoque erit D. Aug. lib. 2. de adulterinis coniugiis cap. 20. ubi similiter & congruenter laudat Syrarum mulierum pudicitiam. Vide etiam Adag. Morsus aspidis. Et Isidorum Pelus. lib. 2. epist. 289. ubi inter cætera ita scribit ad mores:

CAt uero (inquit) si mulier grauius & pudicè atque honestè incedat, eam autem conspiciat quispiam vulneretur, hoc non mulieri conspectæ, sed ei qui vulneratus est assignari debet. Eodemque modo si uir grauius, & concinnis gradibus incedat, at mulier quædam eo conspectu sauciatur, id non uiri, sed eius, quæ sauciata est, culpa contingit. Et cætera quæ prosequitur in eadem sententiam. Consentanea sunt, uel etiam meliora quæ scribit super hac re idem Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 12. & epist. 65. ad Nilum. Videndus quoque erit, si placet, & si est otium, Herrius Herpius libro de mystica

Theologia ca. 32. vbi differit de aspirationibus, orationibus, & iaculationibus amoriferis seu amatoriiis.

In vno oculorum tuorum.

Sic est in Hebræo, pro eo quod est latine, vel vno solo; id est, vnico aspectu, & actu oculorum tuorum, vel minimo aspectu oculorum tuorum, vel etiam vno quoque aspectu oculorum tuorum. It enim hyperbole, seu amplificatio amatoria. Pro qua videndus erit B. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 278. vide quoque Adag. Mulieris oculus. Et item Adag. Morsus aspidis. Præterea videndus erit Hieronym. epist. ad Demetriadē virginem cuius initium est: In te omnes materias, &c. Vbi etiam conuenienter præcipit: Illa (inquiens) sit tibi pulchra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ nescit esse pulchra, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum, non pectus, non colla denuda, nec pallio reuelato crines aperit, sed, quæ cælat faciem, & vix vno oculo, qui necessarius est, parente, progreditur. Et cætera quæ sequuntur.

In vno crine colli tui.

Vel in vno torque colli tui, vt volunt interpretes Hebræorum, vt scilicet per torque, siue per torques intelligamus hic flex⁹ illos cincinnorū, siue criniū, & quasi annulos, & gradus. Sic enim eos vocat, vel certe vocare videtur Suetonius in Nerone cap. 31. cum ait: Comam in gradus formatam, & cat. quemadmodum recte animaduertit etiā Torrētius Episcopus in prætatum Suetonij locum. Pro qua re videndus erit Lipsius Comment. in Cornel. Tacit. lib. 3. num. 102. vbi ostendit quod matronarum crinium forma diuersa fuerit olim à virginum coma. Et Vegetius de re militari lib. 4. ca. 9. narrat egregium factum mulierum Romanarum, quæ tempore belli funibus neruosis deficientibus, in obsidione Capitolij, corruptis, scilicet iugi, ac longa fatigatione attenuatis, cum neruorum copia defecisset, abscissos totos crines viris suis obtulere, pugnantibus. Maluerunt enim pudicissimæ feminae, deformato ad tempus capite, libere viuere cum maritis, quam hostibus integre decoro seruire. Hactenus ille. Itaque, vt in summa colligamus sententiā & mentē horū.

verborum, In vno crine colli tui ex autoritate Hebræorum, tantumdem erit dicere; In vno crine colli tui, ac si diceretur, In vno cincinno colli tui. Pro qua re facit etiam id quod narrat historia de antiquis Atheniensibus, apud quos mos erat vt etiā feniores capillorum cincinnis seu torquibus aureas cicadas adderent. vnde dicti sunt τέρτιφορρο, cicadas ferentes: hoc enim indicio significabant indigenas se esse, quemadmodum & cicada, quæ non aliunde commigrant, sicuti solent pleraque istiusmodi animalcula, sed inibi nascuntur, vbi viuunt, vt patet ex Aristophane in Nubulis. Vide Adag. Capillus vnus habet vmbra tuam.

Quam pulchre sunt mammae tuæ, &c.

Mammæ siue mamillæ quædam amoris & fomēti sunt, & nutrimenti, quibus scilicet matres & nutrices nutriunt, & alunt, atque lactant filios suos paruulos, quandiu paruuli ac teneri sunt, & lacte opus habēt, neque solido cibo vt valent: Sic enim natura, simul & ratione ac more comparatum esse videmus, non solum in hominibus

sed etiam in cæteris plerisque brutis animantibus. Vnde Phanorinus Philosophus suadens nobili cuidā fœming, vt liberos quos peperisset, non nutricum adhibitarum, sed suo sibi lacte aleret, ita inter alia scribit: An tu quoque (inquit) putas naturam fœminis mammarum hubera, quasi quosdam neuulos venustiores, non liberorum alendorum, sed ornandi pectoris causa, dedisse? Sic enim quod vobis, scilicet abest pleræque istæ prodigiostæ mulieres fontem illum sanctissimum corporis generis humani educatorem arefacere, & extinguere, cum periculo quoque auersi corruptiq; lactis, laborant, tanquam pulchritudinis sibi insignia deuenustet. Quod quidem faciunt eadem vācordia, qua quibusdam commentitiis fraudibus nituntur, vt fœtus quoque ipsi in corpore suo concepti abortiantur, ne æquor illud ventris corrugetur, ac de grauitate oneris, & labore partus fatiscat, &c. quæ in eandē sententiā profequitur Phanorinus Philosophus apud A. Gellij lib. 12. noctium Atticarū cap. 1. Hinc Paulus Apost. per allegoriam seu translationem sumptam à matribus probis officiumque suum recte facientibus 1. Cor. 3. sic loquitur:

Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruuli in Christo potum & lac vobis dedi non etiam. Nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis, &c. Et item Hebraeor. cap. 5. congruenter sic ait: Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo: omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ, paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Hæc Paulus. Quinetiam alibi 1. Thessalo. 2. eodem fere sensu, de more probæ nutricis; in hunc modum loquitur: Cum possemus vobis oneri esse, ut Christi Apostoli, facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos, &c.

Vnde iure ac merito sicut proditum est in vera historia. Pauli Apost. caput occisi pro Christo, lac pro sanguine dedit, ut testatur etiam D. Chryl. homil. in principē Apost. to. 5. & item D. Ambr. ser. 68. vbi ita eleganter

exclamat: Quid mirum si abundat lacte nutritor Ecclesiæ? &c. Et refertur hoc testimonium seu verba D. Ambrosii etiam à Cæsare Baronio Card. tom. 1. annal. pag. 732. Per lac autem metaphoricè intelligit Paulus lacteam, hoc est, elementarem simplicemque doctrinam, qua Paulus passim utebatur erga simplices, rudes, minus perfectos. Cuiusmodi doctrina Græcè catechesis appellatur; ut videre est apud Clementem Alex. lib. 5. Stromat. pag. 646. vbi sic ait: Lac intelligitur catechesis, &c. Quemadmodum igitur, si qua mater educans infantem, primum tenero ori lac per mammillas infundit, vbi verò dētes producit, & crescit, panem adhibet non durum illud & inelaboratum; ne ob duritiem cibi, rumpatur gingivarum mollicies, nondum satis munita, sed propriis dentibus lenit mater ipsa, ut alimentum proportionem habeat cum pueri infantis viribus pueri solidiorem addit cibum. Sic Paulus Apost. facere solebat ad exemplum & imitationem nostram. Ita se gerere oportet, & decet probos magistros & doctores erga eos qui nouitij sunt in religione Christiana, & sana doctrina. Tales enim ad mensam

patris in celo nondum sunt apti seu idonei, sed potius ad mammillam matris, seu nutricis, in terra lactari oportet. Cæterū non absere erit pro allegoria istorū verborum legere, id quod scribit Philo Iudæus lib. de mundi opificio tom. 1. pag. 27. vbi sic ait: Cuiuslibet matri tāquam partem summe necessariam Natura scaturientes mammæ addidit, præparans alimenta nascituris infantibus; Mater autem etiam terra ipsa videtur, quapropter & prisca illis placuit, ut vocaretur *μητέρα*, composito è matre, & terre nomine. Non enim terra mulieri (ut dixit Plato) sed mulier ter àimitatur; quam verè Poëtica gens omniparentem, frugiferam, Pandoramque nominare solita est: quippe generationis & perpetuitatis tam stirpium, quam animalium. Merito igitur terræ quæ antiquissimè matrum & fœundissimè Natura, tanquam mammæ dedit Amnium fluentia, fontiumque, ut stirpes rigentur, & omnia animalia potum copiosum habeant. Hæc Philo.

Odor vestimentorum tuorum.

Videndus hic erit B. Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 84. ad Agathem.

*Hortus conclusus, soror mea
Sponsa, &c.*

Videndus pro allegoria horū verborū erit D. Greg. in 1. Reg. c. 14. exposit. l. 5. p. 1559. vbi ita exponit: Hortus quidem quia virtute eximiæ castitatis floridus; conclusus autem, quia per continentiam munitus, &c. Mirifica enim est laus virginittatis etiam apud prophanos. Vnde etiam Apuleius in Apolog. 2. pag. 258. ita scribit: virgo formosa si sit oppido pauper, tamen abundè dotata est, affert quippe ad meritum notuum, animi indolem, pulchritudinis gratiā, &c. quæ sequuntur; ut omittam alia multa virginittatis elogia, quæ passim reperiuntur apud prophanos Authores. Quamobrem valde eleganter, & congruenter Author Cantici, per hortum conclusum, & fontem signatum Virginem intellexit, atque significauit Sponsam signatam; namque integram virginem, etiam vetustas, & cæca gentilitas voluit dicere: quemadmodum annotauit Nonius lib. 2. in verbo (signatam) Plautus quoque alicubi ita loquitur: Tam à me pudica est, quàm si soror esset, & signata virgo, &c. Anima autem

perfecta, Sponsa simul & virgo ^A est, quantoque magis Deum diligit & amat, tanto magis Sponsa & virgo est. Pro qua re legendus erit D. Aug. in lib. de diligendo Deo cap. 19. & item in lib. de sancta virginitate cap. 12. Et de doct. Christ. cap. 32. & in Psal. 147. & lib. de verbis Domini secundum Ioannem serm. ^B 50. vbi sic ait: Ecclesie concessit Christus in spiritu, quod mater eius habuit in corpore, scilicet ut & mater & virgo sit, &c. quæ sequuntur. Consentanea sunt quæ scribit D. Basil. Magn. de sanct. virginit. pag. 538. & item de institutione monachorum pag. 381. ut omittam alia. ^C Suffragatur locus ille qui est apud Philonem Iudæum in li. de Cherubim pag. 102. vbi congruenter exponit illa verba Hieremias cap. 5. Dux virginitatis meæ, &c. Quineriam Paulus Apost. 2. Cor. 11. ad hunc sensum ait: Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Itaque non solum Ecclesia ^D vniuersa, quæ est cæterus fidelium, mater simul & virgo est, sed etiam quælibet anima fidelis, pia, atque perfecta, quæ scilicet fide, & charitate prædita est, & per dilectionem operatur.

Paradisus malorum puniceorum, &c.

VOx (paradisus) ut ne quis verret, origine Græca est, & communis, communiterque significat locum aliquem delictatum, variis floribus & plantis confutum, siue adornatum, ut facile apparet ex illo loco Ecclesiastes c. 2. vbi in persona Salomonis Regis ita scriptum est: Feci mihi hortos & pomaria. Provoce enim (pomaria) in Græco habetur (paradisos) Quo sensu videtur etiam accipiendum, & intelligendum quod iuxta vulgatam & editionem nostram Latinam, Ecclesiast. cap. 44. habetur: Henoch placuit Deo & translatus est in paradysum, nempe in locum aliquem amœnum, & delictatum, varijsq; arboribus cõsitum, & ornatum. Quamuis enim in Græco ibi non sit hæc particula (in paradysum) sed absolute & sine vllò additamento sit, & translatus est; Quicumque tamen, & vbi cumque sit locus ille, in quem Deo placuit Henoch transferre, nõ necesse habeo, neque necesse est hac de re hinc disputare. Nihilominus tamen quoniam vox (paradisus) in litteris sacris ambigua est, non abs re fuerit legere quæ de paradiso scribitur inter

inter recentiores Bellarm. disp. ^A de sanct. Beatitudine lib. 1. cap. 1. pag. 1472. & item cap. 3. pag. 1478. Et Genebrard. Chronic. lib. 1. pag. 3. & pag. 14. & item Aug. Eugub. in lib. De paradiso. Et ante hos videndus erit D. Th. 3. p. q. 49. a. 3. ad 2. Et item q. 102. a. 2. ad 3. & aliàs, ut omittam alios complures, qui ^B de voce & significato paradisi scripserunt.

Cinamomum.

CINAMOMUM aliàs CINNAMUM. De quo Strabo lib. 6. Cosmographia de Nabatheis multa, tandem ita sub infert. ^C His proxima est (inquit) scilicetissima Sabæorum terra, quæ maxima est natio. Apud hos thus, myrrha, & cinamomum nascitur. Et Pomponius Mela lib. 3. cap. 8. Arabia (inquit) cognomento Eudæmon cinnami, & thuris maximè ferax. Quod genus aromatis etiam Auicena, ^D Dioscoridis, magnis laudibus celebratur: ut omittam Plinium & alios antiquiores, nam qui plura & veriora desiderat de hoc aromatis genere, consulere potius debet recentiores, præsertim rerum Indicarum peritos scriptores, in quibus est Hortus medicus Lusitanus, & Acofta eius

Fons hortorum, puteus aquarum viventium.

Videndus super his verbis Tyrius Episcopus lib. 7. de bello sacro cap. 22. & item lib. 13. ca. 3. vbi de hoc horto, & puteo aliquid scribit scitu dignum & verissimile.

Surge Aquilo, & veni Auster, & perfla hortum meum, & fluent aromata illius.

SPONSA iam nunc inuitatura Sponsam ad hortos agrique delicias, ita congruenter præfatur dicens, Surge Aquilo, & veni Auster, &c. Deinde statim postea ita subiungit: Veniat dilectus meus in hortum suum ut comedat fructum pomorum suorum, &c. Itaque oratio hæc, Surge Aquilo, & veni Auster, &c. quasi parascæue, seu præfatio quædam & elegans sequentis orationis, vel sequentium verborum, cum ait Sponsa: Veniat dilectus meus in hortum suum, &c. quasi ipsa secum, vel etiam cum ventis per profopopæam loqueretur, atque ita plane diceret: Discede, vel recede Aquilo, ac te discedente, veniat statim Auster ad perflandum hor-

tum meum, & spargendum odoribus eius, antequam in eum veniat dilectus meus, vel in gratiam dilecti mei, iam iam mecum in hortum suum venturi; prouocatur enim, & quasi rogatur Auster, qui ventus scilicet calidus, & humidus, atque etiam vehemens est, vt veniat ad perflandum hortum, vt fluant aromata. i. vt sic longè lateque spargantur, atque excitentur odores arborum, seu plantarum aromaticarum, quo sic magis Sponsus veniens in hortum delectetur, atque voluptate afficiatur, Aquilo enim ventus suapte naturà frigidus est, atque proinde noxius istiusmodi plantis delicatis & teneris, vt apparet etiam ex autoritate Ecclesiastici cap. 43. vbi ita scriptum est: Frigidus ventus Aquilo flauit, & deuorabit montes, & exuret desertum, &c. Ideoque meritò ab Authore Cantici, Surgere, hoc est, recedere, seu abire iubetur. Contra verò Auster ventus meridionalis, quia suapte naturà humidus & calidus est, etiam si interdum, & plerumque vehemens sit, nihilominus tamen tempore verno temperatus modicus, & placidus est, placidè que flare seu aspirare solet, atque proinde aptus natus est, vt ita dicam, ad perflandum hortum, vt

436
sic aromata eius fluant suauiter, odorèque plantarum aromaticarum longè lateque spargantur, ac suauitate, & voluptate sensus afficiant; ideoque præsertim iubetur, prouocatur, & quasi rogatur; vt recedente Aquilone, statim ipse accedat, & spirare vidit in gratiam Sponsiam iam iam ad hortum suum venturi. Nihil enim antiquius, nihil sanctius erat Sponsæ, quam vt Sponso suo placeret, & in amore responderet.

Ad pleniorè autem verborum istorum intelligentiã cum ait Sponsa; Surge Aquilo, veni Auster, &c. non abs re erit legere, atque recolere quæ de natura & proprietatibus, præsertim horum duorum ventorū, nempe Aquilonis, & Austri docent veteres simul & recētiore Authores, in quibus est Hippocrates lib. 2. de Diætâ princ. pag. 109. & item lib. de morbo sacro pag. 141. Et A. Gellius lib. 2. cap. 22. vbi differit de ventorum nominibus, regionibus, &c. Et Apuleius lib. de mundo, vbi differit de ventis. Videndus quoque erit Cartharius lib. de imaginibus Deorum tit. Neptunus pag. 177. & sequentibus. Et item Pomponius Mela lib. 1. cap. de Cyrenaica, qui sequitur Pliniū. Plinius enim lib. 2. Nat. Hist.

cap. 45. ita scribit: In Cyrenaica Prouincia rupem quēdam Austro fuisse consecratam, & tanta reuerētia cultam, vt quam prophānum esset, eam humanis manibus atrectari, &c. quę prosequitur. Denique videndus erit Leuinus De miraculis Naturæ lib. 3. cap. 3. Nihilominus tamen ex omnibus ventis vnus est præcipuus qui Græcè Zephyrus, Latinè autem Fauonius nominatur, ab occidente spirans, & is maximè vere primo terram verbis conuestit, florèque excitat; Quare etiam Floræ maritus ab Antiquis dictus

est, quæ florum Dea habebatur, vt scribit etiam Cartharius loco memorato pa. 178. & 179. Quapropter Philostratus ita Zephyri imaginem adorāt, nempe forma iuuenili, facie decora, alatis humeris tempora habētem floribus redimita.

Cæterum pro allegoria horum Sponsæ verborum videndus erit D. August. epist. 120. ad Honoratum, vbi per aromata ista horti Sponsæ interpretatur multa & varia genera gratiarum siue donorum, quæ nobis filiis noui testamenti, feliciter allata & collata sunt per Christum.



CAPVT QVINTVM

*Veniat dilectus meus in hortum
suum, &c.*

Ro allegoria-
istorum verbo-
rum videndus
Ambr. lib. 5. de
sacramentis ca.
3. vbi ita inquit:
gaudet Ecclesia redemptione-
multorum astare sibi familiam
candidatam spiritali exultatio-
ne lætatur. Habet hoc in Can-
ticis Cantie. Lætata inuocat
Christum paratum habens con-
uiuium quod dignum cælesti
epulatione videatur. Ideoque
ait: Descendat frater meus in
hortum suum, & capiat fructum
pomiferarum suarum. Quæ
sunt istæ pomiferæ? lignum ari-
dum factus eras in Adam, sed
nunc per gratiam Christi, po-
mifera arbor pullulasti. Liben-
ter accepit Dominus Iesus, &
dignatione cælesti respondit
Ecclesie suæ: Descendi, inquit,

in hortum meum, vindemiaui
myrrham cum vnguentis meis.
&c. quæ sequuntur.

Soror mea Sponsa.

IN præsentiarum Sponsus
Sponsam vocat sororem suam;
inferius autem Cant. cap. 8. ipsa
Sponsa Sponsum etiam vicissim
fratrem suum vocat dicēs: Quis
mihi det te fratrem meum, &c.
atque proinde quasi par pari re-
ferre videtur, non solum amoris
causa, sed etiam ratione carnis
nostræ à verbo assumptæ; vtra-
que enim ratione Christus Dei
filius in Euangeliis etiam atque
etiam discipulos suos fratres ap-
pellat vt patet Ioan. cap. 20. at-
que etiam Matth. cap. 12. vbi ait:
Quicumque fecerit volunta-
tem Patris mei qui in cælis est,
ipse meus frater, soror, & mater
mea est: Videndus est Isidorus
Diaconum de sorore mulie-
re. Itaq; mirum non est si in præ-

fentiarum Sponsam suam sibi
charissimam, & sui amantissimam
in typo Ecclesie, atque etiam
animæ perfectæ, istiusmodi
appellatione sororis dignetur,
præsertim vero ad significan-
dam, & amplificandam vim ca-
stissimi illius amoris quo Spon-
sam prosequitur, sororis namq;
vocabulum consanguinitatem
significat; Sponse autem appel-
latio affinitatem atque proinde
tali appellatione indicat Spon-
sus Sponsam vtroque vinculo,
nempe & sanguinis, siue carnis,
& item affinitatis sibi esse con-
iunctam, vt ne dicam coniun-
ctissimam. Vtrumq; enim isto-
rum vinculum honestissimum,
castissimum, & sanctissimū est,
nempe & vinculum sanguinis
& item vinculum affinitatis,
quale est plane vinculum, seu
fides coniugij, cuius gratia ille
& illa Sponsa nominatur, &
est, id est, nouiter nupti ambo
dicantur. Proprie enim Sponsus
dicitur is; qui nouiter nuptus,
vel qui nouiter duxit vxorem,
similiter & Sponsa (si proprie
loqui velimus) dicitur nouiter
nupta, vel noua nupta, Qui au-
tem nouiter nupti sunt, mul-
to magis se inuicem diligunt, &
amant; & ob hanc causam Au-
thor Cantici perite Sponsum
Sponsamque appellat potius

quam virum, seu maritum, &
vxorem. Pro qua re valde facit
locus quidam qui est apud D.
Chrysof. hom. in Psalm. 5. tom.
1. pag. 627. vbi exponens per
occasionem, illa verba Ioannis
Baptistæ Euangelica Ioan. cap.
3. Qui habet Sponsam Sponsus
est, ita congruenter ait: Sponsus
quidem post primos dies re-
mittit amoris vehementiam;
Sponsus autem noster nos amat
perpetuo, & auget desiderium;
Quod innuens Ioannes Baptista
vocat Sponsam, quando sum-
ma desideria. Non solum au-
tem propterea Sponsam voca-
uit, sed etiam quod vult omnes
vnum esse corpus, & vnā ani-
mam ratione virtutis, & amo-
ris, & quod quemadmodum
Sponsa omnia facit, vt viro pla-
ceat, ita nos etiā tales esse oportet
per totam vitam; vnum igitur
solum, nempe Sponsi virtu-
tem consideremus, & Sponsæ
modestiam, ac decorem con-
feruamus. Et cæc. Ex quibus
verbis D. Chrysof. satis appa-
ret, quam obrem Sponsus, & itē
Sponsa hac scilicet appellatione,
& nomine gaudeant. Quos
quidem nos imitari hac in parte
maxime debemus; imitabimur
autem, si tamquam Sponsa &
noua quadam nupta numquā
primos illos amores erga Spon-

sum remiserimus, id est, primam illam charitatem, & fidem, & gratiam, seu primam illam amoris nuptialis vehementiam, ardorem, atque feruorem perpetuo retinuerimus, quandoquidem neque vnquam ille istiusmodi amorem erga nos remittit, sed potius auget, perpetuoque nos diligit, vel potius amat plurimum, atque redamari à nobis cupit, & primos illos amores augeri in dies magis & magis modis omnibus studet; iureque suo petit, & rogat magnopere vsque adeo de nostra salute sollicitus, & anxius est; vsque adeo humanus, & officiosus: vt ita dicam. Alio qui ve-

impetum amoris, atque spiritum, affectumve, & zelum illum primum seu studium quo nonnulli flagrare videntur initio statim conuersionis suæ ad fidem. Non enim dixit Oraculum simpliciter, Charitatem reliquisti, vt bene ponderat etiam Abbas Ioachimus comment. in hunc locum Apoc. Non igitur ille omnino reliquerat charitatem sine qua nihil sumus, vt loquitur Paulus Apost. 1. Cor. cap. 13. Sed aliqua ex parte ab illa recesserat, seu defecerat, & quodammodo refrixerat, videlicet non proficiendo, nec progrediendo aut promouendo in charitate accepta; sed potius tepescendo atque refrigescendo, & quodammodo languendo. Sancta enim illa animalia apud Ezechielem non reuertebantur, neque retro aspiciebant cum incederent, sed potius magis, ac magis progrediebantur. Facit pro hac intelligentia cap. 28. vbi Samuel

excitatus ex inferis exprobrasse legitur Saùli Regi non maximum & grauissimum peccatum ipsius, sed potius primum peccatum, quo ab innocentia & puritate pristina, seu prima excidit, & occasio fuit aliorum grauiorum eius peccatorum. Facit etiam pro hac intelligentia quod ait Oraculum postea

inferius 1. Apoc. cap. 3. Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es; nec frigidus; nec calidus, incipiam te euomere de ore meo; nam tepidam aquam corpus atque ventriculus relaxare atque ad vomitum prouocare asserunt Medici, in quibus est Galenus lib. de victu priuatorum, & item lib. 1. de arte curatoria ad Glauconem cap. 6. vt omittam alios. Etenim ipsa rerum experientia hoc attestatur. Vnde Christus Dominus Matth. cap. 5. iuxta hunc sensum loqui videtur cum ait: Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, id est qui calent, & flagrant charitate. Videndus D. Hieronym. epist. 13. ad Paulinum, vbi contra huiusmodi affectum, seu languorem & animi teporem, siue torporem, sic ait: subitus calor longum vincit teporem.

*Comedi fauum cum melle meo,
bibi vinum meum cum
lacte meo.*

Quasi gloriando, & iactando, loqui videtur Sponsus de more videlicet pastoritio; Solent enim pastores diuites, locupletes, & copiosi interdum sese iactare pro tempore & loco inter alios socios pasto-

res. Vt etiam gloriebatur pastor ille alter apud Poëtam Latinum in Bucolicis.

Cui mille Siculis errabant in montibus agnæ.

Quemadmodum etiam iam explicauimus in commentario iuxta sensum historicum: omnibus enim sua chariora sunt omnia quæ suo labore confecta, seu comparata habent, vt docet Arist. lib. 9. Ethic. cap. 7. Ideoque in his maxime gloriantur, delectantur & placent sibi. Quod autem insigniter esse lautum in cibis, id Iouis lac veteres proverbialiter appellabant, vt patet ex Euripide apud Athenæum lib. 14. Huc etiam pertinere videtur illud Genes. cap. 49. vbi Iacob Patriarcha benedicens Iosepho filio suo, ita dixisse fertur: Benedicat tibi Omnipotens benedictionibus huberum, & vuluæ; quod quidem ad pecorum foecunditatem, & lactis vbertatem alludit. Itaque per lac, & mel foelicitas, vbertas, foecunditas, & copia denotatur; vt patet Exod. cap. 3. vbi de terra promissionis, seu promissa per excellentiam dicitur quod flueret lacte & melle. Esaias quoque cap. 60. Figurate Ecclesie ita pollicetur: mamilla Regum lactaberis; & ea. 49. dixerat: Erunt reges nutritij tui,

& reginæ nutrices tuæ. & cæt. **Q**uamuis mel suapte natura fatietatem gignat, quemadmodum est Prouerb. cap. 24. & 25. Lac vero non item, sed in bonam partem fere accipitur. Vnde in sacris litteris, simplicitatem, innocentiam, atque animi candorem plerumque metaphoricè significat, quoniam hoc genere sibi maxime aluntur, nutriuntur; atque oblectantur infantes, & pueri, ceteraque bruta animantia in tenera aetate. Vnde & Petrus Apost. 1. Pet. cap. 2. ita recens baptizatos, & renatos in Christo per comparationem alloquitur, atque adhortatur dicens: Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabile & sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem, si tamen gustatis, quoniam dulcis est dominus. Hactenus Petrus Apost. Pro qua re videndus erit D. Hiero. lib. contra Luciferianos tom. 2. pag. 676. vbi alludens ad hæc Petri Apost. verba præfata ait: in veteri Ecclesia recens baptizatos, seu e fonte baptismatis egressos lactis & mellis gustare concordiam ad infantiam scilicet significationem, seu imita-

tionem. Lacte enim, & melle vtuntur infantes, sed præsertim lacte, iuxta illud Esa. cap. 8. de Christo Dei, & hominis filio adhuc paruulo: Butyrû, & mel comedet. & cæt. Super quibus verbis Esa. Videndus erit Basiliius in Esa. cap. 7. Et Hugo de S. Victore lib. sententiarum nu. 4. de cibo Emanuëlis pag. 167. Sed præsertim videndus erit D. Hieronym. in Esa. cap. 55. vbi alludens ad præsentem Cantici locum, Comedi fauum cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo, &c. ita congruenter ait: Non solum vinum amamus sed & lac, quod significat innocentiam paruulorum. Qui mos, ac typus in Occidentis Ecclesiis vsque hodie seruatur, ut renatis in Christo, ouium, lacque tribuatur, &c. Videndus Arist. lib. 7. Polit. cap. 16. vbi ait: gentibus bellicosis proprium & familiare esse lac; sed tamen præcipit ut ne extali alimento morbi gignantur, nihil adhibeatur vini. Et Leuinus libro de miraculis naturæ capite 45. videndus erit.

Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

ID est epulamini & bibite in-trepide, iucunde, & hilariter, vel

vel etiam laute, opipare, & ap-parate amici, atque charissimi simul, & mei amantissimi, atque ducamus vernum hunc diem læti; ut loquitur etiam D. Cyprianus Martyr. lib. 2. epist. 2. ad Donatum, sine, vbi sic ait: Et quoniam feriata nunc quies, ac tempus est otiosum, ducamus hunc diem læti, & cæt. que sequuntur. Neque est quod quis perturbetur verbo inebriandi, quo Sponsus hoc loco de more Scripturæ sacre vtitur, quoniam non semper in malum accipitur verbum hoc in sacris Bibliis, sed interdum etiam in bonam partem vsurpatur pro verbo satiandi, quemadmodum adnotauit, & animaduertit bene D. Hieronym. præsertim in comment. Oleæ cap. 14. super illis verbis: Viuent tritico, & germinabunt quasi vinea. Vbi Septuaginta sic habent: Bibet, & inebriabuntur frumento, & cæt. Ebrietas (inquit Hieronym.) non euersionem mentis, sed copiam rerum omnium significat, ut versiculus ille declarat dicens: Visitaisti terram & inebriasti eam; Et Ioseph conuiuium, in quo inebriasse dicitur fratres suos. Et Dominus loquens ad Apost. Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini fratres, siue quia Domi-

nus noster ipse est frumentum, & vinea, quicumque crediderit in eo inebriari dicitur. Hactenus Hieronym. Non abs-re autem erit hoc in loco, pro re nata & oblata, tantisper differere de ratione sanctorum, id est honestorum atque sobriorum conuiuiorum: nam iuxta Adag. Boni ad bonorum conuiuia vltro accedunt. Et Arist. lib. 7. Ethicorum cap. 14. Omnes quodammodo gaudet & epulis, & vino. Idemque Arist. alibi, id est lib. 8. Ethicorum cap. 3. vbi differit de amicitia, & ingenio, & more amicorum congruenter ait: Eos velle totos dies vnà versari, simulque viuere. Ergo qui amant desiderant & solent inter se conuiuari familiariter: A conuiuando enim conuiuia Latine dicuntur, ut ait, & docet Cicero lib. de senectute vbi ita scribit: Bene maiores nostri accubationem epularum, quod amicorum & vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominauerunt, melius quam Græci, qui hoc idem tum compositationem, tum concenationem vocant. Ut quod in eo genere minimum est, id maxime probare videatur. De qua re si quis plura desiderat legendus erit Athenæus lib. 2. Dipnosophyst. cap.

Et alijs: Vt Varro in Menalip. vbi ait: Conuiuium maxime constare debere his tribus rebus lectis viris, lecto loco, lecto tempore. Et Arist. lib. 7. Ethic. cap. 2. ait: At incontinens obnoxius est Prouerbio quo dicimus: Quid insuper bibere opus est, cum strangulat aqua, & car. Vide Adag. cum aqua fauces strangulat. Herodorus quoque historicus in Euterpe, id est, lib. 2. pag. 57. vbi agens de moribus & ritibus Ægyptiorum ita scribit: Apud locupletes eorum cum multi conuenerunt, & à cæna discessum est, circumfert aliquis in loculo mortuum ex ligno factum, sed pictura & opere, verum maxime imitantem, longitudine cubitali omnino, aut bicubitali, ostendensque singulis conuiuarum ait: In hunc intuens pota, & oblectare, talis post mortem futurus. Hæc illi apud conuiuia faciunt, & car. quæ sequuntur apud Herodotum. Congruenter, & sapienter itaque dictum est à Salomone Ecclesiast. cap. 7. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij, & car. Siquidem extrema gaudij luctus occupat. Vt idem Salomon Prouerb. cap. 14. affirmat. Videndus autem D. Gre-

gor. lib. 2. cap. 37. ad Natalem Episc. de moderatis conuiuijs. Cæterum pro allegoria, id est, ratione, & mysterio, atque apparatu sacrorum, & spirituum conuiuiorum legendus erit Leo Papa de quadrag. ser. 12. Vbi inter alia ita præcipit: intraturus cæleste conuiuium splendeat veste virtutum, quamuis enim benignitas Sponsi cunctos ad communionem regiarum inuitet epularum, studendum est tamen vniuersis vocatis vt sacrorum ciborum numero non inueniatur indigni. Deinde paulo inferius ita subiungit, atque concludit: Habet ergo populus Dei spiritalis epulas, castasque delicias, quas salubriter expetit, & laudabiliter concupiscit, quoniam laudante, & dicente Prophetæ: Gustate & videte quoniam suavis est Dominus, quisquis dulcedinem iustitiæ, & misericordiam Dei, quibus omnis prouidentia eius dispensatur, gustu cordis attingerit, & nullo vnquam minuenda fastidio experimenta superiorum hauserit gaudiorum, corruptibilia, & temporalia bona æternorum admiratione despiciet, & in illo igne quem Dei accendit charitas conca-

lescit, vt algore in feruorem conuerso, & in lucem nocte mutata, vno opere, in animis fidelium Spiritus sanctus, & tenebras abigat, & peccata consumat. Hactenus Leo Papa de mystico & sacro, seu spiritali conuiuium, quale præfertim, & maxime est augustissimum altaris Sacramentum iuxta illud Matthæum capite vigesimo sexto, vbi Christus Dominus similiter, & quasi de more amatorio, pridie quam pateretur, in hunc modum suos inuitat dicens: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, & cætera. Et rursus: Bibite ex hoc omnes; Hic est sanguis meus, & cætera. Quæ quidem verba simillima sunt his quibus in præsentiarum Sponsus amicos, & charissimos suos inuitat dicens: Comedite amici, & inebriamini. Quemadmodum etiam intellexit & significauit Diuus Hieronymus loco superius citato, id est, comment. in Osea capite decimo vbi ait: Et Dominus loquens ad Apostolos; Comedite, inquit, amici mei, & bibite & inebriamini fratres. Hactenus ille. Istiusmodi enim conuiuium non quorumlibet,

sed proprium, atque præcipuum amicorum, charissimorumque est; quandoquidem Sponsus nominatim amicos, familiares, & charissimos in præsentiarum inuitare fertur, non vero omnes, vel quoslibet promiscuè.

Ideoque necesse habemus cognoscere, atque discernere inter veros, & falsos Sponsi, & Sponsæ amicos, vel etiam charissimos, & alienos. Neque enim id facile est, sed potius difficile, & arduum in tanta præfertim ingeniorum, & morum peruersitate; quemadmodum difficile est inuenire verum, & germanum amicum, id est, dignum; quem ex animo diligamus, atque colamus tamquam nos ipsos singulariter, & gratis, prout ratio amicitiae postulat. Vtrumque enim horum difficile & molestum in tanta paucitate bonorum; & nescio vtrum horum sit difficilius. Vnde Ioan. Apost. 1. Ioan. cap. 4. ait: Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint; quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam de amicis, & inimicis Sponsi. De amicis au-

tem hominum, seu humanis probandis, vel reprobandis, legendus erit D. Aug. lib. confes. cap. 7. vbi sic ait: O dementiam nescientem diligere homines humaniter! O stultum hominem immoderate humana patientem, quod ego tunc eram! &c. Et cap. 9. eiusdem li. inter alia sic ait: Beatus qui amat, & amicum in te & inimicum propter te, &c. quæ sequuntur de vera & perfecta amicitia. Consentanea sunt quæ scribit D. Amb. lib. 2. Offic. cap. 7. de vera, in quâ & perfecta amicitia, vt mittam alia complura. Cæterum est locus quidam præclarus, & philosophicus apud Ciceronem li. 1. de nat. Deorum fin. Vbi disputans aduersus Epicurum, qui negabat gratiam vllam esse in Deo, id est, neminem à Deo amari, neminem diligere, aut beneficio ab eo affici tamquam amico afferebat: sic ait: Charum ipsum verbum est amoris, ex quo amicitia nomen est ductum, quam si ad fructum nostrum referamus, non ad illius commoda, quem diligimus, non erit ista amicitia, sed mercatura quædam vtilitatum suarum. Prata enim, & arua, & pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex eis capiuntur;

A hominum charitas, & amicitia gratuita est. Quantum igitur magis Deorum qui nulla re egentes & inter se diligunt, & hominibus consulunt? & cæterum quæ prosequitur Cicero in eadem sententiam aduersus Epicuri opinionem, seu errorem, quem etiam manifeste refellit Arist. Ethic. lib. 10. cap. 8. vbi sic ait: At vero qui mente operatur & eum colit, disponitur optime; is & amicissimus Diis immortalibus esse videtur. Nam si Dij curam humanarum rerum, vt existimatur, aliquam habent, rationi sane consentaneum fuerit, ipsos eo gaudere, quod est optimum, maximeque sibi cognatum; hoc autem fuerit ipsa mens, & in eos, qui maxime hoc amant, atque honorant, beneficia vicissim conferre, tamquam curam iis, quæ sibi sunt chara, adhibentes, & recte beneque agentes. At constat hæc omnia maxime sapienter in esse: Amicissimus igitur sapiens ipse Diis immortalibus est. Eundem autem conueniens est, & foelicissimum esse. Sic Aristoteles philosophatur, & ratiocinatur. Videndus Plato in Lyfide, vel de amicitia, vbi valde eleganter, & commode disputat, quomodo sit difficile co-

gnoscerere, seu eligere, atque inuenire verum amicum. Legendus Aug. lib. 6. de Musica. cap. 16. de ebrietate diuina. Si quis autem plura ex Philosophorum, præsertim Stoicorum, super hac re desiderat, legendus erit Lipsius in Manud. Ad Stoica lib. 3. cap. 5.

Ergo dormio, & cor meum vigilat.

Fere quidquid vehementer optamus, & cupimus, & vigilantes cogitamus, atque etiam re ipsa tractamus, id plerumque somnari solemus. Sic pastor ille apud Theocritum in Eclog. 9. secum ipse loquitur.

Postideo quæcumque solent sub nocte videri;

In somnis vim magnam ouium multasque capellas.

Et apud eundem Theocritum, piscator quidam somniabat aureum pisces. Denique infamæ reginarum coniugium, immensasque regum opes, diuitiasque somniant pro sua scilicet cupiditate. Vsq; adeo autem hoc verum est, vt Arist. lib. de somn. & vigil. Et item lib. de insomniis & alias, non solum homini, sed etiam cæteris animantibus istiusmodi somni tribuat, quod quidem euidentissimum est,

A præsertim in canibus, quippe quos sæpe audimus dormientes venationem somnari, quæ res facile deprehenditur ex ratione latratus, quem dormientes & sopiti edunt; vnde etiam natum est Adag. Canis panes somniat. Alterum quoque Adag. Endymionis somnium dormis. Cuius meminit Arist. lib. 10. Ethic. ca. 8. vbi sic ait. Non enim oportet, vt Endymionem aiunt dormire, sed potius viuere & operari, &c. Seneca epist. 102. suffragatur, qui ait: Molestus est iucundum somnium videntem qui excitat, aufert enim voluptatem, etiam si falsam, affectum tamen veri habentem. Itaque mirandum non est si Sponsa in presentiarum, quæ nihil aliud præ nimio amore interdum, id est, totum diem; imo totam vitam, cogitabat, desiderabat, suspirabat, quam Sponsam, etiam noctu dormiens de eo somniaret. Ad hunc enim sensum videtur dicere, Ergo dormio & cor meum vigilat. Quasi dicat planè: Et si me cubantem & quiescentem videtis, non propterea me ita dormire credatis, sicut cæteri homines vulgares solent, quibus per somnum curis est animus vacuus, & otiosus, semper enim hæc me vna cura sollicitat, angitque vehementer, die noctuq;

id est, semper cor meum vrit
 Amor, desiderium & memoria
 Sponsi: quamuis enim ille ab-
 sens sit, nihilominus tamen vi-
 deor mihi illum tamquam præ-
 sentem videre, audire, atque te-
 nere, ita vt per verbum vigilan-
 di, hoc in loco cum ait Sponsa:
 & cor meum vigilat: vt ne pu-
 gnantia dicere videatur, accom-
 modatè intelligamus verbum
 somnandi, non enim hæc duo
 inter se pugnant, nempe, dor-
 mire, & somniare; somniare
 enim inter dormiendū est quo-
 dammodo vigilare, & quodam-
 modo reminisci, & cogitare,
 quanuis qui bene dormit non
 somniat. Quemadmodum ani-
 maduertit, & docet Arist. in
 problematis sess. 31. qu. 13. vbi
 quærit & differit quam ob cau-
 sam qui grauiter, & suauissimè
 dormiunt, nihil somniant. Idē-
 que Arist. alibi; id est, de gene-
 ratione Animalium lib. 5. cap. 1.
 ita inquit: Necessè est animalia
 dormire partē maximam tem-
 poris, & Deinde postea ita sub-
 dit: Accedit autē dormienti-
 bus animalibus sensus, non mo-
 do quæ somnia vocantur, sed
 etiam præter somnia, vt iis qui
 dormientes resurgunt, & qui-
 dem pleraque agunt sine som-
 nio; sunt enim qui dormientes
 resurgunt, & ambulent, viden-

tes eo modo quo qui vigilat: ijs
 enim sensus accidentium con-
 tingit, quamquam non vigilan-
 tibus, tamen non vt somnium;
 infantes vero propter consue-
 tudinem, quasi nescij vigilan-
 di sentire, viuereque in dor-
 miendo videntur, cumque
 pueri vigilant non rident, cum
 dormiunt, rident, interdum
 etiam lachrymant, &c. quæ se-
 quuntur. Denique idem Arist.
 alio in loco, id est, lib. 1. Ethic. c.
 vltimo, affirmat homines virtu-
 te præditos per quietem melio-
 re habere theoremata, quam
 improbos; quæ loca, seu testi-
 monia omnia non parum perti-
 nere videntur ad præsentem
 istum Canticum locum intelligen-
 dum, & explicandum. Si quidem
 existimamus Sponsam hoc in
 loco de more humano, & natu-
 rali, vel etiam hyperbolice loqui
 de more amatorio, cum ait: Ego
 dormio & cor meum vigilat.
 Nisi forte existimemus & o-
 pinemur Sponsam his verbis
 somnium aliquod supra natura-
 le, & diuinum, id est, mentis ex-
 cessum, siue extasim se passam
 fuisse, insinuare, & subindicare,
 vel etiam alludere quodammo-
 do ad somnia illa prophetica
 qualia scilicet Prophetæ, & alij
 viri sancti, & Dei amantes inter-
 dum præferim nocturno tem-

porè, ac per quietem, ac silētium
 diuinitus experiuntur; Iuxta il-
 lud, num. cap. 12. vbi ita scri-
 ptum est: Si fuerit inter vos Pro-
 pheta in visione apparebo ei,
 vel per somniū loquar ad eum.
 Et Iob. cap. 33. Per somnium, in
 visione nocturna, &c. Salomon
 quoque in somno cœlitus diui-
 nam sapientiam accipit. Vt tes-
 tatur sacra Historia 3. Reg. cap.
 3. vbi ita legimus: Euigilauit Sa-
 lomon, & intellexit quod esset
 somnum. Vnde forte videri po-
 test huiusmodi Sponsa somnum,
 non somnium purum, & mere
 naturale, sed potius supernatu-
 rale, diuinum, & propheticum
 fuisse vel certe allusionem quā-
 dam esse ad somnia illa prophe-
 tica. In somno enim propheti-
 co vis rationis seu mentis, non
 omnino ligatur, neq; liberi arbi-
 trij vsus, de qua tamen re operæ-
 pretiū fuerit legere vel recolere
 quæ docet D. August. lib. 12. de
 Genes. ad litt. cap. 15. & aliàs sæ-
 pè. Et item sanctus Thomas 2. 2.
 q. 95. a. 6. & aliàs. Neque disen-
 tanea sunt quæ super hac re, seu
 quæstione de somniis scribit
 etiam Cic. lib. 1. de diuinatione
 à principio libri vsque ad extre-
 mum. Alioquin res nimium na-
 turalis, & vulgaris, & vana est
 somniū; Vnde Claudianus Poë-
 ta li. 3. de rapto Proserpinæ ita

A eleganter canit.

*Omnia quæ sensu voluntur vota diurno
 Pectore somno reddit amica quies.
 Venator defessa toro cum mēbra reponit,
 Mēs tamē ad sylvas, & sua lustra cedit.*

Et cætera quæ prosequitur ele-
 ganter & congruenter in hanc
 sententiam, vt omittā alia mul-
 ta hęc breuitatis causā; de qui-
 bus differit copiosè Arist. lib. de
 somno & vigilia. Et item lib. de
 infomniis. Denique in lib. de
 diuinatione per somnia. Et Le-
 uinus medicus lib. 2. de miracu-
 lis naturæ cap. 31. Cæterum, vt
 quod erat prius dicendum, po-
 steriorius dicamus, & breuiter at-
 tingamus; nō ignoro quod qui-
 dā Vulgares Interpretes etiam
 aliter interpretantur hæc ipsa
 Cantici verba (Ego dormio &
 cor meum vigilat;) referentes
 scilicet hanc particulam, & cor
 meum vigilat, ad Sponsum, siue
 dilectum; q. d. Sponsa de more
 amatorio, & à contrario, siue per
 antiphrasim: Ego quidem dor-
 mio, seu quiesco secura in lecto-
 meo de more solito; Dilectus
 autem meus qui instar cordis
 mei est, vel quem instar cordis
 mei amo & colo, forte nunc vi-
 gilat, id est, non dormit, id est,
 non quiescit, & subditiō ambulat
 atque pernoctat foris, quietis
 quæ locum quærit, & non in-
 uenit, & meā causā sollicitus est.

Vt sit oratio condolentis, & vehementis amantis, & desiderantis præsentiam Sponsi. Ideoque eum appellat cor suum. Solent enim amantes huiusmodi appellationibus inuicem uti. Nempe, cor meum, Amor meus, delicta mea, &c. Adde quod vocabulum cordis seu corculi prudentiæ est, & prudentiam significat, vt testatur Plin. 7. nat. hist. vnde & cordatus. Verum tamē, quamuis iste sensus plausibilis prima statim fronte esse videatur, mihi tamē videtur esse paulo magis exquisitus, & affectatus, neque etiam congruere videtur cum verbis continuo sequentibus, si diligenter attendamus & expendamus.

Cæterum ad pleniorē intelligentiam præsentis loci, Ego dormio, & cor meum vigilat, non abs re erit legere quæ differit D. Aug. lib. 6. de Musica cap. 11. De phantasia, & phantasmate. Et item cap. 5. Vbi differit vtrum & quo anima à corpore patiat.

Vox dilecti mei pulsantis, &c.

Sponsus Sponsæ pulsat; & sitē ipse vicissim pulsari vult, iuxta illud Matth. cap. 7. pulsate & aperietur vobis. Vnde & Tertulian. Apologēt. inquit, In-

uidia cælum tundimus; hæc vis Deo grata est, qui non solum orari, sed etiam voluit pulsari.

Aperi mihi, soror mea, amica mea, &c.

Mirabilis, incredibilisq; videtur, tanta ista blandiloquentia, charitas, simul & modestia Sponsi, siue ad Ecclesiam, siue ad animam (inquam) humanam respiciamus. Rogat enim Sponsus blandissime, qui potius rogari debuit, vt ipse cordis ostium aperire dignetur, vsque adeo honorat suam imaginē, & conseruat arbitrij humani libertatem. Vnde D. Aug. tract. 72. in Ioann. rectē & congruenter ait: Qui fecit te sine te, non te iustificabit sine te. Fecit enim nescientem, iustificat volentem. Tertul. quoque in lib. ad Scapulam sic ait: Non est religionis cogere religionem, quæ sponte suscipi solebat non vi, cū & hostia ab animo libenti exoptulatur. Et in Apolog. cap. 23 & cap. 28. eodem sensu ait: Irreligiositas est adimere libertatem religionis, &c. quæ sequuntur. Nihilominus tamen legendus pro hac re erit lib. 10. Confess. cap. 6. vbi inter cætera sic ait: Domine amo te, percussisti cor meum verbo tuo, & amabo te, sed

sed & cælum, & terra, & omnia quæ in eis sunt; ecce vndique mihi dicunt vt, te amem, nec cessant dicere omnibus vt sint inexcusabiles. Altius autem tu misereberis cui misertuseris, & misericordiam præstabis, cui misericors fueris. Alioquin cælum, & terra surdis loquuntur laudes tuas, &c. quæ profequitur Aug. in hanc sententiam, videlicet de uocatione, seu auxilio Dei efficaci; & suauis, cui anulo duro corde resistitur, ideo .n. datur, vt durities cordis auferatur, vt alias ait ipse Aug. l. de præd. sanct. c. 8. & l. de corrept. & gratia cap. 14. & alias.

Quia caput meum plenum est rore, & cincinnati mei guttis noctium.

Fortē Spōsus nudo, & aperto capite tunc erat cum Sponsam suam tam modeste simul, & amanter rogabat vt ei aperiret, cum ita cauando subiunxit. Quia caput meū plenum est rore, id est, quia caput meum totum stillis conspersum est. Vt loquitur etiam Cicero lib. 2. de nat. Deorum: Namq; etiam serenis noctibus plerumque orat. Cæterum valde parum, & leue, vt ne dicā penē lubricum, videri potest hoc totum quod amoris & officij causa in præ-

sentiarum fecisse & passus fuisse fertur dū expectādo, pernoctādo, & pulsādo Spōsam inuiferet; siquidē cōparetur cum ijs quæ postea in extremo vitæ suæ tempore, id est, tempore Crucis & mortis suæ Spōsæ causa fecit, & passus est, præsertim verò quando in monte Oliueti, siue in horto Gethsemani pernoctans in oratione, præ agoniam, & horrore mortis iam iam imminētis, pro rore cæli matutino, & guttis noctium, guttas conereti sanguinis sudauit, & quidem roto corpore affatim, vt refert Lucas Euang. cap. 22. vbi sic ait: Et factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. In tantū enim angorem passā est natura diuina humanam incidere, vt concretū sanguinem sudaret; sicut inquit Suidasin dict. ἑρμ. 605, Quod si mortis imminentis sola cogitatio & contemplatio tam acerba fuit, id quod sudor ipse sanguinis in horto satis declarauit, quid ipsam perpeffionem in cruce fuisse existimandum est, quando totum corpus, & manus, & pedes, & latus, & caput guttis sanguinis distillabant, & instar fontis, aut fluminis diffluebant.

Cinci mi mei, &c.

Videndus si est otium, Tuccius Lucensis Annot. in Cant. pag. 373. & pag. 394. Et D. Hieronym. cap. 28. inquit: Ne cincinnos saluatoris noctis rore madefactos, quos semel tenere coepisti, aliquando dimittas, & cætera.

Expoliati me tunica mea, quomodo induar illa?

EXcusatio Sponsæ est modesta quidem, & verecunda potius quam animi contumacia, seu pertinacia; sed tamen nihilominus istiusmodi verecundia laudabilis non est, sed potius reprehensibilis, ut ne dicam vitiosa: est enim etiam quedam verecundia reprehensibilis & vitiosa, quamvis prima statim fronte probabilis & iusta esse videatur; quemadmodum eleganter docet Plutarchus in lib. de vitiosa verecundia pag. 198. satius enim erat obtemperare tali, ac tanto Sposo præsertim tam vehementer & obnixè officiosè roganti, quam sic excusare, vel causari. Simile autem quidpiam legimus iam olim sese præ verecundia excusando fecisse primos parentes, statim postquam peccassent

^A in paradiso; quemadmodum refert Sacra historia Genes. cap. 3. ubi ita scriptum est: Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum, cumque cognouissent se esse nudos, confuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso, ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius a facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es? qui ait: Vocem tuam Domine audiui in paradiso, & timui eo quod nudus essem, & abscondi me. Cui dixit Dominus: Quis enim indicauit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? & cætera. Quæ quidem primorum parentum excusatio similis mihi esse videtur huic presenti Sponsæ excusationi, dum ait: Expoliati me tunica mea, & cætera. Quomodocumque tamen hæc res sese habeat, saltem in speciem hæc Sponsæ excusatio modesta & verecunda esse vide-

tur, præsertim verò si decorum muliebri & virginali consideremus, atque etiam mentem eius, bonam fidem & benevolentiam singularem erga Sponsam respiciamus, cum ait: Expoliati me tunica mea; seu exui me veste mea, de more scilicet quiescentium, vel dormire volentium: proprie enim hoc significat in præsentiarum verbum (expoliandi:) per translationem autem etiam significat corpore isto mortali & vitali tamquam veste priuari; per mortem enim, siue naturalem, siue violentam corpore expoliamur, seu priuamur tamquam veste quadam nobis à natura indita. Quo sensu Paulus Apostolus 2. Corinth. 5. hoc verbo eleganter utitur, cum ait in persona sua, atque etiam aliorum hominum sanctorum; imo vero omnium mortalium: Nolumus expoliari, sed superuestriri. Super quibus verbis Apost. legendus erit D. Augustinus De peccat. merit. & remiss. cap. 2. ubi ait: Si non peccasset Adam non erat corpore expoliandus; sed superuestrendus immortalitate, & incorruptione, ut absorberetur mortale à vita, id est, ab animali ad spiritale transiret: Neque enim metuendum fuit, ne dum for-

^A te diutius hic viueret in corpore animali, senectute grauaretur, & paulatim veterascendo perueniret ad mortem. Si enim Deus Israëlitarum vestimenta, & calceamenta præstitit quod per tot annos non sunt obtrita; quid mirum si obedienti homini, eiusdem potentie præstaretur, ut animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum, quo sine defectu esset annorum tempore; quo Deus vellet à mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturus, & cætera.

^B Consentanea sunt quæ scribit idem D. Augustinus libro primo contra duas epist. Pelagian. cap. 11. Et aliàs sæpe. Unde & ipse Paulus Apostolus Ephes. cap. 5. quasi se ipsum exponendo congruenter ait: Nemo enim carnem suam vnquam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam. Id est: Nemo carnem aut corpus suum odio habet; sed potius carnis, seu corporis corruptionem; ut rectè exponit etiam idem D. Aug. lib. 1. doctrin. Christian. cap. 24. Si quis autem plura super hac re desiderat, legendus erit Ambrosius in Psalm. 1. pag. 285. Et Tertullian. lib. de resurrect. carnis pag. 77. Et D. Cyrillus fu-

per illis verbis Ioann. cap. 3. A
Non videbit vitam pag. 49.

Caterum quia exponendo historiam dixi Sponsam, sic excusando quodammodo seruare muliebri, seu virginali decorum atque naturam, & morem mulierum referre, & subindicare: solent enim illæ plerumque aspernari eos à quibus coluntur, ac deliniuntur; eos autem à quibus assentatione minima demulcentur admiratione prosequi. Ac muliebris natura huic potissimum affectui obnoxia est. Intolerandam enim se præbet, cum quis ipsi blanditur, ac contra eos omnium maximè suspicit & admiratur, qui maiore libertate præditi sunt, ampliorèque libertate apud eas vtuntur. Vt eleganter admonet, & docet Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 284. Atque proinde ita consulit, inquiens: Nihil ergo tibi cum mulieribus cõmercij sit, ac tu ab illis honorem consequeris, & cæt. Consentaneus locus est de ingenio, & more, ac decore muliebri apud Claudianum in nuptiis Honorij & Mariæ. Vbi ita canit:

Non quisquam fruitur veris odoribus.

*Hybleos latebris, nec spoliat favos;
Si fronti caueat si timeat rubos.
Armat spina rosâ, mella tegit apes.*

*Crescent difficili gaudia iurgio.
& cætera.*

Lauī pedes meos, quomodo inquinabo illos?

SI hanc pedum Sponsæ lotionem, seu purgationem ad animum referamus, tunc secundum allegoriam facilis & commoda erit sententia, non solum præsentium verborum (Lauī pedes meos, &c.) sed etiam præcedentium, cum dixit: Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? nam si Sponsæ molestum durumque videbatur, postquam iam sese tunica expoliauerat, atque ad quietendum comparauerat, electo surgere, iterumque tunica sua induit, si etiam molestum illi erat postquam pedes lauerat, iterum eos ambulando inquinare: quanto verò magis nobis videre debet molestum, imo verò absurdum, indignum, & turpe, postquam per baptismum semel illuminati suamus & gustauimus donum cæleste, & participes facti sumus Spiritus sancti, gustauimusque bonum Dei verbum, virtutesque sæculi futuri; rursus prolabi in vitam priorem, id est, in peccatum, quasi canis

reuersus ad suum vomitum, & A
sus lota in volutabro luti? Sic enim loquitur Paulus Apost. Hæb. cap. 6. cum ait: Impossibile enim eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt donū cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt bonum Dei cæleste, virtutesque sæculi futuri, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiã (supplendum baptismalem, seu gratiam baptismalem) rursus crucifigentes sibi metipsis filiū Dei, & ostentui habentes. Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrē, & germinans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem spinas, ac tribulos reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionē. Hactenus Paulus Apost. Quo sensu etiam Petrus Apost. & Princeps Apostolorum loquens de iis qui post gratiam semel acceptam in peccatum sunt prolapsi, & rursus coninquinari non verentur. Petri cap. 2. ita congruenter per comparationem ait: Si enim refugiētes coninquationes mundi in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus,

& A melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. Contingit enim eis illud veri prouerbij; Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Sic hic duo magni Apostoli Petrus, & Paulus sentiunt, & ratiocinatur, de his qui post gratiam semel à Deo acceptam tamquam ingrati & perfidi relabuntur in peccatum, sceleraque & flagitia priora, vel etiam plura & grauiora. Pro qua re legendus erit D. August. lib. 2. Confess. cap. 1. & cap. 3. & item D. Greg. lib. 9. Epist. 39. Et Clemens Alexand. Stromatum lib. 5. pag. 638. Et item in orat. exhortatoria pag. 66. Præterea B. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 115. Vbi etiam eleganter, & congruenter exponit illud Hieremie cap. 2. Quid tibi & via Ægypti, vt bibas aquam Geroni. Sed præsertim legendus erit super hac re (si quis volet hunc locum communem seu allegoriam amplius dilatare, atque illustrare) D. Aug. Comment. in Psalm. 83. post principium, vbi de istiusmodi hominibus loquens ita scribit: Respiciūt retro (inquit) & decidunt a proposito, nec attendunt cū quan-

to terrore dictum est; Memen-
tote vxoris Lot. Vt quid enim
in statuam falsi versa est, si non
homines condiat vt sapiant?
Ergo exemplum illius malum,
tibi fit bonum si caueris, respe-
xit enim retro vbi liberata est à
Sodomis, & ibi remansit vbi re-
spexit, ipsa in loco mansura, &
transeuntes alios conditura. Li-
berati ergo à Sodomis præteri-
ta vitæ non respiciamus retro.
De talib. enim quid dicit Apo-
stolus Petrus? Contigit illis res
veri Prouerbij: Canis reuersus
ad suum vomitum. Premebat
enim peccus conscientia pecca-
torū accepta indulgētia quasi
vomisset, & reuelatū est pec-
catum tuum, facta est bona cō-
scientia, ex mala conscientia.
Quid rursus conuerteris ad vo-
mitum tuum? si canis hoc fa-
ciēs horret oculis tuis, tu quid
eris oculis Dei? vnusquisque
autem fratres charissimi de lo-
co itineris sui ad quem profi-
ciendo peruenit & quem venit
Deo, inde respicit retro cum
ipsum dimiserit, v. g. Statuit
castitatem conjugalem serua-
re, inde enim incipit iustitia, re-
cessit à fornicationibus & ab
illa illicita immunditia; quan-
do vero se ad fornicationes cō-
uerterit, retro respexit. Alius ex
munere Dei maius aliquid vo-

uit: Statuit enim nec nuptias
pati, qui non damnaretur, si du-
xisset vxorem; post votū quod
Deo promisit, si duxerit, dam-
nabitur cum hoc faciat: quod
ille qui non promiserat; tamen
ille non damnatur, iste damna-
tur; Quare, nisi quia iste respe-
xit retro? iam enim ille ante
erat, iste autem illuc nondum
peruenerat. Sic virgo, quasi
nuberet, non peccaret, sancti-
monialis, si nupserit, Christi
adultera reputabitur. Respe-
xit enim retro de loco, quo ac-
cesserat, &c. quæ sequuntur
apud Aug. Suffragatur valde
huic interpretationi locus ille
qui est apud Paulum Ephes.
cap. 4. vbi iubet fideles, & recēs
baptizatos seu iustificatos, sic
quasi exuias serpentis depo-
nere, secundum pristinam con-
uersationem veterem hominē,
qui corrumpitur secundum de-
sideria erroris. Deinde ita sub-
dit: Renouamini autem (in-
quit) spiritu mentis vestri & in-
duite nouum hominem, qui se-
cundum Deum creatus est in
iustitia, & sanctitate veritatis,
&c. quæ sequuntur. Super qui-
bus verbis Apost. videndus D.
Aug. lib. 2. doct. Christian. cap.
16. Et item Basil. Orat. 7. de vir-
tute & vitio. pag. 817.

*Venter meus intremuit ad
tactum eius.*

HEbraismus est, pro eo
quod Latine diceremus,
& quidem plane viscera, seu
præcordia mea contremuerūt,
& conturbata sunt vehementer
pro re nata & oblata, id est, in re
tam subita, insolita, inopinata,
& noua. Quod autem hæc lo-
cutio, venter meus, &c. sit he-
braismus, pro eo quod Latine
dicimus præcordia mea seu vis-
cera mea; manifestis exēplis cō-
stat, nā hoc sensu etiā Hier. c. 4.
loquitur cum dixit: Ventrem
meum doleo, &c. pro eo quod
est præcordia, seu viscera mea
penitus dolore afficiuntur de
more parturientis. Et rursus
Threnor. cap. 1. cum ait: Venter
meus conturbatus est; pro eo
quod est, cor meum conturba-
tum est. Ad hunc igitur sensum
Sponsa audiens vocem Sponsi
foris stantis, & tangentis, seu
pulsantis fores atque etiam
ostium domus manu perfora-
men immissa, quodammodo
aperire conantis: denique tam
obnixè rogantis, vt illa aperi-
ret, vehementer toto corde in-
tremuit & perturbata est, quæ
admodum oportebat & dece-
bat tam castam & pudicam

A Sponsam trepidare in re tam
noua, & insolita, & dubia, id est,
pro rei dubiæ momento, vt po-
te de nocte, & hora tam intem-
pesta; nam vt eleganter ait D.
Ambros. Comment in Luca
cap. 1. Super illis verbis de salu-
tatione Mariæ angelica, & eius
turbatione ad Angeli conspe-
ctum: Trepidare virginum est,
& ad omnes viri ingressus pa-
uere, omnes viri affatus vereri.
Discant mulieres propositum
pudoris imitari: Maria enim
etiam salutationem Angeli ve-
rebatur. Erat enim cogitans
qualis esset hæc salutatio; &
ideo cum verecundia pauebat.
Erubescibat ergo Maria, eru-
bescebat etiam Elisabeth; illa
de causâ erubescibat, hæc præ-
verecundia. In muliere modus
pudoris adhibetur; in virgine
pudoris augetur gratia. Vnde
de Mariæ turbatæ consolatio-
ne statim sequitur: Et ait Ange-
lus ad eam: Ne timeas Maria
inuenisti enim gratiam apud
Deum, & car. Hæc omnia D.
Ambros.

Itaque mirū non est si Spon-
sa, id est, nouiter nupta, quippe
quæ erat castissima, pudicissi-
ma, & sanctissima, in re tam no-
ua, & insolita, & insperata totis
visceribus, & præcordiis seu to-
to corde contremisceret, trepi-

daret atque paucet. Est autem locus elegans, & valde contentaneus huic apud Claudianum in carmine de nuptiis Honorij Imperatoris, & Mariæ Reginae nouiter nuptæ, vel desponsatæ, vbi ita canit.
Iam nupte trepida sollicitus pudor.
 &c. quæ sequuntur. Cæterum quoniam asserimus Sponsam præ nimio pudore toto corde, vel totis præcordiis perturbatam fuisse ob aduentum Sponsi intempesta nocte, siue hora fores pulsantis, atque iniecta manu ostium aperire tentantis, nõ abs re fuerit obiter hîc quære-
 re, vtrum amor, alteratio, seu affectio quædam cordis sit propria, siquidem hoc in loco venter (vt iam diximus) pro corde vsurpatur, iuxta linguæ Hebrææ proprietatem. Nam Medicorum quibusdam non imperitis visum est dari naturaliter pulsuum quendam amatorium, ea potissimum ratione, quia omnes animi affectus permutant modum pulsus, & sunt singulis suæ differentiæ, quibus cognoscuntur, vt docet etiam Galenus lib. 2. de causis pulsuum: Ira enim, altum, & vehementem pulsuum facit; gaudium, magnum; & non vehementem, timor vero & mœstitia, paruum, & debilem. Cum ergo amor sit

A quidam vehemens animi affectus proprium quoque habebit pulsus differentiam quam amatorios pulsus constituatur. Facit pro hac sententia, seu parte affirmante authoritas Herasistrati, qui deprehendit adolescentis cuiusdam amorem, illius arterias attrectando, vt refert idem Galen. Ex pulsus permutatione cognouit certi cuiusdam viri vxorem, amare. quæ omnia fieri minime possent, si cuti apparet, nisi pulsus differentia aliqua amore significans daretur.

Sed tamen nihilominus pars negans est verior aut certe probabilior, quia neque ipse Galenus, neque alius quispiam ex grauioribus auctoribus, qui de pulsus differentia scripserunt; de huiusmodi pulsu amatorio aperte meminerunt, quinimo ipsemet Gal. lib. de prænor. Cap. 7. ita concludit: Nugæ igitur magnæ sunt pulsus amatorio modo moueri, &c. Nam amor non est cordis affectus, sed cerebri si est rationalis; iecoris vero, si est turpis. Tantummodo enim cor patitur per consensum, milleque affectibus in diuersa trahitur; cæterum propriam non habet differentiam. Vnde quamuis nullus sit pulsus amatorius, si proprie loqui velimus,

velimus; nihilominus tamen amor ex pulsu deprehendi potest, nam perturbata anima amantis, videlicet, conspectu, vel audito nomine eius, quem amat, cor varè alterari necesse est, atque inde fit pulsus inaequalitas, & indicatio aliqua. Hactenus de hac physica quaestione.

*Et digiti mei pleni sunt myrrha
 probatissima.*

MYRRA, vt est in fabulis apud Poëtas profanos, puella fuit, & in arbore verba est, quæ in Arabia præsertim nascitur, & pro guttis odoratissimis vsurpatur, quæ ex ea manant tamquam lachrymæ puellæ ob pudorem latebram querentis, vnde illud Metamorph. lib. 10.

*Est honor & lachrymis stillat. eque
 cortice myrrha*

Nomen herile tenet, &c.

Sutrius autem vetus comediæ author sic Græcam loquentem inducit, teste Placiace, Myrrhinum mihi offers, &c. vt doceat ex myrrha fieri pocula amatoria, iure, seu lege vetita l. 3. de scar. Nisi forsitan per myrrhinum ibi intelligatur vas potorium, quod & mur-rheum dicitur, vinum reddens

tuauius. l. vasa. ff. de sepulchris. Vnde inferius Cant. cap. 8. Spôsa ait: Dabo tibi vinum conditum. De quo quidem diximus satis in priore descriptione. Ideoque hîc super se debimus.

Pessulum ostij mei, &c.

PESSULUM, seu pessulos ostij vocamus latine, vt patet ex vno illo loco Plauti, vbi Phœdromum quendam perditam amantem, & stantem ad fores amicæ, ita loquentem facit: Pessuli, heus pessuli vos saluto lubens, vos amo, vos volo, vos peto, atque obsecro. Gerite amanti mihi morem amantissimi, & cætera quæ sequuntur.

*At ille declinauerat, atque
 transferat.*

Videndus pro allegoria horum verborum Greg. Nazianz. in Apologetico, vbi ita eleganter, & congruenter inquit: Vix Dei splendorem capimus, quem abyssus operit, cuius tenebræ latibulum sunt, quantumque percipitur, tantumdem se subducit, amanteque sui ex eo quod fugit, ac velut iam comprehensus se proripit, ad superna illicit.

Sic ille. Consentaneus, & germanus est etiam alter locus apud eundem Nazianz. super hac re, id est, declinatione, seu fuga Sponsi caelestis subita. In orat. de fide, ubi in hunc modum scribit: Certe hoc est Deus quod cum dicitur non potest dici; tum aestimatur, non potest aestimari; Cum definitur; ipse definitione crescit, & caetera quae sequuntur. Videndus quoque D. Hylarius Comment. in Psalm. 143. Vbi etiam conuenienter differit de recessu isto & accessu Dei ad animam; & si est otium ad exemplum atque aedificationem, consolationemve Sponsarum, vxorumque pudicarum; legendum erit quod scribit D. August. 2. de adulterinis coniugijs cap. 20. ubi laudans pudicitiam, continentiam, & sobrietatem Syrarum mulierum singularem, ait: plerumque earum maritos negociandi quae sibus occupatos etiam si iuuenes sint, Sponsas suas adolescē-
tulas facile deserere, & vix aliquando senes ad eandem iam anniculas reuerti.

Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.

DE locutione Dei ad animam, praesertim vero per-

Afectam, qualis plane erat anima Sponsae, legendus erit D. Greg. Mag. lib. 4. Moral. cap. 30. ubi ita scribit nimirum mens humana, dum occultae locutionis inspiratione tangitur, a statu fortitudinis suae infirmata, ipso quoque absorbetur desiderio, & inde se apud semetipsam festam inuenit, unde ultra se esse conspicit, fortitudinem quam conscendit; & caetera quae sequuntur. Unde & Rex Proph. Psalm. 96. figuratē & per amplificationem sic ait: Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra. Caeterum pro sensu historico facit illud Genes. cap. 49. Effusus es sicut aqua, &c. videtur enim esse similis metaphora. Quinetiam Plautus in Mose cellaria, de amore ita dicit: Is vsq; in pectus permanuit, perma defecit cor meū. Et Tullius ad Atticum lib. 10. cap. 6. cuius initium est, Et res ipsa monebat, &c. Tulliam filiam lauda ob summam erga se pietatem. i. quod amore effluat, & quasi guttatim liquefcit: ut cera ad ignem liquefcit. Quemadmodum quidam ex interpretibus exponit.

Quasi sui & non inueni illum: vocaui & non respondit mihi.

Sunt quaedam res quae quid habeant voluptatis, iucun-

ditatis, vtilitatis, dignitatis, & pretij carendo, magis quam fruendo cognoscimus, quemadmodum eleganter ait Cicero Orat. post reditum, atque etiam manifestis exemplis ostendit. Quod quidem re ipsa nunc in quaerendo Sponso absente experta est Sponsa, & quidem malo suo, id est, magno cum periculo & damno suo, ob eam praesertim rationem, quoniam noluit in tempore & statim vrgenti aperire Sponso; tamque obnixē petenti & roganti, neque satis considerauit quid haberet voluptatis, iucunditatis simul, & vtilitatis praesentia Sponsi, id est, vultus, sermo & gratia Sponsi praesentis. Ideo quoniam nunc exponit atque commemorat ad eruditionem, & cautionem nostram cum quanto periculo & incommodo Sponsum quasi fuerit & vix tandem, tandem inuenit, dicens: Quasi sui eum & non inueni, vocaui, & non respondit mihi, &c. Legendus autem erit pro allegoria istorum verborum Sponsae, immo totius istius loci praesentis D. Cyprianus, vel potius Author libri qui vulgo attribuitur D. Cypriano, atque pro titulo habet, De operibus Christi cardinalibus, in prologo seu praefatione, ubi inter caetera sic ait:

Deus quaeritur, nec tamē quaesitus illico inuenitur. Gustamus, delibamus, odoramus, & prope est, cumque accesseris, longius abest, & quomodo fulgur nubes dirumpit; & repentina coruscatio non tam illuminat quam hebetat oculum; ita aliquando nescio, quo motu tangeris, & tangi te sentis, eum tamen qui te tangit non intueris. Dicuntur tibi quaedam verba arcana intrinsecus, quae effari non sufficis, ut dubitare non possis, quia iuxta te est, imo intra te qui te sollicitat, nec tamen sicuti est se tibi videndum concedat. Rachel ad odorem, non ad usum Liae mandragoras concupiscit. Tu Sponso fide, non complexu coniungeris, tu spe concipis, donec Christus in te formetur, & deposito ponderis huius cadaveris eiusdem sint pueritatis, caro & spiritus, & renouata natura sobolē immaculatā parturiat, &c. Deinde postea paulò inferius ita congruenter subdit: Cordi igitur nostro se offert Deus & aliquid sui luminis infundit, inuitans, & prouocās. Nisi enim aliquo modo sentiretur, nec appetēdi neque inquirendi spes esset aliqua, vel facultas. Sed quia ex parte sentitur, admirationi est odorilli, & sapor nullam habens cū car-

malibus dulcedinibus similitudinem, & per omnem suauitatem differens; eoque desideratur copiosius, quo cætera delectamenta excedit. Desiderium autem inquirentes purificat, & purificatio exclusis enormitatibus, ad formam Dei prouehit ascendentes, atque ita in opere suo imago, & similitudo Dei multis laboriosisque prouectibus, propriam sibi demum indicat dignitatem, &c. quæ profectur in eadem fere sententiã. Tantummodo ergo diligenter operam demus, ut ne vitio seu negligentia, & culpa nostra Sponsus recedere, seu abire videatur, quod si aliquo modo, quacumque tandem ratione id fiat, id est, abire ei visum fuerit, nihilominus danda est opera, ut quam citissime ille ad nos reueri, aut inueniri simul, & retineri dignetur, etiã cum auctario, id est, cum tanta, vel etiã maiori liberalitate, benignitate, & gratia: plerumque, n. labor, & dolor ille quem impedimus in quærendo & inueniẽdo Sponso, quæstuosus est; quod quidem profecto fiet, si cum exemplo Sponsæ diligenter, constanter, & amanter quæramus, atque etiã dolenter, exẽplo Deiparæ Mariæ virginis genitricis eius, quæ cum eum adhuc puerum tantquam perditum dolenter quæ-

488
Areret, tandem post triduum in templo inuenit, ut refert Luc. c. 2 vbi ita Deipara dixisse fertur. Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, &c. Interim tamen illud pro certo nobis persuadeamus, quod Deus sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Sicut sanctum ac definitum est à Patribus in Concilio Trident. sess. 6 c. 11. & c. 13. vbi rursus ita definitum & repetitum legimus ad verbum. In dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debet; Deus enim nisi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operas velle & perficere. Hactenus Concilium. Quinto etiam D. Aug. li. 13. de Ciui. Dei cap. 15. Et ite li. de prædest. Sanctorum. ca. 9. & li. de bono perseverant. ca. 6. & aliàs sepe, etiã atque etiã affirmat tamquam dogma catholicum congruenter, quod Deus non prius deserit hominem, quam ab homine deseratur. Quod quidem dictum, ut commode, & catholice intelligatur, legendus erit S. Thomas li. 3. cont. gent. c. 139. Et ite Ioannes Louaniensis Theolog. in explicatione Orat. Dom. c. 69. pag. 107. Coniungitur ad maiorem eruditionem & consolationem nostram quæ scribit D. Anselm. de casu,

seu ruina diaboli cap. 3. & ca. 4.

Quæsiui illum & non inueni.

ID est, quæsiui eum & non statim, neque cito, aut facile inueni; nam postea vix, tandem, & magno malo, seu incommodo suo Sponsum a se quæsitum inuenit, & in gratiam cum eo rediit, atque veniam consequuta est, ut pater ex sequentibus verbis, & rebus; Nihilominus tamen in præsentiarum tunc merito cruciabatur Sponsa, meritoque hæc patiebatur, poenali- que negligentia suæ, atque tarditatis iustas luere videbatur, quia scilicet prius ipsa Sponsum quem nunc tantopere inuenire desiderabat præsentem, neque modo præsentem, sed etiam pullantem, instantem, obnixè & suppliciter rogantem, quodammodo tardando neglexit; seu despexit, atque contempsit; si ita fas est dicere. Sic enim est ingenium hominum, etiam vehementer amantium, nempe ut præsentia bona facile contempnant, eademque sublata desiderant, quærant atque suspirant. Plerumque ipsa rerum parit contemptum, fastidium atque etiam inuidiam. De qua re videndus erit Seneca Philosophus Epist. 8. vbi exemplis ostendit quemadmodum interdum

etiam viri excellentes negligentur, contemnantur, nulloque in honore propemodum habeantur, quandiu viuunt & sunt præsentem, postmodum autem, id est, post mortem desiderantur. Iuxta illud Horat. lib. 3. Ode. 3. Virtutem incolumen odimus; sublata ex oculis quærimus, inuidi. Sponsa tamen amoris fiducia in officio faciendo paulo negligentior tardiorque fuisse videtur, quam debuit. Non est enim homo mortalis in hac vita mortali, seu morte vitali, ut loquitur D. August. lib. 1. Confess. cap. 6. qui non aliquando, vel leuiter delinquat: Si vnum, vel alterum excipiamus. Non est enim homo qui non peccet. Ut inquit Salomon 3. Reg. cap. 8. Videndus autem erit ad plenioram intelligentiam huius loci D. Bern. in lib. de diligendo Deo, vbi de amore Sponsi loquens ita scribit: Eius amor noster est, præparat, & remunerat, præcedit benignior, rependitur iustior, expectatur suauior, diues est omnibus qui inuocant eum. Bonus es Domine animæ quærenti te. Quid ergo inuenit? Sed non in hoc est mirum, quod nemo te quærere valet, nisi qui prius inuenit, & cætera quæ sequuntur.

Vocauit, & non respondit mihi.

Vulgare prouerbum est: Iniuria soluit amorem. Veruntamen in Epigram. quodam quaeritur amans hoc dictum falso iactari; quod ipse ab amica exclusus, non sine conuitio, cum iurasset se toto anno non rediturum ad illam; postridie autem diliculo supplex ad eam redierit falsum est, inquit, quod iactant: Iniuria soluit amorem.

Morbum quoque malum uocat illa magis.

Plerumque igitur iniuria prouocat & accendit amorem: unde etiam est illud apud Hieremiam cap. 3. cum sic ait Oraculum: Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum: nunquid reuertetur ad eam ultra? numquid non corrupta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuerrere ad me dicit Dominus, &c. Et Mat. cap. 15. ubi scriptum est de fide & charitate mulieris illius Chanaanæ, rogantibus etiam pro ea Apostolis Christum Dominum ut eam clamantem dimitteret, seu exaudire dignaretur, Clamabat enim misera ad Christum.

A pro salute filiae; Miserere mei, Domine fili Dauid, filia mea male a dæmone vexatur. Nihilominus tamen Christus non respondit ei verbum. Deinde tamen postmodum respondens dixit mulier; Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt de domo Israël; At illa rursus venit & adorauit eum dicens: Dñe adiuua me. Tunc demum Christus Dominus respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis, &c. Sic habet ille dialogus Euangelicus inter Christum Dominum, & mulierem Chanaanæ. Vnde etiam facile apparet falsum esse vulgare illud prouerbum. Iniuria soluit amorem. Quinetiam contrarium est huic alterum prouerbum vulgare apud Comicum: Amantium iræ redintegratio amoris est; quod si verum est in amore prophano, & turpi; multo magis id verum est in amore honesto & diuino. Vide Adag. Hylam vocare. Quod dicere solemus de vocantibus, non audientes.

A mum. Sic Aristoteles.

Inuenerunt me custodes qui circumuehant ciuitatem, &c.

Percusserunt me & vulnerauerunt me, &c.

Videndus Seneca lib. de consolatione fratris ad Polybium, ubi in laudem Cæsaris sic ait: Omnium domos illius vigilia defendit; omnium otium illius labor, omnium illius delicias industria, omnium vacationem illius occupatio, &c. quæ sequuntur in laudem probi custodis, seu pastoris, rectoris, & principis. Talibus enim maxime vigilandum est, non autem dormiendum, aut stertendum tota nocte, nisi corporibus labore & nimia vigilia, & solitudine defatigatis ad recuperandas vires sensuit Socrates apud Platonem, & post eum Aristoteles lib. de moribus. Cum felicitas hominis non in otio, & somno, sed potius in actione & vigilia reposita, multo verò magis salus totius ciuitatis. Aliter ciuitas salua esse non potest, ne dum felix atque beata. Rectè itaque Aristoteles lib. de somn. & vigilia sic ait: Somnus cum requies sit, salutis gratia animantibus inest; Vigilia autem finis est, sentire enim, & sapere omnibus est finis, quæ illorum, alterutrum habent; optima namque isthæc; finis autem opti-

Res tragica est quam narrat Sponsa atrocitatem & indignitatem, simul & commiserationem habere; videtque ex his verbis etiam vulnera, & plagas accipisse à custodibus, usque adeo illi inhumani & barbari fuerunt. Nullum enim memorabile nomen feminea in pœna est, neque habet victoria laudem, ut canit Poëta. Narrat ergo Sponsa quam multa & graui pertulerit pro amore Sponsi, id est, in quaerendo, & inueniendo Sponso absente, & declinante, seu abeunte, eo quod ei noluerit, vel potius tardauerit, & neglexerit aperire. Prouerbum est enim: Cui placet obliuiscitur, cui dolet reminiscitur; Vt refert etiam Paulus Orosius lib. 1. cap. 8. Pro quo facit alterum prouerbum, seu Adag. Iucundi acti labores; Sponsa enim si diligenter attendamus, nunc de laboribus suis actis, & iam transactis loquitur potiusquam præsentibus; ideoque glorians, potius quam conquerendo sic ait: Gloriatur enim (ut dixi) probando vim & veritatem amoris sui erga Sponsum;

quod tam multa & graua illius A
causa passa fuerit; quauis ma-
gno cum periculo, & malo seu
damno suo: Veruntamen sibi
magnam consolationem esse
maximi & clarissimi facti, atque
etiam gloriam sempiternam.
Quandoquidem hoc euidens
argumentum est ingentissimi
amoris, cum scilicet multas B
quispian, ac magnas aduersita-
tes perfert virtutis, honestatis,
& pietatis causa, quemadmo-
dum etiam confitetur, & docet
Arist. 1. Ethic. cap. 10. vbi inter
caetera sic ait: Aduersa premunt,
laeduntque vitam beatam, affe-
runt enim dolores, & multas
operationes impediunt; Atta- C
men & in his ipsis pellucet, &
ipsa honestas, cum multas quis-
pian, & magnas aduersitates fa-
cile perfert, non ob insensibili-
tatem, sed quia generosus est,
atque magnanimus. Haetenus
Arist. Sponsa igitur tamquam
generosa, & vere magnanima, &
fortis, atque inuisa, in amore C
ad exemplum nostrum, & do-
cumentum inducitur nunc a
sacro Auctore, multa, & graua,
quae pro Sponsi amore, id est,
amore amoris sui perpeffa, ali-
quando fuerit commemorans
liuioraque omnia duxisse dum-
modo inuenire & assequi pos-
set, quae quarebat, & vnicè dili-

gebat, ac desiderabat, quique
pro ea aliquando in carne mor-
tali similia atque etiam multo
grauiora, acerbiora, & indignio-
ra passurus erat. Iuxta illud 1.
Pet. cap. 2. Christus passus est
pro nobis, relinquens exemplum
vt sequamini vestigia eius, qui
cum malediceretur non male-
dicebat, cum pateretur non com-
minabatur, &c. quae profequi-
tur in eandem sententiam. Vn-
de Tertul. Apologet. cap. 1. &
cap. ultimo. Inuehens in Tyran-
nos, & persecutores Christiano-
rum sui temporis, ita eleganter
& conuenienter loquitur:
Cruciate, torquete, damnate,
atterite nos; probatio innocen-
tiae nostrae est iniquitas vestra.
Ideoque nos haec pati, Deus no-
ster patitur. Exquisitor quae-
que crudelitas vestra, illecebra
est magis sectae; semen est san-
guis Christianorum, &c. quae
profequitur in eundem sententiam.
Pro qua re legendus erit D. Au-
gust. in lib. de bono viduitatis
cap. 11. vbi etiam congruenter
sic ait: Nullo modo enim sunt
onerosi labores amantium, sed
etiam ipsi delectant, sicut ven-
nantium, aucupantium, piscan-
tium, vindemiantium, negotian-
tium, ludo aliquo se oble-
ctantium. Interest ergo quid
ametur. Nam in eo quod ama-
tur,

tur, aut non laboratur, aut & la- A
boratur, &c. Et Bern. term.
83. in Cant. non minus congruen-
ter, quam verè sic ait: Vbi amor
est, labor non est, sed sapor, &c.
quae sequuntur.

Consentanea & germana
his sunt, nec minus Theologica
quam Philosophica quae scribit
Philos. lib. de congr. quar. B
erudit. grat. tom. 1. pag. 387.
vbi differens de φιλοπονία, id est,
de labore, qui amoris, seu amo-
re virtutis & honestatis suscipi-
tur, inter caetera sic ait de popu-
lo Hebraeorum popularium Iua-
rum: Multi nimis cito defessi
sunt, non ferentes laborem gra-
uem & aduersarium, manus pre- C
langore demittentes, sicut athle-
tae qui desperant de victoria,
certi ad Aegyptiarum affectio-
num delicias recurrere; alij vero
horrendos, grauesque deserti
labores tollerando fortiter, in-
uicti perdurauerunt certissime
concrendentes aduersus naturae
necessitates; adeo vt famem, D
sitim, algorem, aetum a quibus
caeteri facile vincuntur, ipsi de-
uincerent. In causa fuit non so-
lum labor, sed cum eo coniun-
cta dulcedo. Legimus enim
aquam dulcem redditam, quae
dulcedo laboris Graecis φιλο-
πονία vocatur, talis enim dulce-
do nihil aliud est, quam amantis
honestatem, zelus, amor & de-

siderium. Nemo igitur huius-
modi afflictionem refugiat, nec
puter festas epulas vocari pa-
nem afflictionis, tamquam no-
xias, ac non potius vtilis, nam
anima castigata nutritur erudi-
tionis placitus, &c. quae profe-
quitur in eandem sententiam
copiose. Exemplo autem, & so-
lacio simul nobis fuerit Thecla
virgo illa sanctissima & virgi-
num decus, imo omnium mu-
lierum, quae quidem omnium
mulierum Christianarum, & fi-
delium prima martyr fuit, quae
prima scilicet pro charitate
Christi Sponsi vique ad mor-
tem decertauit, ignes, ac bestias
deuincit. Cuius praesertim me-
minit & quidem magna cum
admiratione, & reuerentia, id est,
perhonorifice D. Ambrosius
libro secundo de virgin. epist.
7. & epistola 82. quintiam D.
Chrysostom. Homil. 35. in Acta
Apost. & Greg. Nazianz. Orat.
30. & Epiphanius haes. 38. de-
nique D. August. lib. 30. contra
Faustum ca. 4. vt omittam alios
authores tam veteres, quam re-
centiores. Quapropter, vt in-
terpretationi istorum Sponsi
verborum extremam manum
imponamus, ad plenioram in-
telligentiam, maioremque eru-
ditionem, & consolationem no-
stram, legendus erit D. Aug. lib.
Soliloq. cap. 22. vbi sic ait, & al-

loquitur Christum, qui hic cō-
solantur: Dñe Iesu, indigni tua
consolatione habentur, sed qui
hic cruciatur, à te consolatur, &
qui participant passionibus par-
ticipant consolationibus, per
quem cuncta amara dulcescunt,
&c. Iuxta illud Actor. cap. 5.
Ibant Apostoli gaudentes à con-
spectu concilij, quoniam digni
haberi sunt pro nomine Iesu cō-
tumeliam pati. Cæterum ne
quis errer existimans amandas
per se esse molestias, & difficul-
tates, legendus etiã erit D. Aug.
alio in loco, id est, l. 10. Confess.
c. 28. vbi sic ait: Quis velit mole-
stias & difficultates pati, tole-
rare iubet eas, non amari; nemo
quod tolerat, amat, etsi tolerare
amat, quãuis, n. gaudeat se tole-
rare, mauult tamẽ nõ esse quod
tolerat. Prospera in aduersis de-
sidero, aduersa in prosperis ti-
meo. Quis inter hæc medius lo-
cus, vbi non sit humanæ vitæ
tentatio; Væ prosperitatibus
huius sæculi, semel & iterum à
timore aduersitatis, & à corru-
ptione lætitiæ. Væ aduersitati-
bus semel & iterum, & tertio
desiderio prosperitatis. Et quia
ipsa aduersitas dura est; & ne
frangat tolerantiam, nõ quid non
tentatio est vita hominis super
terrã sine vilo interstitio. Hæc
D. Aug. Cuius autoritas gra-

uissima est. Cui mirificè suffra-
gatur vniuersæ scripturæ sacræ
autoritas, præsertim locus ille
Iob. cap. 7. Tentatio, seu militia,
seu malitia & labor est vita ho-
minis super terram. Vide etiam
Seneca Philosophus epist. 67. ex
autoritate Demetrii congruẽ-
ter & elegãter ait: Vitã securã, &
sine vllis fortunæ incursionibus
mare mortuum esse, &c. Non
est igitur dubitandum quin
Sponsa sic percussa & vulnera-
ta à custodibus ciuitatis dilecti
sui causa, quanto equidem gra-
uius, & indignius ab illis tracta-
ta fuerat, tanto dignior, beator,
& gloriosior inde euaserit, ne
dicam pulchrior apparuerit,
præsertim in oculis dilecti, cu-
ius causa hæc perpeffa est: Lux-
ta illud: Magis quo lassã pul-
chrior. Martian. Capella lib. 6.
de nuptiis loquitur pa. 149. Pro
qua re facit locus ille Act. cap.
6. vbi Lucas Euangel. de Step-
hano protomartyre sic ait: Et in-
tuentes eum omnes, qui erant
in Concilio viderunt faciem
eius tanquam faciem Angeli.
Sic Lucas de Stephano iam ra-
pto ad mortem, & prædam na-
to. Itaque iure ac merito idem
Lucas Euangel. eiusdem libri
Actuum cap. 5. de Apostolis
Christi ait: Illi autem ibant
gaudentes à conspectu Conci-

lij; quoniam digni habitus sunt
pro nomine Iesu contumeliam
pati.

*Tulerunt pallium meum mihi cu-
stodes murorum.*

Pergit Sponsa narrare labores,
& dolores suos, id est, iniu-
rias & cõtumelias, quas expecta-
& passa fuerat, dum Spõsum per
ciuitatẽ quæreret, etiam ab ipsis
custodibus murorum. Totus
enim hic locus à principio vs-
que ad finem, id est, ab illis ver-
bis (Inuenerunt me custodes,
& cætera) vsque ad hæc verba
(Tulerunt pallium meum, &c.)
patheticus est, id est, plenus af-
fectuũ. Est enim pathos, vt de-
finiunt Rhetores, vehemens
incensum & incitatum dicendi
genus, quo scilicet perturban-
tur animæ, & incitantur, &
commouentur affectus; & ex
conditione personæ, & ex rei
magnitudine, seu indignitate.
Personæ quidem cui aliquid
euenit, & à qua euenit, atque in
vtraque dignitas consideratur,
& indignitas. Nam quemad-
modum læti ferimus res digne
factas, ita etiam pari modo ægre
ferimus indignas. In præsentia-
rum autem Sponsa inter gra-
ues iniurias, contumeliasque,
quas à custodibus ciuitatis, seu

circuatoribus, & custodibus
murorum acceperat, hanc præ-
sertim numerat, quod tulissent
pallium suum, id est, quod eam
pallio suo spoliassent contra
ius, & fas, & præter omne de-
corum; per pallium autem for-
tè intelligit Sponsa hæc fla-
meum nouiter nuptarum ve-
lum. Flameo enim velo apud
antiquos nouæ obnubebantur
nuptæ; quod quidem velum
ita à flameo colore, qui ruber
est, dicebatur, quia scilicet re-
cens nupta ingenua quodam
debet rubore perfundi. Pudo-
rem enim Deus naturæ nostræ
indidit ad hoc vt non peccemus;
vt inquit, & docet Chry-
sostom. Homil. 4. in Philipp.
cap. 1. Itaque ad Sponsæ rubo-
rem, atque verecundiam in-
nuendam, singularẽmque Spõ-
sæ pudorem, hæc particula
præsertim addita esse videtur
hïc à sacro authore. Neque læ-
tis habuit in præsentiarum dice-
re de custodibus cõquerendo:
Percusserunt me, & vulnera-
uerunt me; nisi etiam adderet
amplificando rei indignitatem,
Tulerunt pallium meum. Pudo-
rem enim Antiqui tanquam
Deum & numen quoddam di-
uinum venerabantur. Quare
ei Athenis etiam altare erat di-
catum. Lacædemone verò si-

mulachrum positum fuit ea de A causa, quam Paulianus in Laconicis narrat, & refert etiam Cartharius lib. de imaginibus Deorum pag. 137. Ceterum de quodam alio genere pallij, quo Episcopi, & Archiepiscopi ex privilegio utuntur honoris causa, frequenter & sepe meminit D. Greg. Mag. in epist. & ite de eo scribit Innocentius tertius B lib. 1. de sacris altari mysterio cap. 62. vbi de pallij honore pariter & forma & mysterio scribit: pallij enim vocabulum ambiguum, & æquiuocum est; sed in præsentiarum genus quoddam vestis muliebris, non autem virilis significat.

Vt nuntietis ei, quia amore langueo.

Nihil aliud renūtiari Sponso iubet Sponsa amorbunda, quam quod amore langueat, seu vulnerata sit, vt sonat verbum Hebraicum; non vulnera autem, non plagas à custodibus indignè acceptas nuntiare vult, aut iubet, quasi hoc solū sibi sufficiat, atq; etiam similiter Sponso pro fiducia amoris: permagna est. n. istiusmodi fiducia: pauca etenim verba sufficiunt amanti ad subueniendū, opem

que ferendam. Pro qua re videndus erit D. Augustinus tractat. 49. in Euangelio Ioann. super illis verbis duarum fororum ad Christum: Domine ecce quem diligis infirmatur, sic enim ibi ait Augustinus: Miserunt ergo sorores Lazari ad Dominū quoniam absens erat, nuntiantes quod ægrotaret frater earum, vt sic dignaretur venire, & eum ab ægritudine liberaret. Quid ergo nuntiauerunt sorores eius? Domine ecce quem amas infirmatur. Non dixerunt: Veni, amanti enim tantummodo nuntiaandum fuit. Non ausæ sunt dicere, Veni & sana. Non ausæ sunt dicere: Ibi iube, & hic fiet. Car enim non & istæ, si fides illius Centurionis inde laudatur, ait enim: Non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum & sanabitur puer meus; Nihil horum istæ, sed tantummodo; Domine ecce quem amas infirmatur. Sufficit enim vt noueris; Non enim amas & deseris. Sic Augustinus. Videndus quoque erit D. Chrysostomus super illis verbis Iob. cap. 6. Ecce non est auxilium mihi in me. Vbi congruenter per cōparationem impuri amoris de amore puro argumētatur inquit: Sine vi-

dendum sibi esse amplius putandum ij, qui mulierum amoribus exulcerati, ab illis contemni se animaduertunt, quæ res ægritudinem amatoribus affert intolerabilem, animæ quæ erga Deū charitate vulnerata est, quanta fuerit ægritudo, si non amplius eum sibi adesse arbitretur? &c. sic ille per locum à minori ad maius argumentatur. Ceterum vt ne quis scrupulus in verbis remaneat, siue hæreat, sciendum obiter, quod verbum Hebraicum, pro quo vulgatus reddidit (langueo) proprie significat (vulneratum esse) vt patet ex vno qui est 3. Reg. ca. 22. vbi ita scriptum est in persona Regis: Eripe me de exercitu, quia vulneratus sum. Vnde Septuaginta interpretes non male pro (amore langueo) hic verterunt; vulnerata amore ego sum. Alij interpretantur; amore sancta, & ebria ego sum, id est grauiter amore affecta.

Qualis est dilectus tuus, &c.

Docet hic locus plane humanitatem, misericordiā, & commiserationem, seu condolētiam alienorum malorum, præsertim vero in mulieribus; Nam vt ait Arist. lib. 9. de animal. cap. 7. Mulier misericors

magis, & ad lachrymas propenditior quàm vir est, &c. Cui suffragatur B. Isidorus Pelusiota ad Greg. Episcopū lib. 1. Epist. 125. vbi sic ait: Siquidem mulieres cum necessitas vrget diligentioribus, quam viri artibus vti sinceriusque ad Deum confugere consueuerunt, &c. quæ prosequitur in eadem sententiam. Vnde & hic non satis habuerunt filix istæ Hierusalem Sponsam etiam atque etiam interrogare: Qualis est dilectus tuus? nisi etiam adderent; Et quæremus eum tecū, quo quidem apperte significarunt se ex animo condolere & vnā cum Sponsa affici, atque etiam se præptas, & paratas esse, & præsto ad subueniendum, opemque ferendum Sponsæ in tali necessitate. Hoc est medicinam, & solatium, auxiliūque re ipsa se statim adhibituras, quemadmodum oportet, & decet mulieres vere misericordes, & humanas; afficitur enim precibus quodammodo anima, atque, aut ad misericordiā, aut ad placabilitatem, aut ad benignitatem, aut ad improbitatis odium propendet, nisi enim frangeretur quisquam supplicibus cuiuspiam precibus, minime commoueretur, vt rectè inquit, & docet B. Isidorus Pelus. lib. 3.

Epist. 81. ubi de misericordia, & commiseratione differit; sic ergo definitur misericordia, ut sit dolor, vel sensus, simul & studiū medendi, id est, subueniendi alienæ miseriæ, non solum verbis, sed etiam factis & rebus, quod etiam opus, & officium perfectæ amicitia. Vnde & Aristot. lib. 9. Ethic. ca. 11. differens de amicitia ita congruenter ait: Amicos igitur habere necessarium quidem est; maxime in aduersa fortuna. Est enim & ipsa præsentia amicorum iucunda; nam leuantur ipsi dolentes; cum dolentibus ipsis amicis. Nam aspicere quidem amicos iucundum est, præsertim ei qui calamitatibus premitur, fertq; præfidiū aliquod aduersus dolores. Cōsolationem enim ipse amicus, & aspectu, & verbis afferre potest, modo sit dexter. Scit namque mores, ex quibus gaudet atq; dolet amicus. Mulierculæ vero gaudent iis, qui vnā cum ipsis gemunt, & amant eos tamquam amicos & condolentes. Oportet autem omnibus in rebus præstabiliorem imitari, nam viriles quidem natura cauent ne amici secum condoleant, atque omnino simul plorantes mœrentesque non admittunt; fugiunt enim se causam doloris esse amicis,

& car. Hac omnia Arist. Constat autem filias istas Hierusalem, id est, adolescentulas Hierosolymitanas, quas Sponsa adiurasse dicitur, ut si inuenirent dilectum nuntiarent ei, quod ipsa amore langueret; vere misericordes fuisse, si quidem verba earum spectemus quando quidem non solum verbis blandissimis & mollibus Sponsam alloquuntur, sed etiam recipiunt, & pollicentur se vnā cum Sponsa quæ situras esse Sponsum, donec tandem inueniant. Nam inferius rursus aiunt: Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum; quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum. Istuc enim est officium proprium atque præcipuum veræ misericordiæ, id est, & verbo simul, & factō misereri. Itaque oportet, & decet nos exemplo istarum adolescentularum, seu filiarū Hierusalem esse misericordes, & misericordiæ officiis operam dare diligenter. Quinimo in hac parte oportet nos maxime imitari Sponsi ipsius Dei exemplum, consuetudinem, atque etiam naturam, cuius propriū est & præcipuum misereri, cuiusque miserationes antecellere videntur cætera omnia opera eius, iuxta illud Psalm. 144.

ubi Rex Proph. sic ait: Et miserationes eius super omnia opera eius. Super quibus verbis videndus erit D. Thomas. 1. p. q. 21. a. 4. Et item D. Anselmus Profologij cap. 11. & cap. 10. & cap. 9. Quinetiam D. Hieronymus lib. 6. comm. in Isaiam cap. 19. ubi ait: Semper enim indigemus misericordia Dei, & nullus est finis eius clementiæ. Consentanea sunt his, quæ de misericordia Sponsi Dei scribit etiā Philo Iudæus lib. quod Deus sit immutabilis, tom. 1. pag. 263. ubi differens quomodo diuina scriptura Deo attribuat humanos affectus cuiusmodi est misericordia, cum sit, ut diximus, dolor quidam super aliena miseria, seu calamitate subleuāda, congruenter & eleganter ait: Misericordiam in Deo esse antiquissimam, & antiquiorem iustitia, iuxta illud Iacobi cap. 2. Superexultat autem misericordia iudicium, &c. Vnde & Christus Dominus in Euangel. Mat. cap. 5. inter præcipuas hominis beatitudines, seu virtutes, & prærogatiuas, hanc virtutē numeravit dicēs: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiā consequentur. Deinde etiam Luc. cap. 6. ostendens hanc virtutem Deo cum hominibus quodammodo esse communē

ait: Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est. Licet enim, atque etiā oportet & decet nos in hac parte, & quidem omnes sine vlla exceptione, Deum Sponsum imitari & sequi Christum Dominū, quemadmodum rectè animaduertit D. August. in lib. de sancta virginitate cap. 28. ubi differens de præstantia virginitatis inter cætera sic ait: Christus pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, sicut ait Petrus Apost. ut sequamur vestigia eius. Hunc in eo quisque sequitur in quo imitatur. Non in quantum Filius Dei est vnus, per quam facta sunt omnia; sed in quantum filius hominis, quæ oportebat, in se præbuit imitanda; & multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur; virginitas autem carnis nō omnibus, non enim habent quid faciant ut virgines sint, in quibus iam factum est, ut virgines non sint. Sequantur itaque agnum cæteri fideles qui virginitatem corporis amiserunt, nō quocunque ille ierit, sed quocunque ipsi potuerint: possunt autem vbique præterquā cum in decore virginitatis incedit: Beati pauperes spiritu: imitami eum, qui propter nos pauper factus est cum diues esset,

Beati mites; imitami eum, qui dixit, Discite à me quia mitis sum & humilis corde: Beati Lugentes; imitami eum, qui fleuit super Hierusalem. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam; imitami eum qui dixit: Meus cibus est ut faciã voluntatem eius qui misit me. Beati misericordes; imitami eum qui vulnerato à latronib. & in via iacenti semiuivo, desperatoque subuenit, & cætera. Hæc qui imitantur, in his agnum sequuntur. Sed certe etiam coniugati possunt ire per ista vestigia, etsi non perfecte in eadem forma ponentes pedem; veruntamen in eisdem semitis gradientes, &c. quæ sequuntur. Operæpretium autem fuerit consulere super hac re D. Chrysostomum homil. 4. in Epist. ad Philipp. cap. 1. pag. 1034. Vbi copiose, eloquenter, & sapienter, ut solet, de misericordia differit præstatiãque, vtilitatem, & necessitatem eius lucide ostendit: inter alia autem docet misericordiam homini esse innatam, seu naturalem, ut nullam iam excusationem habeant homines immisericordes; sic enim ait: Multa nobis ad virtutem sunt naturalia bona, utpote quod ex natura ad misericordiam vniuersi

monemur homines, atque nihil ita in nostra natura bonum est; quod lachrymis frãgimur, quod flectimur, quod ad misericordiam parati & accommodati sumus. Nemo natura strenuus est, nemo natura vanæ gloriæ studio caret, nemo natura zelo, atque æmulatione superior est, misereri verò natura est omnibus inditum, ut crudelis quisquam sit, & immittis: & quid mirum erga bestias etiam misericordia mouemur, ab eo ex abundanti nobis insita est misericordia, & si catulum leonis viderimus, tale quid patimur, multoque magis super eo quod nobiscum est generis, & cætera quæ prosequitur in eandem sententiam. Itaque misericordia affectus, ut omittam alias eius laudes, hominibus à natura insitus, & inditus est; vsque adeo ut Paulus Apost. in Epist. ad Hebræ. cap. 2. non vereatur affirmare Christum Dei filium debuisse per omnia fratribus assimilari ut misericors fieret, id est, ut non solum per translationem misericors, aut clemens diceretur, sed verè, & propriè dolendo, & condolendo, patiẽdo, & compatiẽdo, misericors fieret de more scilicet veri hominis. Iuxta illud Esaiæ cap. 53. Vere langores nostros

stros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Quemadmodum euidenter apparuit ex vno illo loco Euangelij Ioann. cap. 11. vbi in morte Lazari, etiã atque etiam infremuit, & lachrymauit, tanquam verus homo, & filius hominis. Sic enim ibi scriptum est: Iesus ergo vidit Mariam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: vbi posuistis eum? & dixerunt ei: Domine veni, & vide. Et lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum! Iesus ergo rursus fremens in semetipso venit ad monumentum, &c.

Si quis autem plura super hac re desiderat, is videat Adag. Boni viri lachrymabiles. Vel boni sunt viri lachrymabundi. Vtrūque enim dicitur de his hominibus, qui multum suapte natura propensi sunt ad misericordiam, & clementiam vsque ad lachrymas; quemadmodum testatur Suidas in historiis dict. Αγαθὸι, pag. 10. Vide quoque alterum Adag. Animæ ægrotanti medicus est oratio. Amãtium enim separatio sine dolore aliquo non contingit, atque proinde sine vi aliqua, siquidem Phisici, & Medici dolorem de-

finiunt; ut sit diuisio continui; Nihil autem tam continuum atque vnũ, quam inter se amantes, de quibus dicitur: Anima vbi amat magis est, quam vbi animat.

Dilectus ex dilecto.

Heb. est, id est, dilectus præ cæteris dilectis, qualis etiam est sensus illorum verborum in Psalm. 44. cum ait: Vni te Deus præ participibus vnctis, id est, electis, & sanctis, tam Regibus, quam Sacerdotibus, & prophetis, qui te æteta, seu tempore præcesserunt, vel qui te præfigurarunt. Videndus pro allegoria horum verborum non abs re erit D. Augu. Epist. 52. ad Macedonum circa finẽ, vbi differens de recta dilectione, inter cætera sic ait: Quid autem eligamus, quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius inuenimus? Hoc Deus est, Cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tanto enim nobis melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius est; imus autem non ambulando sed amando, quem tanto habebimus præsentiorẽ quanto eundem amorem, quo in

eum tendimus, potuerimus habere puriorem, nec enim locis corporalibus, vel extenditur vel includitur. Ad eum ergo qui ubique praesens est, & ubique totus, non pedibus ire licet, sed moribus; mores autem nostri non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod quisque diligit diiudicari solent. Nec faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni, vel maliamores. Pravitatem ergo nostra a rectitudine Dei longe sumus, unde rectum amando corrigimur, ut recto recti adherere possimus, & cat. quae profertur D. August. de recta dilectione, vel potius recto dilectione; iuxta illud Cant. Recti diligunt te.

O pulcherrima mulierum.

Proprium Epitheton Sponsae hoc est, ut dicatur, & sit pulcherrima inter omnes mulieres, atque etiam longe pulcherrima, & tota pulchra: talis enim visa est Sponso, qui etiam atque etiam hoc Epitheton ei attribuit, talis quoque visa est adolescentulis, seu filiabus istis Hierusalem, ut patet ex hac appellatione, quamvis alioquin amore langueret, seu vulnerata amore esset, & lachrymabunda propter absentiam Sponsi. Gra-

tior autem est pulchro veniens in corpore virtus; ut inquit Poeta. Quare mirum non est si Sponsa quae suapte natura atque etiam iudicio & testimonio Sponsi erat pulcherrima, talis visa fuerat istiusmodi adolescentulis Hierosolymitanis etiam inter lachrymas, nam corporis pulchritudo etiam inter lachrymas relucet, ac retinetur. Unde beatus Isidorus Pelus. lib. 3. Epist. 83. sic argumentatur; Si enim corporis pulchritudo nec ob stupores immutatur, verum etiam inter lachrymas retinetur, quanto minus animae decor ob incurrentes tentationes, etiam si in calamitatibus versetur immutari debet, & cat. Sic argumentatur.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto.

Semel atque iterum interrogant adolescentulae Sponsam de dilecto, ut eum simulcum Sponsa diligenter quaerant. Quae repetitio Epithesim habet, nec otiosa est, sed potius emphatica, & plena affectus, & commiserationis. Idcirco enim etiam atque etiam certiores fieri cupiunt, qualis sit Sponsus, ut pariter eum quaerant in gratiam Sponsae, cui

tanquam verè misericordes, & officiosae atque etiam religiosae sic amore languenti ex animo condolebant, & compatiebantur, omnique ope & opera mederi desiderant prout dignum erat. Videndus autem erit pro allegoria horum verborum D. August. lib. 9. de Civit. cap. 4. & cap. 5. ubi differens de his animi motibus quos Graeci παθη, nostri autem quidam affectiones, seu affectus & perturbationes, vel etiam passiones vocant, praesertim differit de misericordia, seu commiserationis affectu, ita inquit, Cicero in Caesaris laudibus locutus est, ubi ait: Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior misericordia est. Quid est autem misericordia, nisi alienae miseriae quaedam in nostro corde compassio? quae utique si possumus subvenire compellimur? Scrivit autem motus iste rationi, quando ita praebet misericordia, ut iustitia coneruetur, siue cum indigenti tribuitur, siue cum ignoscitur poenitenti, & cat. quae profertur copiose Aug. de affectu, seu virtute misericordiae, Cuius quidem Christus Dominus quasi quaedam ara & fons est cunctis qui ad eum confugiunt, etiam inimicis.

Quia sic adiurasti nos.

Vnde, ut iam dixi, videri possunt filiae istae Hierusalem, non solum misericordes, pia, & studiosae, sed etiam religiosae fuisse. Quoniam scilicet in officio faciendo addiderunt, Quia sic adiurasti nos, quasi vero etiam rationem haberent adiurationis, cum dixit Sponsa: Adiuro vos filiae Hierusalem. Siquidem hoc in loco adiuratio ista, res sit religiosa, atque ad religionem aliquo modo pertineat, quemadmodum iuratio vel iuramentum.

Dilectus meus candidus & rubicundus.

Si natura comprobatum est, ut eum quem laudas etiam ames, quem vero amas, laudari te ab illo velis, ut inquit Apuleius Platonicus lib. 2. floridorum. Quare mirandum non est si Sponsa Sponsum quem tam impense & vehementer amabat, etiam atque etiam laudet, atque commendet, & in laudibus eius data oportunitate tam diligenter, & studiose spatietur, praesertim verò etiam atque etiam interrogata ab adolescentulis de dilecto dicentibus:

Qualis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierum, &c. Qualis est dilectus tuus, &c. Laudationem autem sic auspicatur: Dilectus meus candidus, & rubicundus, &c. Quasi ita plane dicat: Dilectus meus instar est rosae, quae candorem & ruborem habet, id est, purpureum siue sanguineum colorem albo mixtum habet. Qui duplex color rosae est proprius & peculiaris, & uterque color minifice faciem exornat, pulchramque reddit & decoram, non solum in mulieribus, sed etiam in viris, praesertim vero iunioribus, & adolescentulis. Unde de forma Adonidis pueri cuius etiam meminit Ezech. cap. 8. propter eximiam pulchritudinem, ruborem, atque candorem, quorum utroque mirifice in facie pollebat, dixit quidam Poeta profanus amplificando, & quidem valde eleganter: Laudaret faciem liuor quoque. Alter quoque Poeta de alterius pueri forma ita canit:

Candor erat qualem praefert Latonia luna.

Et color in niueo corpore purpureus.

Quod si allegoricè, & mysticè haec verba interpretari libeat de Christo Domino, secundum

quod filius Dei, simul & homo est, tunc non incommode, neque inepte sic exponemus, quasi dicat Sponsa: Dilectus meus candidus & rubicundus, quoniam quidem secundum Deitatem simplicissimus, purissimus, & lucidissimus, id est, luci simillimus est, qualis plane color albus seu albedo existit, quippe quae principem locum habet inter colores. Iuxta illud Matthaei capite decimo septimo de Christo Domino in gloria transformato: Et resplenduit facies eius sicut sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. Color enim albus siue candor praecipue Deum decet ob eximiam simplicitatem, ut auctor est Plato. Ideoque superis Diis acceptus esse, quia scilicet simplex, latus, & foelix est, hilaritate candoris, sicut & color furvus Diis inferis gravior esse credebatur iam olim apud caecam gentilitatem. Ut docet Arnobius libro septimo contra gent. pag. 220. Tunc etiam quia Christus Dominus secundum humanitatem ob colorem carnis simul & ob copiam sanguinis, qui ex pretiosi eius capitis totiusque sanctissimi corporis vulneribus fluxit, plagisque,

quas insignes in manibus, pedibusque, & in latere palmarum accepit, sicut etiam cicatrices declarabant, non immerito, sed verè, & fideliter rubicundus dicitur. Rubor enim, carnis color est proprius. Itaque secundum quod homo non ineptè rubicundus appellatur, ex quo verbum caro factum est, &c. Videri ergo potest Sponsa istiusmodi Epithetis, nempe (candidus, & rubicundus) quodammodo alludere ad locum illum qui est Esaiæ cap. 63. Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra formosus in stola sua, &c. Vel ut legitur & refertur D. Hieronymus. Quis est, (inquit Esaias) qui ascendit ex Edom, fulgida vestimenta eius ex Bosra, sic formosus in stola candida. Edom enim (inquit Hieronymus ibidem) nempe epist. 61. ad Pammachium, aduersus errores Ioannis Hierosolymitani pag. 753. aut terrenus interpretatur, aut cruentus. Bosra autem caro. Deinde subdit Hieronymus inquit, Paucis verbis totum resurrectionis mysterium demonstrat Esaias, id est, & veritatem carnis, & augmentum gloriae. Ideoque & rubra & fulgida sunt vestimenta eius quia speciosus forma fuit praefiliis

minum, propter gloriam triumphantis in stolam candidam commutata sunt, & tunc verè de Christi carne completum est. Quae est ista quae ascendit dealbata innitens super fratruelem suum? Et quod in eodem libro scribitur: Fratruelis meus rubicundus & candidus, &c. quae sequuntur apud Hieronymum. Caeterum nihil prohibet quominus hoc encomium, (candidus & rubicundus) referamus etiam aenigmaticè, seu per allegoriam ad ingenium, & mores, id est, ad animum, & virtutes Spōsi, videlicet ut quidem vocem (candidi) praesertim referamus ad animi candorem, simplicitatem, & puritatem animi eius singularè; vocem autem (rubicundi) referamus proprie ad verecundiam, pudorem, & modestiam eius virginalem, nana simili encomio eodemque propheta utitur Hierem. Proph. Thren. c. 4. cum in laudem Nazareorum sic per comparisonem ait: Candidiores Nazaraei eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores. Vbi Author quidam allegoricus, sed tamen vetus, pius & catholicus, pro (rubicundiores) non ineptè interpretari videtur, verecundi, & pudebundi, ut sit translatio

in voce verecundi ex eo sum-
 pra, quoniam qui verecundan-
 tur, rubescunt seu erubescunt,
 id est, rubore quodam ingenuo
 perfunduntur. Quemadmo-
 dum etiam docet Arist. lib. 4.
 Ethic. cap. 9. vbi differens de
 verecundia, inter alia sic ait: Ita-
 que definitur verecundia, ti-
 more, timorque dicitur dede-
 coris quidam, & fit perinde at-
 que circa res formidolosas ti-
 mor fieri solet. Nam qui vere-
 cundantur, erubescunt, qui ti-
 ment mortem pallefcunt, &c.
 quæ sequuntur apud Arist. Vn-
 de & Plutarchus in vita Cato-
 nis pag. 127. ait Catonem solitum
 dicere se quoque plus
 adolescentibus delectari, quo-
 rum vultus rubore prius, quam
 pallore perfunderetur, & A.
 Gel. lib. 19. noct. Attic. cap. 7.
 refert Ennium Poëtam ruben-
 tem auroram, pudoris colo-
 rem appellasse. Quinetiam D.
 Greg. Nazianz. Orat. aduersus
 mulieres immodicæ & plus ni-
 mio formæ studiosas cõgruen-
 ter & eleganter ait: Vnicus co-
 lor in mulieribus amabilis est,
 nimirum rubor ille quem pu-
 dor gignit, &c.

De ea autem virtute quam
 proprio vocabulo vulgo appel-
 lamus animi candorem, videtur
 intelligendam esse quod ait

A Christus Dominus Matth. ca.
 5. Beati mundo corde quoniam
 ipsi Deum videbunt, siquidem
 munditia cordis, seu puritas, &
 candor videntur inter se reci-
 procari, idemque propemo-
 dum significare; de qua etiam
 virtute videtur intelligendū
 & interpretandū quod ait
 Paulus ad Corinth. cap. 1. vbi
 ita adhortatur inquiens: Ete-
 nim pascha nostrum immola-
 tus est Christus, itaque epule-
 mur non in fermento veteri,
 nec in fermento malitiæ, & ne-
 quitia, sed in azymis sincerita-
 tis, & veritatis. Super quibus
 verbis videndus erit Cypria-
 nus Martyr, tract. 2. de habitu
 virginis pag. 288. Neque abs re
 erit legere quoque epistolam
 quandam Hermolai Barbari
 ad Antonium Caluum, quæ
 quidē epistola extrat apud An-
 gelum Politianum lib. 12. epi-
 stolarum pag. 131. in qua ille
 eleganter differit de animi can-
 dore atque officio animi can-
 didi, simplicis, ingenui, & puri,
 qualem scilicet oportet esse
 animum hominis veri Christia-
 ni. Hunc enim in primis oportet,
 & decet esse candidum,
 pulchrum, atque formosum, si
 non extrinsecus in cute, & in
 pelle, saltem intrinsecus, id est,
 in eo quod intrinsecus later,

vt loquitur Sponsus. Pro qua
 re videndus est Plato Philoso-
 phus in Charmide, vel de tem-
 perentia princ. vbi videns So-
 crates Charmidem adolefcen-
 tem corporis proceritate, &
 egregia indolē mirandum, sicuti
 prima statim facie appare-
 bat, & illum vnum capti eius
 amore tanquam imaginem
 quandam cuncti contempla-
 rentur, interrogatus à Chære-
 pho; Qualis tibi, ô Socrates,
 adolefcens videtur, an non
 specioso vultu? Mirifice inquit
 Socrates. Tunc subiecit Chæ-
 rephus; Atqui si nudare se vellet
 vultum præ illa intus latē for-
 ma deformem diceres. Sic Pla-
 to. Idemque Plato alibi, id est,
 in Dialog. 5. de Repub. loquēs
 de puerorum amatoribus ait:
 fuscis, viriles, candidos autem
 Deorum filios ab illis vocari.
 Amamus enim singuli pecu-
 liariter, ac sua cuius Sponsa for-
 mosissima videtur, si Deo pla-
 ceat, quoniam species quædam
 est furoris, & præstigij, amor
 iste vulgaris & turpis neq; mo-
 dū neque rationē habet. Ideo-
 que forma mouet oculos no-
 stros non sæpè pulcherrima.
 Quemadmodum eleganter
 ostendit exemplis luculentis
 Lucretius lib. 4. de rerum na-
 tura, cum inquit:

A Nam faciunt homines plerum-
 que cupidine cæci.
 &c. quæ sequuntur.

Electus ex millibus.

Hoc est electissimus, opti-
 mus, & præstantissimus
 ex multis millibus; vel inter
 multa millia, vel inter mil-
 lia millium, si ita dicere fas
 est, vt sit numerus finitus pro
 infinito, & innumerabili; vult
 enim Sponsa dilectum suum
 summum, optimum & præ-
 stantissimum esse, atque in
 hoc genere excellere, id est,
 inter cæteros omnes dilectos
 eximium & incõparabilem, &
 rarissimum, instar raræ auis exi-
 stere, atque proinde non esse
 vlla ratione comparandum
 cum cæteris dilectis; quasi ex-
 ceptio sit totius generis huma-
 ni, & supra vniuersum genus
 humanum, siue præstantiam
 corporis, siue præstantiam
 animæ, id est, siue indolem, si-
 ue mores, & virtutes eius he-
 roicas, & diuinas considere-
 mus. Hæc enim oratio Sponsæ
 cum ait: Electus ex millibus,
 magnam emphasim, & ampli-
 ficationem habet, atque latissi-
 me patet. Neque solum ad par-
 tes corporis Sponsi, sed etiam
 (& quidem multo magis) ad

virtutem & bonitatem heroï-
cam, diuinamque qua ille præ
ceteris omnibus dilectis, atque
etiã mortalibus præditus erat,
referri debet. Nam Hebræi
nomine electi significare solent
quidquid in suo genere bonum
seu optimum, pulchrum, &
perfectum ex omni parte est,
quidquid autem tale est etiam
maximè eligibile, seu expetibile
& optabile est naturaliter,
atque proinde ad rationem, &
voluntatē pertinet, cuius pro-
prium obiectum est bonum,
cuiusque actio propria est. ele-
ctio, quemadmodum docet
Arist. lib. 3. Ethic. cap. 2. vbi ita
inquit: Non omne quod spon-
te agimus est eligibile, sed id
cuius consultatio, seu delibera-
tio antecessit: Electio namque
cum ratione est atque mente.
Hactenus Arist. Hæc ideo di-
xerim, vt ne quis forte in ea re
fallatur, existimans hæc verba
tantummodo esse referenda
ad partes, seu lineamenta, &
formam seu speciem corporis
Sponsi. Dixi autem ad bonita-
tem heroïcam, diuinamque,
quoniam est etiam in homini-
bus quadam bonitas, & virtus
vsque adeo magna, & rara, &
supra communem aliorum ho-
minum sortem, vt merito dica-
tur, & sit heroïca atque etiam

diuina. Quemadmodum docet
Arist. lib. 7. Ethic. cap. 1. vbi
ex professo de heroïca virtute
differit, ita inquit: Maximè
autem virtutem eam conuenit
dicere, quæ est supra nos,
heroïcam, inquam, quandam
atque diuinam, vt Homerus
de Hectore, propterea quod
eximia bonitate præstabat,
dicentem Priamum introduxit.

*Nec iam hominis sane mortalis
filius ille*

*Esse videbatur, sed diuo semine
natus.*

Quare si ex hominibus, ob vir-
tutis exuperationem Dij fiunt,
vt aiunt, talis quidem is habi-
tus fuerit, qui feritati opponi-
tur, atque vt raro fit virum esse
diuum, vt appellare Lacones
cōtuevere, cum valde aliquem
admiratur: Dicunt enim, vir
Diuus hic est. Hactenus Arist.
Consentaneus locus est apud
Platonem in Menonem circa
finem, vbi similiter de istius-
modi bonitate, seu virtute he-
roïca, atque excellenti scribit
dicens: Mulieres quoque bo-
nos viros, diuinos nuncupant.
Et Laconici quoties bonū quē-
dam virum commēdare volūt,
diuinus hic vir aiunt: vnde col-
ligit Socrates virtutem veram
atque perfectam non tam do-
ctrina

ctrina, vel natura, quam diui-
na sorte cōtingere. Consentane-
a sunt quæ de heroïca virtute
ac bonitate scribit etiam Ploti-
nus Platonicus. Enn. 1. lib. 2. de
virtutibus cap. 1. & sequenti-
bus. Vbi disputat de virtutibus
ciuilibus & purgatoriis, seu
purgati animi, & exemplaribus
quibus scilicet maxime Deo
similes efficiuntur. De quibus
etiam generibus virtutum, &
præcipue purgati animi disse-
rit D. August. lib. 10. de ciuit.
Dei cap. 23. & sequentibus, &
item sanctus Thomas 1. 2. q. 61.
a. 5. de virtutibus purgatoriis,
seu purgati animi tradit.

Quocumque igitur nomine
veram perfectamque virtutem
appellemus, non est dubitan-
dum quin Sponsa his verbis
cum ait: Electus ex millibus,
velit dilectum suum non solum
virtutibus & dotibus corporis,
sed etiam (& quidem multo
magis) virtutibus perfectis, seu
purgati animi, vt vocant, ex-
cellere atque præstare ceteris
dilectis, atque etiam homini-
bus cunctis, & quidem longo
interuallo, quemadmodū aper-
te attestatur Rex Propheta in
altero Epithalamio, id est, in
Psalm. 44. vbi vaticinando de
ipso Christo seu Rege Messia,
seu Verbo incarnato, inter alia

fic ait, Vnxit te Deus tuus oleo
laetitiae præ participibus, aut
confortibus tuis, &c. id est præ
ceteris vinctis, seu electis ad
Regnum, & sacerdotium, tales
enim cum eligebantur & initie-
bantur, oleo sancto ungebantur.
Vel præ ceteris hominibus
naturæ eiusdem confortibus.
Omnibus enim his modis in-
terpretari potest & solet com-
modè, fideliter, & Catholicè
hoc vaticinium Dauidis, vt vi-
dere est apud Diuum Basilium
in Psalm. 44. & D. Augusti-
num ibidem, & D. Gregorium
Nazianzen. Orat. 4. de Theo-
logia, & D. Ambros. in Psalm.
118. serm. 8. super illis verbis:
Particeps ego sum omnium ti-
mentium te. Et Euseb. Cæsari-
ens. lib. 4. demonstr. Euangel.
cap. 15. & 26. vt omittam alios
cōplurimos tam Græcos, quam
Latinos. Videtur itaque si dili-
genter attendamus, & verba
hæc Sponsæ præsentia, Electus
ex millibus, cum verbis Regis
Propheta, Vnxit te Deus præ
participibus, vel conforti-
bus tuis, conferamus, videtur,
inquam, vterque locus alte-
ri similis esse, & alterum ex-
ponere, eundemque sensum
habere, si vterque ad Christum
Dominū referatur. Cum ergo
Sponsus testimonio isto Sponsæ

tañs tantusque sit, nempe electus ex millibus; proculdubio dignauserit, quem non solummodo diligamus, præpositumque amori nostro habeamus, admiremur, & imitemur, omnibusque modis promereri studeamus; sed etiam cum eadem Sponsa, & adolescentulis Hierosolymitanis pariter absentem quæramus, donec tandem inueniamus. Inueniemus autem sine ulla dubitatione, si diligenter & cum bonitate & simplicitate cordis quæserimus, & si eius pulchritudinis veri dilectores atque admiratores fuerimus. Iuxta illud Sap. c. 1. Sentite de Dño in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem his qui fidem habent in illum. Imo verò apparet, & plerumque sese offert, utroque occurrit his qui non eum quæserunt. Ut indicat Esai. cap. 65. atque ipsa rerum experientia ostendit. Et Paulus Apost. in concione sua ad Athenienses ut refert Luc. cap. 17. Deus non longe abest ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, mouemur, & sumus. Vnde etiam illud Persij: Nec te quæsiueris extra.

Caput eius aurum optimum.

Pergit Sponsa particulariter, vel per partes describere virtutes & prerogatiuas, seu præstantiam, & pulchritudinem dilecti supra cæteros omnes dilectos atque mortales. A capite autem præsertim aspiciatur, tanquam à potiori, & nobiliori corporis totius parte, ut ne quis forte suspicetur Sponsam hinc alludere ad auratam sponsi cæsariem quæ aurum optimum imitari videtur. Nam statim subiungit de comis Sponsi sui loquens, Comæ eius nigrae quali coruus. Neque etiam mihi videtur Sponsa tantummodo alludere ad aurea & pretiosa illa ornamenta quæ augmentum Sponsi caput exornabatur, sed potius significare voluit capitis Sponsi, atque etiam humani præstantiam supra reliquas corporis partes. Totus enim homo si diligenter attendamus, in capite quodammodo existere, seu consistere videtur. Quemadmodum affirmant sapientes. Vnde Apuleius li. de dogmate Platonis pag. 196. sic ait: At verò tres partes animæ cum dicat esse Plato rationabilem, id est, mentis optimæ portionem, hanc ait capitis

arcem teneri. Totum verò hominem in capite vultuque esse, &c. Idemque Apuleius alibi, id est, Apolog. i. p. 239. agens de morbo comitiali ita cõuenienter scribit: Eum nostri non modo maiorem, & comitalem, verumeriam diuinum morbum, ita ut Græci *ἑπὶν νοσῶν*, verè nuncuparunt, videlicet quod animi partem rationalem quæ longè sanctissima est eam violet. Hactenus ille. Quod si hæc verba ad diuinitatem Sponsi referamus, quæ per caput atque etiam per aurum purissimum mirificè repræsentatur, non ineptè Christo Domino adaptantur. Caput enim Christi Deus est, seu diuinitas, ut inquit, Paulus Apost. 1. Corinth. cap. 11. vbi ait: Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est; caput verò Christi Deus, & Ephes. cap. 1. & cap. 4. & cap. 5. & Coloss. cap. 1. & cap. 2. & aliàs sæpenu-mero Christus Dominus non solum caput Ecclesiæ atque etiam omnis principatus cælestis appellatur. Aurum autem optimum Hebræi propriè appellant Paz, Græci autem *ἄβρῦζον*: Quod aurum ita per ignem est coctum, & purgatum, ut nihil supra. Quale sanè Latini aurum purum putum appel-

lare solent per amplificati- nem. Tale aurum est, vel certè esse videtur nostris temporibus illud cuius bonitas in quatuor & viginti caractis indicatur, id est, notis gradibusque bonitatis consumitur. Ultra enim nequaquam exquiritur. Atque ita propter eximiam eius præstantiam, bonitatem, & pretium, ut omittam alias eius proprietates, & prerogatiuas, inter cætera omnia metalla, symbolum est diuinitatis. Nisi fortè per aurum optimum alludat Sponsa ad coronam Regni auream quam per forum ferebat publicè de more regio, in teatro, inquam, & pro tribunali; vel etiam ad coronam illam auream nuptialem, qua scilicet in die nuptiarum coronauit, seu donauit eum honoris, & amoris causa mater sua. De qua corona dixerat ipsa, vel chorus adolescentularum supra Cant. cap. 3. filiæ Hierusalem venite, & videte Regem Salomonem cura diademate quo coronauit eum mater sua. Qui sensus iuxta historiam non videtur improbabilis, neque displicet mihi. Sed melius & simplicius est ut hæc oratio Sponsæ, Caput eius aurum optimum, sit comparatiua, sicut & sequentes oratio-

nes. q. d. Caput eius simile auro optimo, vel instar est auri optimi, hoc est, purissimi, splendidissimi, & pulcherrimi, vel etiam caput eius pulchrius est massa auri solidi, purissimi, & optimi, & fulgentissimi. Nihil est enim istiusmodi auro formosius, nihil pulchrius, nihil aspectu iucundius. Itaque non abs re erit, si per aurum optimum interpretemur hinc præsertim plenitudinem sapientiae quæ instar auri optimi residebat, atque relucebat in capite Sponsi, tanquam in propria sede, seu domo, id est, augustum Sponsi caput exornabat. Sic enim Platonicus vocabulo auri vtuntur pro vocabulo sapientiae. Vnde ipse Plato adolescentes commonebat, vt aurum non in corpore, sed in animo gestarent, vt præter sapientiam, nullam rem aliam adamarent. Vt videre est apud Platonem l. 3. de Republ. si. & item l. 7. de Repub. pag. 422. Nihil enim pretiosius, aut præstantius sapientia. Quo sensu etiam videtur loqui Ioann. Apost. Apoc. cap. 3. cum præcipit aurum ignitum emere: per aurum enim ignitum sapientiam videlicet intelligens. Quippe quæ si in laudata illa Critolai libra cum vniuerso au-

ro, & argento, atque lapide pretioso comparetur, sapientia laus, proculdubio terram suo pondere mariaque contingeret: vt loquitur Cicero. Vnde & Salomonis regi petenti sibi sapientiam à Deo; respōdit Oraculum diuinum; Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi diuitias, &c. sed postulasti tibi sapientiam ad discernendū iudicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens, sed & hæc quæ non postulasti dedi, diuitias, & gloriam, vt nemo fuerit similis tibi in cunctis Regibus, & cætera. 3. Regum cap. 3.

Comæ eius sicut elata palmarum.

ELata palmarum dicuntur crispantes illi palmarum ramusculi, qui pulcherrimi sunt, quos quidem cinnamini & calamistrati capilli imitantur, siue capilli flauis, siue nigri sint. Niger tamen capillus crispus commendari solebat, atque laudari magis tanquam magis virilis, præsertim apud Palæstinos; iuxta illud, Flauo; & nigro crine decoræ. Vnde etiam Sponsa statim subiungit: Nigra quasi coruus. Hinc patet sensus horum

Sponsæ verborum, cum per cōparationem in laudem capillorum, seu comarum Sponsi hinc ait: Comæ illius sicut elatæ palmarum, ac deinde statim adiecit: Nigra sicut coruus; loquitur enim Sponsa iuxta opinionem mulierum Palæstinarum vulgarem, & receptam. Pro qua re videndus erit Apuleius lib. de Deo Socratis pag. 150. vbi corui colorem eleganter laudat, atque commendat. Obseruandum tamen, id est, quod si vere & proprie loqui velimus, olim apud veteres Latinos, nigrum ab atro non nihil videtur differre; quoniam omne atrum est nigrum, sed non omne nigrum etiam atrum est. Atrum enim horroris aliquid habet, estque visu triste, & iniucundum, atque proinde lugentibus peculiare: at nigrum non item. Est enim nonnumquam lepidum, at vetustum. Traduntque, flauam Achillis comam, caloris & iracundiæ fuisse argumentum. Quod tales sint flauabili laborantes, & ad iram sint propensiores, qui crines flauos habent. Videndus quoque ad pleniorē intelligentiam horum verborum erit Lipsius Comment. in Cornel. Tacit. lib. 14. num. 34. vbi inter alia illud ex Suetonio Tran-

Aquillo de Nerone Cæsare refert; quod barbam primam posuit, conditamque in auream pixidem & pretiosissimis margaritis ornatam Capitolino Ioui consecrauit. Itaque Deo alicui sacrari solita erat barba prima, honoris causa, apud Romanos; vt apud Græcos virginum, puerorumque coma; vsq; adeo tantus semper bonus habitus fuit barbæ primæ, comæque virili. Contentanea sunt quæ scribit idem Lipsius comm. ad Cornel. Tacit. Germaniam num. 18. Rutilæ comæ, &c. de crine scilicet flauo, & nigro. Cæterum iuxta allegoriam colori nigro, belle & mirifice conuenit cum mysteriis Dei altissimis, & caligine, seu ignorantia, ac reuerentia secretorum diuinorum. Quod diuinæ mentis arcana obscura nobis & ignorata sint; vnde & cælestes illæ mentes, dum diuinam sanctitatem laudant, Esai. cap. 6. prætentis alis seu facies suas, aut ipsius Dei faciem obuelant. Tum quod Deus suæ mentis arcana occultet, & abscondat; tum quod ipsi Angeli non audeant oculos attollere ad diuinæ sapientiæ occultata perscrutanda. Vnde etiam idem Esaias alibi, id est, cap. 45. cum iuramento, vel certe cum magna quadam asseueratione

fic ait: Vere tu es Deus absconditus; &c. Pro qua re videndi sunt allegorici interpretes super illis verbis Psalm. 17. Et caligo sub pedibus. Et Psalm. 96. Nubes & caligo in circuitu eius. Videndus præsertim erit D. Dionys. li. de mystica Theologia cap. 3. & item epist. 5. ad Dorotheum, ubi disserit de caligine diuina. Præterea videndus erit D. Hieronymus cōm. in Ezech. cap. 40. Quinetiam Synesius Episcopus orat. de prouidentia pag. 66. Denique consulendus etiam super hac re erit Rabbi Moyses Ægyptius lib. 1. Moreh. ca. 58. cuius auctoritas grauis est non solum apud suos, sed etiam apud nostros Authores.

Nigra quasi coruus.

Videndus Montaltus medicus de visu lib. 5. cap. 14. & cap. 15. Albus color ut scribit Plato lib. 12. de repub. Diis immortalibus conuenit, & lætitiæ signum præfert; nigrum vero, contra, mortalem vocat Hippocrates lib. de morbo facro, siue alius est eius libri author. Hinc videtur factum, ut in sacrificiis, conuiujsque, & spectaculis albis vestibus uterentur, &c. ut adnotauit Tor-

rentius Episcopus scholiis in Suetonium in Domitiano cap. 12. Caterum ut ne quis forte hæreat, vel allucinetur in his verbis Sponsæ, animaduertendum illud est, nempe hoc quod ait Sponsa hîc laudans Sponsi sui comas, non à rubeo, sed potius nigro colore, dicens: Comæ eius nigræ quasi coruus, nõ esse contrarium verbis statim præcedentibus ipsius Sponsæ cum dixit: Caput eius aurum optimum. Absit enim ut Sponsa, vel Author sacer, vno, eodẽque loco, seu contextu, & versu sibi contradicat, id est, contraria, & inter se pugnantia loquatur, præsertim secundum historiam. Cum ergo dixit Sponsa prius, Caput eius aurum optimum, tunc plane & præcipue respexit non ad capillum, seu comam Sponsi, sed potius ad coronam auream, & alia aurea ornamenta omnia, quibus caput Sponsi totum adornatum erat, atque proinde quasi totum esset aurum optimum, sic collucebat, & rutilabat. Cum autem continuo subiunxit Sponsa hîc: Comæ eius nigræ sicut coruus, tunc proprie & tãtũmodo ad colorẽ comarũ Sponsæ natium respexit. Pro hac interpretatione facit locus quidam qui est apud Martianum

Capellam Poëtam lib. de nuptiis philologiae exempli gratia. Vbi reddens rationem, ob quam sol passim à Poëtis Auricomus vocitetur, sic ait: Nam solis Augustum caput radiis perfusum circumactumque flãmantibus velut auratam cæsariem rutili vertici imitatur. Deinde postea inferius ait de eodem sole tanquam Deo quando loquẽs, ipsius vero diui auro tinctam cæsariem, comasque crederes broceratas. Sic ille.

Oculi eius sicut columbe super riuulos aquarum, que lacte sunt lotæ, &c.

IN oculis animus præsertim habitare videtur, ut inquit Plinius, Palamon quoque oculos flores animi dictitabat; præsertim vero inter amãtes, ideoque in Cant. isto amatorio, seu dialogo inter Sponsum & Sponsam tam frequenter & sæpe vltro, citroque laudantur & commendantur oculi etiam per cõparationem, quatenus oculi humani & inter se amantium oculis columbinis comparãtur propter insignem (ut alias diximus) istius auis, id est columbe, simplicitatem, innocentiam & fidem coniugalem. Denique propter singularem istius ani-

mantis munditiem.

Pro allegoria autem istius loci totius, operæ pretium fuerit legere quæ scribit B. Isidor. Pelus. lib. 62. epist. 112. ad Eutonium Diachonum, in qua ita de officio probi Rectoris, seu pastoris Ecclesiastici, & Episcopi, qui instar est oculi, seu oculorũ in Ecclesiæ corpore, per cõparationem scribit. Quandoquidem oculis vniuersum corpus moderatur, faciẽmque exhilarat, atque exornat, atque omnium membrorum lucerna est, propterea velut in regia quadam sede collocatus est, ut qui supernam sedem nactus sit alijsq; sensibus præsideat. Quẽ admodum enim sol in terrarũ orbe, sic oculus in corpore est, & quemadmodum ille, si extinguatur, omnia perturbabit, sic etiam extincto oculo, & pedes, & manus, & totum penè corpus inutile reddetur. Quorsum hæc dixi, nempe quia magister quoque corporis Ecclesiæ oculus est; Quare si hic lucidus fuerit, hoc est virtutum radiis splendeat, totum corpus lucidum erit, utpote quod ab ipso regatur, & gubernetur, eamque quam par est, curam cõsequatur. Si autem tenebrosus sit, hoc est, ea quæ tenebris digna sunt perpetret, vniuersum

sum propemodum corpus ob-
 scurabit. Ob eamq; causam di-
 ctum est: Si ergo lumen quod
 in te est tenebrae sint, tenebrae
 ipsae quantae erunt? veluti si
 quispiam dicat Ecclesiae tyrā-
 nicis cupiditatibus magistram
 habenti, si is qui aliis prodesse,
 ac lumen afferre debent ne il-
 luminari quidem sustinet, verū
 eos quoque qui prodesse insti-
 tuunt, amollitur, qui sub ipsius
 imperio sunt, à quo tandem fla-
 gitio abstineant, &c. Hæc ille.
 Consentanea sunt & similia
 quæ habet idem Pelusiota epi.
 165. vbi etiam congruenter ex-
 ponit locum illum Euāgelicum
 alterum Matth. cap. 10. Estote
 ergo prudentes, sicut serpen-
 tes, & simplices, sicut colūbæ,
 sic enim ibi ait: Prudentia sim-
 plicitate temperata, diuinam
 quandam rem, hoc est numeris
 omnibus absolutam virtutem
 parit: At si altera ab altera seiū-
 gatur, illa in peruersitatem in-
 cidit, hæc in stultitiam definit,
 &c. quæ prosequitur in ean-
 dem sententiam. Coniungun-
 tur his ad pleniorē intelligē-
 tiam, & eruditionem nostram,
 quæ hac de re habet idemmet
 Pelusiota Epist. 268. Vnde &
 veteres Ægyptij simulachrum
 probi principis ita repræsentab-
 ant, vt oculum pingerēt cum

sceptro, nimirū quod oculus in
 corpore, id verus, probusq; prin-
 ceps in repub. quod sol in cœ-
 lo, princeps in populo, sol ocu-
 lus mundi, princeps oculus mul-
 titudinis: vt ait quidam de offi-
 cio & ingenio probi principis.
 Itaque non immerito Sponsa
 hoc in loco inter alias laudes &
 prærogatiuas Sponsi hanc po-
 nit, laudans, & commendans
 eum ab oculis quasi columbi-
 nis, id est simplicibus, sinceris,
 & fidelibus, tales enim sunt
 oculi columbarum super riuu-
 los aquarum, quæ lacte sunt lo-
 tæ. Nihil enim simplicius: nihil
 mundius, nihil etiam aspectu
 iucundius, aut amabilius. Vide
 Adag. Sedens columba pag.
 1280. Videndus Arriani Epicte-
 tus lib. 4. cap. 11. vbi differit de
 munditia. Et item Lipsius in
 Electis lib. 1. cap. 13. vbi scribit
 de vestitu veterum Romano-
 rum & alba veste; color enim
 albus qui proprius est colum-
 bæ præcipue, vt alias diximus,
 Deum ministros eius sacros de-
 cet, simplicitatēque, innocē-
 tiam, & candorem columbæ de-
 argentatæ, significat, quemad-
 modum adnotauit etiam Greg.
 Nazianz. Orat. 28. pag. 613. cum
 exponit eum locum Marci cap.
 16. de Angelo cooperto stola
 candida; vnde etiam inter alia
 Syluestri

Syluestri primi decreta istud
 refertur: Presbyter celebratu-
 rus, neque serico, neque panno
 tincto vtatur, sed lineo & quidē
 albo. Sic enim in albis celebra-
 dum esse dicebat, quemadmo-
 dum in linea, sindone, & alba,
 Christi corpus sepultum est.
 Itaque recte & conuenienter
 Sponsa hoc in loco Sponsum
 suum principem pastorū, sum-
 pta metaphora ex oculis co-
 lumbinis, & ingenio, seu natu-
 ra, munditiaque singulari, ab
 oculis præsertim commendat.

*Quæ lacte sunt lotæ, & resident
 iuxta fluentia plenissima.*

Non satis habuit Sponsa
 dicere per comparatio-
 nem oculos Sponsi sui esse si-
 miles oculis columbarum, su-
 per riuulos aquarum, nisi quia
 simplices, amabiles, seu amora-
 bundos, quales planè sunt ocu-
 li columbarum, sed etiam ad-
 didit, quæ lacte sunt lotæ, & re-
 sident iuxta fluentia plenissima
 q. d. quæ quidem columbæ
 sunt albissimæ, vel dealbacissi-
 mæ, & mundissimæ, quippe eū
 præter natuum, & proprium
 candorem, siue alborem, etiam
 lacte sunt lotæ, & insuper resi-
 dent iuxta fluentia aquarū ple-
 nissima, in quibus lauari & mū-

dari possunt. Atque proinde
 hoc additamentum valde est
 emphaticum, elegans, & accō-
 modatum ad significandam sin-
 gularem & incredibilem Spon-
 si munditiam, siue candorem
 tam corporis quam animi, qui
 in Sponsio erat, id est & intus, &
 extra, & secundum quod ho-
 mo, & secundum quod ver-
 bum cum sit candor lucis æter-
 næ, & speculum sine macula
 Dei maiestatis, & imago boni-
 tatis illius, Sapient. cap. 7. Et re-
 fertur atque exponitur à Pau-
 lo Apost. Heb. cap. 1. cum de
 Christo Domino ait: Qui cum
 sit splendor gloriæ & figura
 substantiæ eius, &c. Videndus
 Niceph. lib. 1. cap. 4. de Effigie
 & candore corporis Christi Do-
 mini.

*Genæ illius sicut areolæ aromatum
 consistit à pigmentariis.*

AD pleniorē intelligen-
 tiam huius comparatio-
 nis, seu metaphoræ, atque etiā
 eorum quæ diximus in Comm.
 legendus erit Plinius lib. 15. cap.
 24. vbi scribit de opere topia-
 rio, id est, de opere viridaria ex-
 ornandi; qui enim huius artis
 periti sunt, id est, viridareis ex-
 ornandis operam dant, hi varij
 generis animalia ex arbutis fru-

etibus, aliisque plantis & herbis A fingunt, præsertim vero ex myrto, quia scilicet sequaci & flexili materia constat. Vnde præter alias figuras, litteras artificis nomen referentes & amoris symbola formare solent. Hac enim planta topiario accommodatissima est. De quo artificio, nempe topiario vide l. Instrumenta. ff. de lege de fund. instr. l. cum quæreretur. §. fin. ff. de legat. iij. vtuntur quoque & pictores opere topiario, dum obiter albufti, vel fructicis, vel herbæ imagines addunt & agrestes res inferunt ad ornamentum, & decus picturæ. Topia huiusmodi opera omnia, vno generali vocabulo Vitruuius appellat lib. 7. cap. 5. Itaque Sponsa hac comparatione, dum genas Sponsi sui areolis aromatum confert, plane ad opus seu artificium topiarium alludit, de quo etiam extat elegantissimum carmen apud Pontianum de hortis Hesperidum li. i. pag. 148. Cuius initium: quod si nec studium, &c. quæ sequuntur.

Cæterum de Christo Domino atq; in persona Christi Domini videtur ratiocinari Esai. e. 50. Corpus meum dedi percussentibus, & genas meas vellentibus, & cætera. videndus Athanasius in serm. de passione Do-

mini. Item de principe Apostolorum scribit eius discipulus Clemens; & narrat vera historia quod post trinam negationem, & gallicantum, non satis habuit semel tantummodo amare flere, sed etiam postea temporis tam frequenter & sæpe, assidueque flere, ac lugere solebat vt sulcos, seu fossulas, quasi areolas aromatum ex arte topiaria factas in genis habere præ nimia scilicet flendi, seu lugendi peccati continuationem, vsque ad eo semper, ac perpetuo flendum, dolendumque est pro peccato. Pro qua re legendus erit Eusebius Emiss ad Monachos hom. 5. pa. 105. vbi sic ait: Non puremus tam facile remitti posse iniusta semel crimina, & profundo vulnere in animæ ipsius impressa visceribus. Multo opus est fletu, multo gemitu, multo dolore cordis. ad sanandum cordis dolorem, &c. Idem Euseb. hom. 10. ad Monachos pag. 117. eadē de re ita cōgruenter ait: oportet itaq; sicut supra mortuum conclamatū, ita magnos super extinctā animā dare planctus, & quomodo solet mater orba super amissione vnici sui fracto pectore lamentari: ita conuenit super vnica suam, sed eum spe reparationis affligi, &c. Sic ille.

Labia eius lilia distillantia myrrham primam.

VEL potius vt quidam vult, si fortè bene vult, aut bene opinatur, legendum erit: labia eius rosa. Rosa enim sanguinei coloris sunt, & dicuntur, quemadmodū videre est apud Claudianum Poëtam cum Ennenses agros describit. Turgidus in flores à zephiro factos ait sanguineo splendore rosas, &c. Rosea namque labra tunc aptius ad naturam quadrant humanam quam perfecte, planeque Sponsus formam hominum indutus ex purissimis sanguinibus virginalibus assumptis, quam lilia, nisi forte per lilia hic intelligamus non equidem lilia alba, sed potius lilia rubra; aut nigra quæ sunt purpurei coloris. Vnde etiam extat Simonidis versus. Oreque purpureo, voce tunc virgo locuta.

Manus illius tornatiles, aureæ plenæ Hyacinthis.

INTER opera ex arte facta, ea quæ sunt torno elaborata maiore in pretio habentur, & tanquā perfectiora laudantur, & commendantur magis, quam ea quæ scalpello fiunt; ideoque

A manus Sponsi, quia scilicet naturaliter perfectæ erant, tornatiles prædicantur, quasi ad tornum factæ essent, vel ad amulsum, vt vulgus prouerbialiter loqui solet. Ars enim quodammodo naturam imitatur, & perficit. Hac etiam metaphoræ vsus est Cicero eleganter in lib. de vniuersitate, vbi ita loquitur: Deus mundum ita tornauit, vt nihil possit fieri rotundius, id est, perfectius; Quinimo etiam interpres noster Latinus hoc verbo, tornandi, vsus est in Esai. cap. 44. vbi Oraculum diuinū irridens vanitatem idolorum, id est, Deorum falsorum, manumque factorum, & ligneorum, ita loquitur: Artifex lignarius extendit normam, & in circino tornauit illud, & fecit imaginē viri, quasi speciosum hominum, & cæt. quæ sequuntur.

Neque satis habuit Sponsa laudans Sponsi sui manus dicere quod essent tornatiles, id est, teretes, seu longæ, atque rotundæ; Cuiusmodi manus præcipue laudantur, sed etiam addidit statim quod essent aureæ, plenæque Hyacinthis; propter annulos aureos scilicet & lapides pretiosos, quibus ornatae erant, non solum ad gratiam, & decorem, verum etiam ad significandam Sponsi liberalita-

tem, seu benignitatem, id est, voluntatem, & propensionem ad largiendum, talis enim decet esse manus probi Regis, ac principis; nempe auro, & hincinthis plenas, id est, diuites, & opulentas, faciles, atque propensas, paratas, & porrectas ad largiendum potius quam ad accipiendum, quasi ad hoc præcipue munus sibi datas, natas, & factas habeat manus. Vnde & inter sacras litteras Ægyptiorum deformatur manus dextra expansa, liberalitatem significans; sinistra vero compressa tenacitatem, vt tradit Diodorus in lib. 4. Bibliothecæ; iuxta illud Eccl. cap. 4. Non sit manus tua porrecta ad accipiendum, & ad dandum collecta. Vnde & Apostolus Act. cap. 20. Oportet inquit, suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere. Videndus pro hac re, siue sententia, erit Clemens Alexand. Strom. lib. 2. pag. 459. vbi sic ait, Re vera Dei est imago homo bene faciens: qua in re etiam ipso beneficio afficitur gubernator; simul enim seruat, & seruat, &c.

Consentanea sunt quæ scribit Philo Iudæus in lib. de officio iudicis rom. 2. pag. 449. vbi sic

A ait: Nam verum profecto est illud, quod quidem ex veteribus non inscite dixisse fertur, homines videlicet nulla alia in re Deum sequi, quam in benigne faciendo, & cætera. Vnde & Cicero libro secundo de nat. Deorum pag. 48. rectissime illud animaduertit cum ait: A maioribus autem nostris optimus maximus Iupiter dicitur, & quidem ante optimus, id est, beneficentissimus, quam maximus; quia maius est, certèque gratius prodesse omnibus, quàm opes magnas habere, & cætera. Simplicius quoque Philosophus comm. in Epictetum capite vigesimo quarto eleganter, & congruenter inquit ac docet: in potestate nihil inesse quod sit expetendum, præter vnâ beneficiendi facultatem; quam qui negligant eos, & mala illius experiri, & bono pœnitentia fraudari. Regia namque suadela est donatio, & liberalitas, vt quidam ait. Aristoteles quoque libro tertio Politic. capite decimo, & vndecimo, vbi scribit de heroicis illis temporibus ait: Reges olim creati solitos qui erant maxime benefici. Hinc Ptolemæi Lagi filius maxime ab historicis celebratur, quia scilicet maxime beneficius erat; vnde etiã se-

pèdicere solebat regalius esse ditare, quàm ditari, seu ditescere, vt author est Plutarchus in Apophthegmat. Regum. Idemque Plutarchus in vita Alexand. Magn. pag. 261. sic ait: Cæterum cum Alexander munificentissimus esset eo magis liberalitatem auxit quo latius ipsum propagauit imperium, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam de Alexand. Magni liberalitate singulari, & in dandis beneficiis alacritate. Comprobari, & confirmari hæc possunt ex vno loco Euangel. Luca ca. 22. vbi Christus Dominus in laudem liberalitatis, seu benignitatis & beneficentiæ sic ait: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vsq; adeo hæc virtus propria & præcipua regum, principumque est, imo verò Dei Opt. Max. Sponsique ipsius diuini propria & familiaris esse videtur. Vnde & D. Gregor. Nazianz. Orat. de pauperum amore pag. 125. sic ait, atque adhortatur omnes: Fac, inquit, calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitandum, nihil enim tam diuinum homo habet, quàm de aliis bene mereri, & cætera.

Vtraque autem manu libe-

raliter, & largiter exercenda est misericordia dispergendo, & dando pauperibus quâdoquidem ambæ Sponsi manus aureæ, & sapphiris plerumque esse prædicantur. Vt sic etiam quodammodo imitemur principem illum inclitum Aod, qui vtraque manu pro dextera in bello quasi ambidexter utebatur; vt testatur sacra historia Iudic. cap. 3. Præclarum quoque est manibus lustrari vt in omni loco pure attollantur; vt eleganter inquit Gregor. Nazianz. Orat. 40. alludens ad illud Apostoli 1. tom. cap. 2. Volo vos orare in omni loco leuantes puras manus, &c. Etenim manus instrumentum etiam sunt orationis, vt patet ex vno illo loco Exod. cap. 17. vbi scriptum est: Cumque eleuaret Moyses manus vincebat Israël, &c. Quinimo hic gestus, seu habitus proprius est orantium, & deprecantium, vt scilicet leuent manus in celum, vt etiam notauit Arist. lib. de mundo, ad Alexandrum. Vnde & Poëta Latinus lib. 2. Æne. loquens de Cassandra, ita eleganter cecinit:

In celum torquens ardentia lumina frustra,

Lumina, nam teneras arcubans vincula palmas.

Vsq; adeo procliue naturale

& solemne est vt Deum precantibus manus, vel palmas ad caelum tollamus.

Plena Hyacinthis.

VOx Hebraea Tharsis pro qua vulgatus Latinus hoc loco reddit (Hyacinthus) valde est ambigua, varièque interpretari potest, & solet, pro circumstantia loci, quemadmodum alias admonuimus, atque exemplis ostendimus. Veruntamen inter alia significata praecipua gemmam significat pretiosam, cuiusmodi est Hyacinthus, sicuti visum est vertere vulgato Interprete Latino, & aliis plerisque vulgaribus authoribus; verus autem & germanus Hyacinthus, vt omittamus quaestionem de Hyacintho notho, & adulterino, gemma est coloris violacei, quemadmodum scribit Plinius lib. 37. cap. 9. Hyacinthus quoque flos est coloris violacei, vt author est idem Plin. 21. cap. 11. Videndus quoque erit Solinus cap. 39. vbi scribit de Hyacintho. Vide etiam Scot. ad Solinum. Veruntamen hoc in loco sermo de gemma est, non de flore, quæ quidem gemma annularis est, eaque in annulis

vtuntur etiam Reges, & Principes viri; vt apparet ex vno illo loco Ecclesiastici cap. 40. vbi ita legimus: Ab eo qui vtitur Hyacintho & portat coronam, vsque ad eum qui operitur lino crudo. Ad hunc igitur sensum secundum historiam de annulis aureis, & gemmatis, id est, Hyacinthinis, intelligendum est quod hic ait Sponsa: manus illius aureæ plenæ Hyacinthis. Non abs re erit legere quæ scribit A. Gell. lib. 10. noct. Attic. cap. 10. de digito annulari. Et item Leuinus medicus de miraculis naturæ lib. 2. cap. 11. Videndus quoque erit Cicero lib. 2. de nat. Deorum, si vbi differit de mirabili corporis humani opificio, & partibus eius sigillatim, praesertim de manuum humanarum comoditate, & vsu. Pro allegoria autem & mysterio horum Sponsæ verborum lege Tertull. Apologet. cap. 6. vbi ait: in nuptiis morem fuisse, vt Sponsus Sponsam sibi annulo pronubo oppigneraret. Idemque Tertull. lib. de pudicitia cap. 9. indicat recens baptizatis dari etiam solitum fuisse annulum in sanctissimi lauachri, & fidei in illo pallam professæ confirmationem, quatenus eum vocat signaculam lauachri.

Venter eius eburneus, distinctus saphiris.

PER ventrem eburneum, & distinctum saphiris iuxta sensum historicum, videtur Sponsa intelligere proprie ventrem ipsius Sponsi, qui cum suapte natura candidus, & rubicundus esset, verissimile est etiam eam partem corporis candidam habuisse, atque praenimio candore venis quibusdam sanguineis, quasi saphiris, vel saphirinis, id est, saphiri colorem referentibus, distinctum variegatumque ventrem habuisse; hoc enim naturale est in corpore humano candido, & pulchro, tantum quidem magis, quanto candidius, & pulchrius fuerit si diligenter attendamus, vt scilicet istiusmodi venæ sanguineæ appareant, seu interluceant, speciem saphiri, seu colorem praeserentes, sicut alias diximus. Qualis ferè est illa comparatio apud Poëtam: velut violauerit ostro si quis ebur. &c. Nisi fortè hæc Sponsæ verba referamus ad baltheum, id est, zonam siue cingulum quo Sponsus circa ventrem, & renes cingebatur; quod quidem cingulum totum gemmis, seu lapillis pretiosis praeditum, or-

natumque erat; praesertim vero saphiris. Quod genus lapidis preciosi caelestem colorem maximè imitatur. Nisi etiam dicamus Sponsam his verbis quodammodo alludere ad zonam summi sacerdotis. De qua Leuit. cap. 16. & item Iosephus lib. 3. de antiquit. cap. 8. Quinetiam D. Hieronymus in epist. ad Fab. vbi differit de veste summi sacerdotis. Ad quam etiam quodammodo alludere videtur Ioann. Apost. Apocal. cap. 1. Cum ait se vidisse vestitum podere, & vestitum ad mammillas zona aurea. Sed tamen fortè melius est, vt in loco coniecturali referamus potius (sicut dicebam) ad baltheum regium, & militare, quo circum ventrem & renes cingebatur medium Sponsi corpus; quod erat regum ornamentum, atque insigne, confectumque erat ex materia pretiosa, cuiusmodi est ebur, argentum, & aurum, atque etiam lapis saphirinus; posterioribus autem temporibus ornatus esse coepit equestris ordinis, clarissimi alicuius magistratus, publiciue, atque honorifici muneris; vt patet leg. Cod. de Metaris, & epidemicis li. 12. Quare spoliari etiam cingulo dicebantur, qui magistratu, & dignitate priuabantur lib. 3.

Cod. de dom. & proteft. eodem lib. Constat autem istiusmodi balthus militaris, siue cingulum ex corio bullis distinctum, e boreis, & aureis, atque etiam gemmeis, ex quo pende- bat ensis, & vt colligitur ex Quintil. lib. II. oblique duceba- rur ab humero dextro ad fini- strum. Hinc fortè cinctuti, Cethegi dicti ab Horatio in ar- te poëtica, non tam propter ar- q̄e constringentem zonam militarem, siue balthum, siue cingulum, quàm propter fre- quentem eiusdem vsum, cum initio nascentis vr̄bis ab armis numquam esse otium. Fauet huic coniecturæ, seu interpre- tationi locus ille Iob. cap. 12. vbi ait: Balthum regū dissol- uit, & percipit fune renes eo- rum. Fauet quoque plurimū lo- cus ille alter, qui est in altero Epithalamio, id est, Psalm. 44. vbi Rex Propheta inter alia verba ita Sponsam alloquitur: Accingere gladio tuo super fe- mur tuum potentissime. Vi- dendus ad pleniorē intelli- gentiam horum verborum, at- que eruditionem nostram D. Dionys. lib. de cælesti Hierar- chia cap. 9. circa finem, vbi dif- ferit de mysterio zonæ angeli- cæ & sacerdotalis, atque etiam gemmarum istiusmodi pretio-

farum, cuius præsertim sap- phirus. Sapphirus enim gem- ma est celeberrimæ nobilitatis, cælestem habens colorem, de qua Marbodeus author ita canit in lib. de lapillis:

*Sapphiri species digitis aptissi-
ma regum,*

*Egregium fulgens puroque simi-
lima celo.*

^B Si quis autem plura de sapphiro desiderat, legēdus erit Diosco- rides lib. I. c. 146. & item Plin. lib. 37. cap. 9. quinetiam lib. 36. in principio, vbi eleganter ait: Rerum naturæ maiestatem in multis, nulla tamen sui parte mirabiliorem, quàm in gemmis censerit tantum, vsque adeo tri- buunt varietates coloribus, & materiæ decori. Cæterum ple- rique omnes sapphiro ex om- nibus, atque præ cæteris omni- bus lapillis pretiosis colorem cæruleum, id est, colorem cæ- lestem tribuunt, non equidem quod cælum particeps sit colo- ris alicuius proprii nominis, si proprie, inquam, loqui veli- mus, sed quia ita nobis appa- ret, hoc quod dicitur cælum, siue aër, siue æther, quasi istius- modi colore constaret. Quare & sacerdotes Ægyptiorū Deū indutum veste cærulea, id est, sapphirina, quia præcipua eius in cælo sedes effungebant, vt autem

antem cælum cæruleum, sic^A mare cæruleum dicunt Poëtæ. Tale enim nobis apparet atque videtur.

Cæterum pro allegoria isto- rum Sponsæ verborum non abs re erit videre quæ scribit Petrus Damianus serm. I. de ex- cellent. Ioann. Euang. vbi per occasionem pulchram allego- riam affert istius loci. Ait enim Sponsam hîc ad declarandam diuersitatem humanitatis, at- que diuinitatis sibimet vnitæ atque inconfusæ, ita enigmati- cè loqui: Venter eius eburneus distinctus sapphiris; nempe vaticinando, & quodammo- do insinuando mysterium, siue^C sacramentum illud magnum incarnationis. Ebur enim os est Elephantis, quod animal fertur esse castissimum. Venter ergo eburneus est Sponsi, quia suscepta redemptoris humani- tas ab omni cōtagio casta pror- sus & inuiolata pertransit. Sap- phirus autem lapis est sereni^D cæli habens colorem. Vnde & in visione Domini dicitur, Erat sub pedibus eius, quasi opus la- pidis sapphirini, & quasi cælum cum serenum est. Per sapphiros enim opera diuinitatis intelli- guntur, quæ in carne Domi- nus ostendebat. Venter ergo Sponsi distinctus erat sapphiris,

quia Christi humanitas diuinis virtutibus refulgebat. Nec ple- nus sapphiris esse dicitur, sed distinctus, ita videlicet vt inter sapphiros candor eburis appa- reret, quia sic Dominus ex par- te hominis assumpti operaba- tur humana, vt nihilominus ex parte Deitatis ostēderet etiam diuina. Quomodo etiam in- quit B. Ioan. Apost. & euang. quasi eburneum ventrem Spō- si sapphiris distinguit, dum ali- quando diuinitatis alta, aliquā- do humanitatis infima descri- bit, & cæt. quæ prosequitur in eandem sententiam. Nos quo- que his consentanea, & pro- pè germana dictauimus aliàs, id est, in priore editione super illis verbis Cantic. I. Muræ- nulas aureas faciemus tibi ver- miculatas argento. Alioquin super sedendum hîc esse existi- mauimus. Illud que tātummo- do admonitum esse volo lecto- rē quod Suidas in dictionario dict. μϛ pag. 624. ait: Tabulas in gemma sapphiro digito Dei scriptas fuisse, &c. Qui lapides cum sint cælestis coloris, id est, cærulei, etiam aureis punctis naturaliter interlucent vt cæ- lum stellis aureis ad nostrum aspectum lucere videretur.

Vidēdus nihilominus pro sen- su etiam historico erit Sueto-

nus in Augusto. cap. 79. vbi ita A
de Augusto ipso scribit: corpore traditur maculoso, dispersis per pectus, atque aluum genitiuis notis in modum & ordinem ac numerum stellarum celestium Vrsæ. Sicille. Lege etiam si placet, & si est otium pro hac re Leuinum medicum, de miraculis naturæ lib. 2. cap. 6. & item Montalum medicum, de visu lib. 5. cap. 19. de ceruleo colore.

Crura illius sicut columnæ marmoreæ, &c.

Comparatio hæc de marmore pario, seu albo intelligenda est, licet enim præter album alia sint genera marmorum, nempe nigrum, seu atrum, viride, rubrum, maculosum, quod Ophites Græcè dicitur, & alia. De pario tamen, id est, albo marmore intelligit Spōsa, tum quod ceteris, magis ad colorem carnis, & corporis humani candidi, quale erat corpus Sponsi, accedat, tum quod ob simplicissimam Dei naturam maxime Spōso diuino, id est, Christo Domino conuenit ob eius singularem corporis, & animi cædorem, atque etiam ob rationem Deitatis, quæ in eo, vt loquitur Paulus Apost. corpora-

liter, id est, verè, & realiter tanquam in vero filio Dei habitauit. Quo sensu etiam Pœta Latinus Georg. 4. de Euridice loquens dixit:

Tunc quoque marmorea caput à ceruice reuulsum, &c.

Marmorea enim pro cædida, & pulchra vsurpauit. Videndus Arist. lib. de anima, vbi differit de potentiis, seu facultatibus animæ in corpore. Nam firmitas ista corporis naturaliter, & præcipue consistit in cruribus, genibus, & pedibus, atq; lacertis. In quibus partibus vis animæ motiua residere propriè dicitur.

Quæ fundatæ sunt super bases aureas.

Habenda est ratio pulchri & apti, præsertim in rebus diuinis. Videndus Aug. Confess. lib. 4. ca. 13. vbi differit de apto, & pulchro, vbi sic ait: Amabam pulchra inferiora, & dicebam amicis meis; Nū amam⁹ aliquid nisi pulchrū? quid est ergo pulchrū, & quid est pulchritudo? Quid est, quod nos allicit, & conciliat rebus quas amamus? nisi esset in eis decus & species, nullo modo nos ad se mouerēt. Et animaduertebam, & videbam in ipsis corporibus aliud esse quasi totum, & ideo pulchrum,

aliud autem quod ideo diceret A
quoniam apte accommodaretur alicui, sicut pars corporis ad vniuersum suum, ad calcæamētum, ad pedem, & similia, &c. & cap. 14. & cap. 15.

Species eius vt Libani, &c.

Sensus & ordo talis est, quasi dicat planè, sicut mons Libani omnium montium altissimus, inter Iudæam, & Syriam iucundus est, & aspectu gratissimus, non solum ob innumerabilem multitudinē plantarum salutarum, & arborum, quas produxit, & liquores per lucidos omnium fontium, & riuulorum quibus scatet, verum etiam ob multorum odorum fragrantiam, præcipue verò thuris quod ibi nascitur, & à quo hoc nomen Libani accepit. Sic exponit ad verbum Tuccius Lucen. non inepte.

Guttur illius suauissimum.

Sensus planus talis est, q. d. Splanè: cuius ab ore sermo manat mellifluus & dulcior melle. Sicut de Nestore canit Homerus Iliad. 1. Quo sensu etiam Rex Proph. in Psal. 18. de eloquiis Dei ait: Et dulciora super mel, & fauum. Et D. Hieron. epist. 124. loquens de excel-

lencia, & suauitate studij diuinę scripturæ ait: De scripturis sermocinemur, quo animæ pabulo omnia mella superantur, &c.

Et totus desiderabilis.

Videndus Ambr. lib. 3. de virginib. si. vbi sic ait: Omnia habemus in Christo. Omnis anima accedat ad eum, siue ægra peccatis, siue, &c.

Talis est dilectus meus.

EPiphonema est totius præcedentis laudationis, videtur enim Sponsa his verbis valde admodum sibi placere, gratulari, & quodammodo gloriarī in testimonio locupletissimo, quod præbuit Spōso in laudibus prærogatiuis & dotibus eius rarissimis prædicandis, non solū ad consolationem suam, sed etiam ad eruditionem adolescentularum simul & maiorem commiserationem & cognitionem, dilectionemq; Sponsi. Pro qua re legendus erit D. Aug. lib. 4. cap. 14. vbi ita congruenter ait: laudatur homo, & amatur absens. Vtrum nam ab ore laudantis intrat in cor audientis amor ille? absit, sed ex amante alio acceditur alius. Hinc enim amatur, qui laudatur, dum non

fallaci corde laudatoris prædicari creditur, id est, cum amans eum laudat. Haften. Aug. Pro qua re, siue sententia facit locus ille Hieremiæ cap. 9. vbi sic ait: Non gloriatur sapiens in sapientia sua, sed in hoc gloriatur scire, & nosce me. Vnde etiam Mercurius Trismegistus in Asclepio si. interprete Apuleio in oratione sua ad Deum ait: Hæc est enim sola humana gratulatio cognitio maiestatis tuæ, &c. Videndus erit D. Gregor. homil. 4. 2. 1. in Ezech. vbi congruenter, & eleganter ait: Menti Sponsam suam fortiter amanti, vna solet esse consolatio, si per hoc quod ipsa à visione differtur, aliorum animæ per eius verba inardescant. Sic D. Gregor. Et refertur hoc dictum Gregorij etiam à D. Thoma opuscul. 19. cap. 19. vt mittam alia cõplura. Vide tamen Adag. Ex habitu bonum virum.

Et iste est amicus meus.

PLato in *Lyside*, vel de amicitia valde eleganter atque erudite ostendit inter amantes vulgares, seu vulgariter amantes, quales planè sunt corporum amatores, potius quam animorum, non esse veram, perfe-

ctamque amicitiam. Non enim esse veram, perfectamque amicitiam nisi in amore sit reciprocatio, hoc est, nisi is qui amat etiam vicissim ab eo quæ amat redametur. Plerumque autem videmus inter istos vulgares corporum amatores, non esse istiusmodi reciprocationem. Non enim qui amat semper redamatur, sed interdum etiam odio habet eum à quo vehementer amatur. Amantes enim, inquit Plato, quam ardentissime nonnunquam minime redamantur, imo & odio quandoque habentur, &c. quæ prosequitur in eadem sententiam. Idemque Plato alibi, id est, in conuiuio, vel de amore, nihilominus inducit Phædrum inter alias laudes amoris dicentem, solos amantes pro amatis mortem sponte eligere, neque tantum viros, sed etiam mulieres; id etiam exemplis luculentis ostendit. Sic enim ibi ait: Phædrus in amoris collaudatione, quæ etiam pro alio mori, amantes soli eligunt, non viri tantum sed etiam mulieres, & cæt. quæ sequuntur.


Consentanea sunt quæ scribit Seneca Philoſophus epist. 9. vbi differens de amicitia ait: Affectus amantium istorum vulgariū aliquid simile amicitia habere,

non tamen esse veram amicitiam, posse tamen quodammodo dici amicitiam quandam insanam, quoniã scilicet non amant lucri causa, nec ambitionis, aut gloriæ, sed ob cupiditatem formæ, atque spem mutuæ charitatis. Ipse enim per se amor omnium aliarum rerum negligens animos in cupiditatem formæ non sine ope mutuæ charitatis accendit, &c. quæ prosequitur in eadem sententiam.

O pulcherrima mulierum.

Sic solet Sponsus Sponsam suam etiam atque etiam appallare & quidem iure ac merito. Verum tamen iuxta proverbium vulgare; cuius proverbij meminit etiam Cicero ad Attic. lib. 14. epist. 21. Suam cuique Sponsam, mihi meam, suamque cuique amorem, mihi meum. Sic ille, quasi dicat; sua cuique Sponsa pulchra, atque etiam tota pulchra videtur, ac iudicatur, quoniam scilicet amor iste corporum vulgaris, & turpis quædam species furoris est, nec finit cernere verum, id est, de vera pulchritudine iudicare. Vt ne igitur forte iudiciū Sponsi ac testimonium de pulchritu-

dine Sponsæ suspectum, id est, corruptum, aut falsum alicui videri possit, ideo author facerit persona etiam adolescentularum, seu filiarum Hierusalem locupletissimum testimonium perhibet Sponsæ, vocans eam pulcherrimam mulierum, namque in hac parte mulierum testimonium minus suspectum esse debet quam testimonium Sponsi, siquidem de Sponso homine puro, & vulgari sermo esset. Mulieres enim cum suapte natura supra modum sint studiosè formæ suæ propriè, inde fit vt alienæ formæ plerumque inuideant, ac detrahant, nihilominus tamen pulchritudo Sponsivusque adeo tanta erat, vt non solum à Sponso suo, sed etiam à mulieribus, quæ invidia præsertim in hac parte laborant, atque inter se inuicem emulantur, atque contendunt, pulcherrima inter mulieres videatur, & prædicetur; atque proinde Sponsæ pulchritudo propter nimiam excellentiam extra aleam atque extra omnem inuidiam posita esse videtur, quemadmodum solent res quæque, seu virtutes excellentissimæ, & præstantissimæ.



CAPVT SEXTVM.

Dilectus meus descendit in hortum suum, &c.



Hac Sponsa verba valde sunt ambigua, nec dum satis constat quo referri potissimum debeant. Videntur enim prima statim frontependere ex nouissimis seu ultimis verbis proximè præcedentibus, quæ extant (inquam) in fine capitæ præcedentis, vbi filia Hierusalem Sponsam ipsam in hunc modum interrogant, dicentes: Quo abiit dilectus tuus ô pulcherrima mulierum, quò declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum. Hac enim sunt extrema & proxima verba capitæ quinti; ad quam interrogationem filiarum Hierusalem congruenter videtur statim respondere Sponsa per hæc verba: Dilectus meus descendit in hortum suum, & cæt. Quæ quidem sunt prima verba statim sequentia initio præsentis capitæ sexti. Sed tamen obstat atque aduersatur huic intelligentiæ, quia Sponsa paulo ante dixerat de dilecto suo: Quæsiui, & non inueni illum, vocaui, & non respondit mihi, &c. Et item adiuro vos filia Hierusalem si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei quia amore langueo. Quibus quidem verbis omnibus videtur Sponsa planè indicare se ignorare, vel certe dubitare, quo abiisset, & quo declinasset Dilectus, & in quibus locis, seu vbi locorum versaretur, nisi forte dicamus Sponsam, cum ait: Dilectus meus descendit in hortum suum, &c. non tam affirmando, quàm coniiciendo, vel suspicando & dubitando loqui, vel etiam per reticentiam aliquid factum, aut dictum, siue responsum à Sponsa fuisse ad

interrogationem præfatam filiarum Hierusalem; Cuius dicti, vel facti Author sacer in præsentem non meminit, sed silentio de industria præterierit. Verisimile est enim Sponsa postquã vnã cum filiabus Hierusalem Sponsam, siue dilectum, quem tam anxie quærebat; inuenit, veniam ab eo petiuisse, & impetrasse de repullã, quam ille paulò ante passus fuerat, quando obnixè rogabat Sponsam vt ei aperiret, illa autem leuiter excusauit. Neque enim dubitandum est quin Sponsus ob eam causam fuerit offensus; ideo enim statim declinauit, Sponsamque solam, desolatamque reliquit, atque etiam multa pericula, & mala incidere permisit. Vt ipsamet Sponsa conqueritur, & confitetur dicens: Inuenerunt me custodes qui circumierunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, &c. Quapropter data hac hypothese, consequens & consentaneum videbatur, vt Sponsa culpam seu ignauiam, negligentiam, & tarditatem suam deprecaretur, quo quomodo sese excusando; & sic gratiam Sponsi sibi reconciliaret, postquã eum tandem inueniret. De hac tamen inuentione, vel reconciliatione, & reditio in gratiam cum Dilecto, nec verbum quidem hinc facit Author sacer, neque ipsa Sponsa; sed quasi iam reconciliata, & in pristinã gratiam restituta, imo tanquam iam certior facta de loco, & præsentia Dilecti, ex abrupto affirmando ait: Dilectus meus descendit in hortum suum, & cæt. veluti sit alia scena, alia actio, alia historia, aliud tempus. Si tamen hæc verba sint abrupta, & absoluta sicuti etiam apparent, & non potius relata seu relativa, id est, pendentia, & coherentia cum illis verbis præfatis adolescentularum, Quo abiit dilectus tuus, &c. Hæc enim proxime præcesserunt quamuis in cap. 5. præsentia autem verba initium sint cap. 6. in quo quidem cap. 6. Sponsa quasi oblita omnium rerum tristium, & malorum suorum præteritorum, imo quasi oblita sui ipsius, & certa de gratia, & venia Sponsi, nihil aliud nisi delicias, & amores loquitur, de more suo solito, quasi nunquam ipsum offendisset, ne tantillum quidem ignauiter se gerendo; & quæ illi sunt gratissima semper fecisset, vsque adeo benignus; clemens & placabilis est Sponsus immemor & dissimulator iniuriarum præteritarum erga se amantes, id est, pios & electos suos, & re-

uertentes ad cor, id est ex corde resipiscentes. Quandoquidem etiam inter amantes condonantur, & dissimulantur quaedam delicta. Talem sane oportet, & decet esse probum pastorem, qualis plane fuisse videtur Cyprianus martyr. Is enim lib. 1. Epist. 3. ubi agens de ingenio, & officio probi, & mansueti pastoris, ita etiam de ipso per occasionem scribit. Nec ecclesia alicui clauditur, nec Episcopus alicui denegatur, patientia, & facilitas, & humanitas nostra venientibus preesto est. Opto enim omnes in Ecclesiam regredi, opto vniuersos commilitones nostros intra Christi castra, & Dei patris domicilia concludi, remitto omnia; multa dissimulo studio, & voto colligendae fraternitatis, etiam quae in Deum commissa sunt, non pleno iudicio religionis examino. Delictis plusquam oportet remittendis, pene ipse delinquo. Amplector prompta, & plena dilectione, cum poenitentia reuertentes, peccatum suum satisfactione humili, & simplici confitentes, & cetera. Haec beatissimus ille Cyprianus Episcopus & martyr. Quoties enim Episcopus respectu pietatis alicui miseretur, & timens ne in peius ruat, non secundum ca-

nones, eum misericorditer iudicat; toties tabulas frangit, & legis autoritate relinquit. Hoc autem non puto magnum esse peccatum. Vnde & Moyses fractis tabulis numquam a Domino reprehenditur, ut inquit quidam ex veteribus Scriptoribus super illis verbis Exodi: Videns Moses vitulum, &c: Et habetur hoc testimonium in lib. veterum allegoriarum super Exodum, pag. 68. & in eodem lib. veterum, inquam collectaneo allegoriarum pag. 239. Alius quidam vir pius & sanctus congruenter sic ait: Non modo inuestigare, sed plurima dissimulare nos conuenit, & nonnulla nescire. Quod si vigilantia opus est in rebus considerandis, non minori forsitan indissimulandis, &c. quae profequitur.

Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, &c.

QVorum verborum sensus & ordo talis est, quasi dicat plane, natura ipsa simul, & ratio sympathiam quandam esse voluit inter me & dilectum meum, inter animam meam, & animam illius, inter mores meos, & mores illius; Quod enim ego volo, ille vult, quod nolo, ipse etiam non vult. Ad hunc ferè sensum

sensum videtur dicere Sponsus hic: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. Quod ipsum etiam atque etiam repetere & confirmare non grauat, sed potius gloriatur. Nulla autem amicitiarum, nulla sociatarum praestantior, ac firmior quam dum boni virtutum moribus similes familiaritate conuincti sunt, ut inquit Cic. in officiis. Nihil enim amabilius, nihil copulatius, quam morum similitudo bonorum, in quibus eadem studia, & eadem sunt voluntates. In his alter altero delectatur, ut se ipso, & contristatur eidem portans onus cum illo: Iuxta illud Pauli Apost. Galat. cap. 6. Alter alterius onera portate; & sic adimplebitis legem Christi. Quasi verò hoc maxime praecipiat, & velit in lege sua Christus. Quanto vero magis id verum est, atque etiam ad vnguem seruari debet, & custodiri inter veros, & legitimos Sponsos, siue coniuges, de quibus praesertim, & nominatim Oraculum diuinum ait: Et erunt duo in carne vna ut habetur Genes. cap. 2. & Matth. cap. 18. & Ephes. cap. 5. Vide Adag. Aequalem uxorem quare. Quinetiam Adag. illud. Vbi tu Caius, ibi &

ego Caius. Et item vtrinque florens amor. Si quis autem plura super mutuo & reciproco isto amore desiderat, praesertim vero diuino, id est animae perfectae erga Sponsum Deum, videndus erit D. Aug. lib. 13. confess. ca. 8. ubi ita Deum alloquitur. Da mihi te Deus meus, redde mihi te, En amo & si parum est, amem validius. Non possum metiri ut sciam quantum desit mihi amoris ad id quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio quia male mihi est praeter te, non solum extra me, sed & in me ipso, & omnis mihi copia quae Deus meus non est, egestas est. Consentanea sunt quae de anima Dei amante scribit idem Aug. lib. 12. confess. cap. 15. & lib. Soliloq. cap. 34. & lib. Medit. cap. 17. ut omittam alia loca complura. Neque abs re erit legere quae scribit Cartharius in libro de imaginibus Deorum, titulo de Iunone pagina 132. & sequentibus, ubi pulchra tradit de matrimonio, & Hymenaeo. Sunt enim accommodata ad rationem amoris conjugalis, seu nuptialis.

*Terribilis vt castrorum acies
ordinata.*

QVasi dicat non solum pulchra, sed etiam fortis, & terribilis, vt castrorum acies benè ordinata, seu instructa, quæ laus in muliebri sexu, seu genere rara est, & singularis; iuxta illud Proverb. ca. 30. Mulierem fortem quis inueniet, &c. cōparatio igitur hæc Sponsæ cum castrorum acie ordinata bellica esse videtur, id est sumpta ex re bellica, & quidem valde emphatica, & mystica, atque etiam accommodata ad personam Sponsæ, vitæque eius castæ, id est, pudicitiam virginalem, nam durissima sunt prælia castitatis, & continentie, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria, vt inquit, & docet D. August. in lib. de honestate mulierum tom. 9. pag. 229. Vnde & D. Hieronymus epi. 140. Ad Principiam virginem super illis verbis Psalm. 44. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, &c. Eleganter, & congruenter sic ait: Vt autem scias semper virginitatem gladium habere pudicitie, per quæ truncat opera carnis, & superat voluptates, gentilis quoque error Deas virgines finxit arma-

tas, & cætera quæ sequuntur apud D. Hieronymum.

Si quis autem scire cupit quæ sit ratio & habitus castrorum aciei ordinatæ, exempli gratia legendus erit A. Gellius lib. 10. cap. 9. vbi docet quibus modis quoque habitu acies Romana iam olim instrui solita fuerit, quæque earum instructionum sint vocabula, vt omittam alios complures authores qui hac de re, nempe castrensi, & militari scripserunt. Verumtamen castrorum acies ordinata non solum terribilis, & formidabilis existit, sed etiam pulchra, & aspectabilis est; iuxta illud Num. cap. 24. Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel, &c.

Auerte oculos tuos à me, &c.

Verbum Hebraicum pro quo vulgatus Latinus hoc in loco vertit auolare, etiã significat, & commode verti potest, extolli, vel etiam insollescere, & quodammodo superbire. Vnde etiam Rabbi Salomoch non male exponit: Ipsi me superbire fecerunt, seu euanescere fecerunt, atque extasim, id est mentis excessum, siue raptum pati, vsque adeo fortibus oculis me aspe-

xisti. Quo sensu scriptum est etiam in lib. Iudith cap. 16. Sandalia eius rapuerunt oculos eius; nam in amore cum oculi cupidi, quod amant intuentur, non solum mens siue cor afficitur, & perturbatur, sed etiam lingua quodammodo obmutescit, neque officium suum facit; ita similiterque accidit in timore vt in amore, iuxta illud antiqui Poætæ, Timor omnem mihi sapientiam ex animo expectorat, vt quasi præcipi, seu præcidi verba ab aspectu videantur. Vnde Beatus Isid. Pelus. libro tertio Epist. 65. Ad Nilum ita scribit: Alexander Darij vxorem, nec intueri quidem sustinuit, quod turpe esse censeret, eum qui virum superasset, à foemina vinci. Cyrus quoque Persarum Rex, & cætera quæ prosequitur in eandem sententiam. Facit pro hac interpretatione illud Poætæ Latini in Bucolicis, vbi in persona pastoris amantis sic ait: Vt vidi, vt peri, & cætera. Detrahe homini oculos, omnem cupiditatem detraxeris; vitiis enim nostris in animum per oculos via est, vt ait Quintil. Suffragatur locus ille Iob cap. 31. Fœdus pepigi cum oculis meis, vt ne cogi-

Atarem quidem de virgine, vel vt ne considerarem virginem. Super quibus verbis legendus erit D. Chrysof. tom. 3. hom. 3. de verbis Esai. Vidi Dominum, &c. pag. 123. & item homil. 2. de patientia Iob pag. 558. Præterea videndus erit D. Hieronymus comm. in Thren. cap. 3. super illis verbis: Oculus meus prædatus est animam meam. Vide quoque Iansenium Episcopum in Ecclesiast. cap. 9. vbi ait: virginem nec aspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. Præterea ad pleniorē intelligentiam huius loci, atque sententiam, maioremque eruditionem nostram, non abs re fuerit legere quæ scribit Plutarchus lib. de curiositate pag. 212. & item Seneca Philosophus ad Gallionem lib. de remediis furtitorum post principium, pag. 281. vbi etiam ob hanc causam consolatur cæcos, & qui oculos perdiderunt. Denique legendus erit Suetonius in vita Augusti cap. 79. vbi scribit Augustum ita vehementibus oculis præditum fuisse, vt qui eos attentius intuerentur, velut ad solis fulgorem vultum submittere cogentur; iuxta illud Arist. lib. 2. de anima, text. 123. Excellens sensibile corrumpit

senfum; Verumtamen id Augusti Cæsaris luminibus innatum fuisse tradit Suetonius. Quo etiam alludere videtur Orat. lib. 4. carm. Ode. 2. cum inquit: O sol pulcher; &c. Et item Ode 3. cum ait: Lucē redde, &c. Vnde facile patet sensus & intelligentia horum Spōsi verborum cum amplificando efficacitatem oculorum Sponsæ, & vim, seu affectum amoris ait: Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.

Ceterum videndus etiam erit Seneca Philosophus Epist. 59. vbi ex autoritate Sextij Philosophi inducit imaginem in quadrato agmine exercituum, vbi hostis ab omni parte suspectus est pugnae paratus. Deinde statim subdit: Idem, inquit Seneca, facere debet sapiens omnis; omnes enim virtutes suas vndique expendat, vt vbi cumque infesti aliquid oritur illi parata præsidia sint; & ad nutum regentis sine tumultu respondeant: Quod in exercitibus quos Imperatores magni ordinant fieri videmus; vt imperium ducis simul omnes copiae sentiant, sic dispositæ vt signum ab vno datum, peditem, simul equitemque

A percurrat. Hoc aliquanto magis necessarium esse nobis Sextius ait: Illi enim sæpe hostem timuere sine causa, turissimumque illis iter, quod suspectissimum fuit, & cætera quæ prosequitur. Videndus denique pro colophone erit B. Isidor. Pelus. Epist. 62. ad Paulum Presbyterum. Vbi inter cætera sic ait: Equidem illud pius ac sanctum existimo diuinis oraculis fidem adhibere. Quod si quis tamen sibi ipsi pudicitiae laudem arroget, vt ne continenter quidem foeminas contuens, quicquam inde detrimenti ferat, discat ille humanæ naturæ imbecillitatem, ac diuinorum oculorum cautionem, ac præmunitionem. Atque eos quidem, qui capti, ac subacti sunt; ne grauis ac molestus esse videar, silentio præmittam, nam & omnes sacræ literæ, & externæ tragœdiæ, & quotidianæ fabulæ, his exemplis referre sunt, eos autem qui cura quadam, ac prouidentia vsi sunt in medium proferre conabor, & cætera quæ prosequitur in eandem sententiam copiose.

Absque oculis tuis.

Id est, absque eo quod intrinsecus latet, quam clausulam siue exceptionem solet Sponsus in laudibus Spōsæ suæ alias adhibere breuitatis, atque etiam modestiæ causâ, cuius rei exemplum habemus luculentum etiam apud Platonem in Dialogo qui inscribitur charissimis, vel de temperantia. Vbi postquâ valde laudasset Charmidem adolescentem pulcherrimum à procera corporis statura faciæque decora, ita statim subiungit in persona Charebi: Qualis tibi ô Socrates, adolescens iste videtur, an non specioso vultu mirificè inquit Socrates. Deinde rursus subiungit Charebus, atqui si nudare se vellet vultum præ illa quæ intus latet forma, deformem diceres. Quo enim ingenio spectatur, & pulcherrimus est, & optimus; quid igitur non nudamus animum, prius interiorémque formam potius contemplamur; &c. quæ prosequitur in eandem sententiam, scilicet de pulchritudine ista corporis extrinseca, atque etiam animi intrinseca, quæ propria & præcipua hominis est, & soli Deo cognita est. Vnde & qui-

A dam de perfecto monacho, loquens recte dixit: Hæc est gloria monachi, à nemine cognosci. Sic Euseb. Emisenus. Vide Aug. lib. 3. doctrinæ Christi. ca. 16: vbi exemplis declarat quæ admodum in sacris litteris loca duriora quæ præ se ferunt speciem aliquâ absurditatis ænigmaticè sint exponenda. Suffragatur Marcus Eremita in capitulis de lege spirituali pag. 117.

Sexaginta sunt regina, &c.

Videndus Sueton. in Iulio cap. 52. vbi ita de eo scribit: Heluius Cinna tribunus plebis plerisque confessus est habuisse se scriptâ, paratamque legem quâ Cæsar ferre iussisset, cum ipse abesset, vt vxores liberorum causa quæret, & quas ducere vellêt liceret. De qua lege meminit etiam Lipsius Electorum lib. 1. cap. 72. Herodotus quoque lib. 1. loquens de moribus Persarum simile quidpiam scribit; nempe eos puellas plures solitos ducere vxorum loco, atque præter has plerisque pellices alere. Et secundam bellicam fortitudinem, inquit, potior ducitur memorosa soboles procreatio, &c. Sic enim olim mos erat Regum, præsertim Orientalium & Barbarorum,

neque tamen par ratio, conditioque erat vxorum & pellicum, seu concubinarum tunc temporis. Vnde Paulus Iurifconsultus lege 144. de verb. signific. ff. ex Massurij Sabini sententia, pellicem pro ea sumit, quæ cirra matrimonium, cum alio consuescat, domique retineatur. Addiditque vulgo sic accipi, quæ cum eo se miscat cui sit vxor. Sed Demosthenes Orat. aduersus Næanã optime nomina Græca distinguit, ac definit dicens: Amicas habemus voluptatis causa, pellices, seu concubinas famulitij, & curæ quotidianæ gratia corporis vtimur; vxores autem ducimus vt legitimostollamus liberos, fidamque rei familiaris custodiam habeamus. Sic ille de ratione & vsu, simul, & voce, ac differentia vxorum & pellicum, siue concubinarum. De qua re etiam legendus erit Aul. Gellius lib. 4. noct. Attic. cap. 3. & item Lipsius lib. 1. Electorum cap. 20. & Dionys. lib. 44. cap. 20. Hæc autem pertinent ad intelligendum morem, & vsum Græcorum, & Latinorum, vel etiam Barbarorum cum de vxoribus & pellicibus loquuntur; potiusquam Hebræorum, de quorum consuetudine, & licentia, atque

etiam differentia vxorũ & concubinarũ, i. primarũ & secundarũ vxorũ copiosè aliàs diximus. Ideoq; supersedendũ hinc esse duxi. Quandiu enim in terra sumus, meminisse oportet quid in Euangelio Matth. 22. dixerit Christus Dominus hæc de re interrogatus à Saduceis, quibus respondit: In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in celo, id est, sunt, vel erunt cælibes sicut ipsi Angeli cælestes, vel sicut ipsi cælites. Cælebs enim propriè dicitur qui non habet vxorem, vel quæ nõ habet maritum, qualia sunt numina in celo, quæ absque coniuge sunt, quemadmodum hoc nomen interpretatur D. Aug. in lib. de grãmatica tom. 1. Itaque in hac parte quoad eius fieri potest Angelos vel cælites ipsos imitari debemus: pro qua re videndus idem D. Aug. lib. de catechizandis rudibus cap. 25. & lib. de sancta virginit. cap. 53. & D. Hieron. epist. 61. ad Pammachium. tom. 2. & Ioan. Cassianus lib. 6. cap. 6. vbi sic ait: Nulla etenim virtute tam propriè carnales homines spiritualibus Angelis imitatione conuersationis agitantur, &c.

Vna est columba mea.

Videndus Aug. lib. de utilitate credendi cap. 7. vbi iuxta allegoriam, ita congruenter, fideliter, & catholicè ait: Vna est Ecclesia refertior multitudine, veritate sincerior, vna est Catholica, cui hæreses aliæ diuersa nomina imponit, &c. quæ profequitur. Idem D. Aug. lib. de vera relig. cap. 22. non minus congruenter quam verè & fideliter sic ait: Quis dubitat eos potissimum sequendos, qui ad vnum vocant: sicut enim in ipsa rerum natura maior est autoritas vnus ad vnũ omnia redigentis, nec in genere humano multitudinis vlla potentia est, nisi contentientis, id est, vnum sentientis; ita in religione qui ad vnum vocant, eorum maior, & fide dignior debet esse autoritas. Hacten. Aug. Consentaneus locus est apud Paulum Orosium lib. 7. ca. 19. vbi ait: Vnus Deus vnam fidem tradidit, vnam Ecclesiam toto orbe diffudit; hanc aspicit, hanc diligit, hanc defendit. Quolibet se quisque nomine tegat, si huic non sociatur alienus; si hanc impugnat, inimicus est. Sic ille.

Viderunt eam filie, & beatissimam predicauerunt, Regine, & concubine, & laudauerunt eam.

Diuus Hilar. sic congruenter ait: quod sensum atq; opinionem ingenij communis excellit; id per admirationem sui laudem meretur: ita enim virtuti suam redditur præmiũ. Et Cicero ait: habet enim venerationem iustam quicquid in rebus excellit. Pro qua sententia videndus erit Arist. Ethic. lib. 1. cap. 12. vbi quærit vtrum felicitas bonum sit honorabile potiusquam laudabile, inter cetera enim ita ibi scribit, assentit: Omne autem laudabile, inquit, ex eo laudari videtur, quia est affectum aliqua qualitate, & ad bonum aliquod studiosumque refertur; iustum enim, & fortem, & bonum omnino virum, atque virtutem ab opere laudamus, & actiones. Id ita esse patet, & ex Deorum laudibus. Nam & eos beatos felicesque dicimus, & virorum etiam eos qui maximè sunt diuini, & rerum bonarum simili modo. Etenim laus quidè virtutis est, &c. Congruentia & similia sunt quæ scribit idem.

Arist. lib. 4. Ethic. cap. 3. vbi ait: Honorem esse premium virtutis, ideoque bonis hominibus tribuit, quamuis inquit, virtute accumulata nullus dignus honor fieri possit, &c. quæ profequitur.

Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora, &c.

Verba sunt Chori, id est, adolescentularum admirantium maiestatem, simul & grauitatem, ac modestiam Spõte incedentis, id est, quæ silentio gradu, seu gradatim, grauitérque procedit instar surgentis auroræ. Pro qua re vide Adag. Ingredi Iunonium. Vnde quidam ex prophanis Poëtis de aue Iunonia, id est, pauone, ita alicubi canit, & ludit:

Laudata ostendit Iunonia penas,

Si tacitus spectes, illa recõdit opes. Pauo enim auis lento gradu & quasi numero incedit, seu procedit, quinetiã gloria delectatur & capitur, laudatus. n. gemmatas alas ex aduerso sole quo melius videatur, cum iactatione expandit. Videndus quoq; Aufon. Poëta Epigram. 249. vbi describens aurorem, eleganter eam comparat cum rosa, ob roseum, seu purpureum colorem, id est, candorem cum rubore

A mixtum. Auroram enim aurei coloris esse constat, & ab igne solis aureo aër, siue cælum aurefcit: vnde & aurora nominatur, secundam Varronem lib. de lingua Latina verb. Lux. Iuxta illud Poëtæ qui canit:

Aurea fulgebat roseis aurora capillis.

Quod autem pertinet ad sensum sublimiorem, & mysticum, videtur in istis verbis, seu comparatione si diligenter attendamus, ænigma quoddam esse, & typus Ecclesiæ nouæ, quæ in suis statim initiis, seu infantia, instar auroræ fuisse videtur, quæ solum oriturum præcedens, atque prænuncians ab imperfecto ad perfectum paulatim procedit, id est, ab imperfecta luce, vsque ad perfectam paulatim & gradatim progreditur, qualis planè est lux illa solis meridiana. Vnde & in Euãgeliis grano sinapis à Christo Domino rectè cõparatur, & pusillus grex nominatur, quoniam scilicet primo tempore secundum speciem, & iudicium humanum, exigua fuit, & contemptibilis, & despicibilis, sed tamen vsque adeo mirabiliter creuit, atque ad eam magnitudinem peruenit, vt totum orbem tandem luce & splendore suo impleret, & vsque ad vltimum

mum

num terræ pertineret, id est, A pertingeret, ac penetraret, vnde & Catholica nominatur. Nam statim post ascensionem Christi in cælum, & Spiritus sancti de cælo missionem, per prædicationem Apostolorum atque etiam virorum Apostolicorum, non solum numero, sed etiam gratia, & sanctitate, & fama intantum creuit vt multo copiosior, florentior, & illustrior appareret, quam synagoga longo tempore, imò toto suo tẽpore extitisset, hoc enim sensu dixit, vel potius parabolicè prædixit Christus Dominus in Euangel. Matth. cap. 13. Simile est regnum cælorum grano sinapis quod accipiens homo seminavit in agro suo, quod minimum est omnibus seminibus, cum autem creuerit maius est omnibus oleribus, & fit arbor ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. De profecto quoque iustorum, id est, sanctorum, & perfectorum hominum congruenter per comparationem dixit Salomõ Rex iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem, Prouerbiorum cap. 4. Qui enim è tenebris in apertum aër euadit, non prius audet solis lumẽ aspicere quam

A minorem lucem sustinere tentauerit. Quo sensu etiam Rex Propheta Psalm. 83. ait: Ibunt de virtute in virtutem, &c. super quibus verbis videndus erit D. Aug. serm. de verbis Apost. vbi inter cætera sic ait: Semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id quod non es. Cæterum quoniam Author sacer, vel chorus adolescentularum hoc in loco dum ait: Quæ est ista quæ processit quasi aurora, &c. quodammodo laudat atque commendat Sponsam, ab incessu honesto, modesto, & graui, non abs re erit, sed etiam operæ pretium fuerit legere quæ scribit B. Isid. Pelus. li. 2. epist. 289. ad Isidorum scholasticum, vbi sic ait: à voluntate, animique destinatione res perpenduntur, at verò si mulier grauitè, & pudicè atque honeste incedat eam autem conspicatur quisquam vulneretur, hoc non mulieri conspectæ, sed ei qui vulneratus est, assignari debet. Eodẽmq; modo si vir grauibus, & concinis gressibus incedat, ac mulier quadam, eo conspecto faucietur, id non viri, sed eius quæ fauciatæ est, culpa contingit, &c. quæ profequitur in eandem sententiam de incessu mulierum, præsertim honesto, mo-

P p

desto, atque decoro, & casto, A instar surgentis auroræ, quæ solem iam iam statim oriturum præcedit; atque prænuñciat. Vnde August. lib. 11. Confess. cap. 18. recte ait: Intueor auroram, oriturum solem pronuncio: quod intueor præfens est, quod pronuncio futurum. Non sol futurus qui iam est sed ortus eius qui nondum est, neque enim illa aurora quam in cælo video solis ortus est, quamuis eum præcedat, &c.

Pulchra ut luna, electa ut sol, &c.

SPonsus Sponsum ob eximiam pulchritudinis præstantiam, duobus clarissimis mundi luminibus comparat, nempe lunæ, & soli, id est, lunæ plenæ, & soli meridiano: Luna enim plena in plenilunio, ut vocant, pulcherrima est, sol etiam meridianus, præsertim tempore verno, fulgentissimus existit: de vtriusque autem sideris laudibus, atque præstantia meminit etiam inter alia mirabilia & virtutes Dei Author Ecclesiastici cap. 43. vbi sic ait: Sol in aspectu annuncians in exitu vas admirabile opus excelsum. In meridiano exuret terram, & in conspectu ardoris

eius quis poterit sustinere? Sol exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens, radiis suis obæcat oculos. Magnus Dominus qui fecit illam, & in sermonibus eius festinauit iter. Deinde statim de laudibus lunæ, ita subdit: Et luna in omnibus in tempore suo ostentio temporis & signum æui. Luna signum diei festi, luminare, quod minuitur in consummatione. Vas castrorum in excelsis, in firmamento cæli resplendet gloriosè. Hactenus Author libri Ecclesiastici. Quinetiam D. Ambrosii hb. 4. Hexameron cap. 1. congruenter in laudem vtriusque sideris in hunc modum scribit: Sol oculus est mundi, iucunditas diei, cæli pulchritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ. Sed quando hunc vides, authorem eius considera, quando hunc miraris, lauda prius ipsius creatorem, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam. Et cap. 2. & cap. 3. & ca. 4. & sequentibus, in quibus mirificè expatiatur in prædicandis laudibus vtriusque luminis, seu luminaris, id est, solis, & lunæ. De quorum laudibus, pulchritudine, atque præstantia non tacent, sed potius abundant, & redundant scripta prophanorum, seu ex-

ternorum Authorum, præsertim verò Poëtarum, in quibus præsertim est Poëta Latinus Georg. hb. 1. vbi de sole & luna sic canit:

Vos ô clarissima mundi

Lumina habentem cælo que ducitis annum.

&c. Et in libro nono Æneid. B rursus ita canit:

Suspiciens altam lunam sic voce precatur:

Tu Dea, tu præfens nostro succurre labori.

Astrorum decus, & nemorum Latonia custos, &c.

Hæc n. posteriora verba Poëtæ ad lunam præsertim referuntur, quam Authores prophani superstiosè pro Dea diuinis honoribus colebant, reginamque cæli appellabant, quemadmodum plane appellat Apuleius lib. 11. de transformatione, & alij Authores prophani; Quinimo hæc etiam nomine, & vocabulo ex superstitione D sumpto; lunam appellat Hieremias Propheta cap. 7. vbi reprehendens populares suos Iudæos, qui iuxta ritum & morem aliarum gentium, lunam pro Dea passim colebant, sic ait: Nonne vides quid isti faciunt in ciuitatibus Iuda, &

in plateis Hierusalem? Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cæli, & libent Diis alienis, & me ad iracundiam prouocent, & cætera. Et cap. 8. & cap. 44. eodem sensu sic ait in persona Iudæorum lunam, solémque de ritu prophano colentium: Ex eo autem tempore quo cessauimus sacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti fumus, & cætera. Tanta itaque in mundo, seu rerum natura est præstantia horum duorum syderum, id est, solis & lunæ, ut occasio plerisque mortalibus, non solum Æthnicis, sed etiã Iudæis, populo peculiari Dei, fuerint superstitionis, impietatis, & idololatriæ, nam de Iudæis proprie & præsertim loquitur Oraculum Deuteronom. capite decimo septimo. Nec adorent solem, & lunam; & item quarto Regum 23. Adolebant incensum Baal soli, & lunæ, & cæter. & alias sæpè.

Nihilominus tamen sapientissime, & diuinitus comparatum est, ut hæc duo sydera alias clarissima mundi lumina

deliquia, seu defectus, laborumque; aliquos (vt ita dicam) seu eclipses haberent, ac pateretur, vt eorum cultores, id est, homines superstitioni ea pro Diis colentes essent prorsus inexcusabiles, quemadmodum recte animaduertit D. Ambrosius in loco superius commemorato, id est, libro quarto Hexameron capite primo, & sequentibus, praesertim vero ij qui Lunam tanquam Deum, vel Deam colunt; Nam Solis eclipses vident, & mirantur omnes, quia raro accidunt, ideoque magis mirantur eius eclipses quam Lunae, quoniam haec, nempe Lunae eclipses, id est, defectus, & varietates crebriores fiunt, vt inquit Author lib. tertio ad Herennium ante finem; quam ob rem quibusdam non male, neque inepte visum est, Ecclesiam Christi Catholicam, Lunam potius, quam Soli mystice comparare. Est enim in diei potestate Sol, & Luna in potestate noctis, quarum temporum vicibus obedire compellitur, & nunc impletur lumine, atque vacatur, quomodo etiam Ecclesia Christi tempora sua habet, persecutionis videlicet, & pacis. Nam videtur sicut Luna deficere, sed

A non deficit, obumbrari enim potest, deficere non potest, inquit Diuus Ambrosius, quia aliquorum quidem in persecutionibus discessione minuitur, vt martyrum confessionibus impleatur, & effusi pro Christo sanguinis clarificata victoriis maius deuotionis suae, & fidei toto orbe lumen effundat. Namque Luna luminis minutionem habet, non corporis, quando per vices menstruas, deponere videtur lumen suum, vt mutuetur a Sole quod facile puro aere, atque perspicuo, quando nulla eam, obducta nebula caligantem facit, colligi potest. Orbis enim Lunae manet, etsi non similiter totus, vt pars eius effulgeat, & qualis videri solet cum plenus est luminis, talis est magnitudine, sed per ymbrae quandam, lumine suo, vt videatur apparet. Inde cornua eius resurgunt, quia corpus eius in orbem diffunditur, & velut deficiente portionis luce sinuatur. Haec omnia D. Ambrosius in loco commemorato, id est Hexameron lib. 4. cap. 2. & quidem accommodata ad intelligentiam horum Sponsi verborum, cum Sponsam suam Lunam comparat, Lunam, inquam, non nouam,

sed plenam. Iuxta illud Ecclesiasticum cap. 50. De Symone filio Oziae Sacerdote magno. Quasi Luna plena in diebus suis, & quasi Sol resurgens, sic iste effuluit in templo Dei, vnde & D. Augustinus in Epistola ad Ioannem Apostolum tract. 1. contra Donatistas, & alios schismaticos, & haereticos, sic ratiocinatur: Numquid sic ostendimus Ecclesiam, inquit, Ecclesiam, quomodo ostenditur hominibus noua Luna? Nonne aperta est? nonne manifesta est? & caetera quae prosequitur in eandem, ibi, & alias saepe contra Donatistas, praesertim qui negabant veram Ecclesiam esse visibilem, & manifestam.

Electa ut sol, &c.

Altera pars comparationis est, magnam epitasim habens, non enim satis putauit Sponsus Sponsam Lunam plenam, atque perfectam comparare, nisi etiam Soli compararet. Sol enim luminare mundi maius, id est praestantius est quam Luna, & quasi rex caeli est, & decus astrorum, Luna vero luminare minus in sacris litteris appellatur, & est, siquidem cum Sole con-

A feratur; quantum enim nocti dies praestat, tantum Sol Luna praestare videtur, vt ne dicam amplius; siquidem vt testatur ipsa sacra historia Genes. cap. 1. Luna ideo facta est vt praeseret nocti, Sol autem vt praeseret, ac praeluceret diei. Itaque eleganter, & conuenienter Sponsus hoc in loco prius Sponsam Lunam, deinde posterius Soli comparauit, vt sic cresceret oratio, si a minori ad maius procederet, q. d. plane, quemadmodum Sol claritate, & pulchritudine facile praestat non solum Lunam, quae quasi aemula Solis quodammodo videtur; sed etiam aliis mundi, vel caeli minoribus; ita & tu pulchritudine, & forma, & virtutibus animi inter alias filias, seu mulieres excellis.

Videndus si placet, ad ornandam & illustrandam hanc Sponsae cum Sole comparationem, erit locus Plutarchi in Photione, vbi censet operae pretium esse in ciuitatibus, & populis gubernandis Sole ipsum imitari sapientissimum rerum parentem, & seruatorem. Hunc enim Mathematici perhibent supremi orbis vi, ac impetu raptum obsequi, non nihil tamen contra tendere utique, sed ea

modestia, & arte vt illi nec omnino obsequi, nec obsistere cōtumaciter videatur. Eauratione nouum quoddam motuum, ac temperamenti genus excogitasse, quo vno rerum erui, ac salutem per quam tute confuleret. Sic itaque in ciuitatibus dura nimium, & populari voluntati semper aduersa seueritas, contraque item blanda, & ad vulgi tantum libidinem accommodata facilitas pari ciuitates labe, ac periculo effecere. Qui vero in administrandis rebus ita versantur, vt ad salutem, publicumque commodum, velut ad metam aliquam, consilia sua dirigant, non nihilque ciuium gratia, & voluptati concesserint, hi mihi plane videntur sapientissime seruandarum rerum viam incedere. Quamquam, quam existimo haud parui esse negotij seueritatem posse cum comitate retinere. Quod qui nactus est, rem quidem esse assequutus qua nulla est, neque harmonia concinnior, neque suauitas gratior, aut vtilior, &c.

Decora sicut Hierusalem.

THren. cap. 2. Hæccine est vrbs dicentes perfecti de-

coris gaudium vniuersæ terra, & Psalm. 49. Ex Sion species decoris eius. Et alias sæpe de pulchritudine, claritate, & magnificentia vrbs Hierusalem. Quid enim fuit alicubi, quod in hac vrbe nō pulcherrimum, magnificum, & gloriosum, & sanctum? præsertim vero tempore Regum Dauidis, & Salomonis. Fuit enim hæc vrbs clarissima & quasi ocellus totius Asiæ, delitiæque, si magnificentiam, & sanctitatem templi, & alia eius decora, & monumenta antiquitatis respiciamus. Iuxta illud Psalm. 86. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, &c. Vt attestatur etiam Cicero Orat. 24. pro Flacco.

Terribilis vt castrorum acies ordinata.

Terribilis, id est admirabilis, q. d. non solum amabilis, sed etiam admirabilis, & veneranda instar aciei ordinatæ, & armatæ quæ aduersus hostes spectat.

Comparatio hæc Sponsæ cum acie ordinata etiam atque etiam in hoc capite 6. repetita, aliquid bellicum sonat, & insinuare videtur vt iam superius diximus, sed præsertim illud in-

sinuare, ac indicare, & commendare videtur, ordinem, numerum, & modum, quem seruat acies bene ordinata, qui ordo est pulcherrimus. Vnde etiam in lib. Ecclesiastici cap. 42. totum illum apparatus Itellarum, qui in cælis cernitur castris comparatur, quoniam scilicet instar castrorū pulcherrime ordinatus, & dispositus est: Pro qua re videndus Vegetius lib. 1. de re militari cap. 26. vbi docet ex professo, quæ dicatur, & sit acies ordinata, nempe ea in qua æquali, & legitimo spatio miles distat à milite. Idemque Vegetius lib. 2. cap. 15. docet qualiter instruenda sit acies si pugna immineat, &c. Itemque lib. 3. cap. 14. paucis verbis aciem ordinatam rursus describit dicens: Acies dicitur exercitus instructus, frons quæ aduersus hostes spectat, &c. Videndus quoque Ælianus lib. cui titulum fecit de instruendis aciebus, vbi ita auspicatur: Primus omnium, quos nouerimus Poëta Homerus acierum instruendarum scientiam tenuisse, atque homines ea præditos facultate probasse, laudauisseque videtur. Quale illud de Minesthæo carmen legimus, Nulla quidem huic similem mortalem protulit aras. Ordine qui Martis tur-

mas equitemque locaret, & cæt. quæ prosequitur in eadem sententiam vsque ad finem libri. Videndus Sueton. in Augusto cap. 16. vbi ait cum nec rectis oculis aspicere potuisse instructam aciem. Hæc dixerim atque paulo diligentius notauerim, quoniam videtur Sponsus, siue Author Cantici his verbis cum iterum atque iterum in laudibus Sponsæ ait: Terribilis vt castrorum acies ordinata, ænigmatische laudare, & commendare rationem ordinis, id est præcipere vt in omnibus rebus seruetur ordo, honestas, atque decorum, exemplo scilicet Sponsæ, quæ in omnibus actionibus, motibus, & gestibus terribilis, vel potius admirabilis apparebat, neque solum gratiã, & beneuolentiam, verum etiam admirationem omnium, & auctoritatem sibi consiliabat. Ordo enim pulcherrimus rerum est. Vnde illud Pauli Apost. 1. Corin. ca. 14. vbi ait: Omnia autem honeste & secundum ordinem fiant in vobis. Pro qua re si quis volet hunc locum, vel sententiam communem amplius dilatare & illustrare, legendus erit Orig. homil. 2. in Num. & item D. Ambrosius li. 1. offic. cap. 45. & 46. & Basilii lib. regularum fusius, dis-

put. Interrog. 24. pag. 406. C6-
sentaneus, & germanus locus
est apud Platonem Dialog. 6.
de legib. Vbi in persona Athe-
nientis sic loquitur: Quidquid
enim in ciuitate legis, ordinis-
que est particeps, cuncta ex eo
bene procedunt; quæ vero or-
dine carent, vel male ordinata
sunt, ea etiam quæ sunt bene
ordinata confundunt &c. Vn-
de etiam Arist. lib. 5. Ethic. cap.
1. præcipit aut lex, inquit, & ea
agere quæ ad virum pertinent
fortem, vt non deserat locum
in acie, non fugere, non arma,
aut scutum abiicere. Sic ille, sed
præsertim pro hac re exempli
gratia legendus erit locus ille
qui est 3. Reg. cap. 10. Vbi scrip-
tum est de aduentu reginæ Sab-
ba ad visendum Regem Salo-
monem; videns enim domus
regiæ & aliarum rerum Salomo-
nis apparatus, & ordinem pe-
ne obstupefacta & animi sus-
pensa est, præ nimia admiratio-
ne; videns autem, inquit Ora-
culum, Regina Saba omnem sa-
pientiam Salomonis, & domum
quam ædificauerat; & cibos
mensæ eius, & habitacula ser-
uorum, & ordines ministran-
tium, vestesque eorum, & pin-
cernas, & holocausta quæ offe-
rebat in domo domini, non
habebat ultra spiritum, dixit-

A que ad Regem: Verus est sermo
quem audiui in terra mea; ma-
ior est sapientia, & opera tua
quam rumor quem audiui &c.
Similiter ergo & Sponsa fertur
hic admirabilis fuisse omnibus
eam intuentibus, & aspectu,
vultuque suo admirationem,
stuporem, & quasi terrorem
bellicum instar aciei ordinatæ
& armatæ peperisse. Vide quæ
pro hac sententia scribit D.
Amb. lib. 2. Epist. 7. ad Simpli-
cianum, vbi loquens de fortitu-
dine antiquorum christiano-
rum in contemnenda, & oppe-
tenda morte pro fide Christi,
inter cætera sic ait: Apud nos
autem & puellæ de mortis ap-
petentia sublimes vsque ad cæ-
lum erexere virtutum gradus.
Quid Theclam, quid Agnem,
quid Pelagiam loquar, quæ tã-
quam nobilia vitulamina pul-
lulantes ad mortem, quasi
ad immortalitatem festinaue-
rant. Inter leones Virgo exul-
tauit, & prodeuntes bestias ex-
spectauit intrepida. Quid autem
sublimius sancta Pelagia, quæ
vallata à persecutoribus prius-
quam tamen in eorum consp-
ectum veniret aiebat: Volens
mior, nemo me continget
manu, nemo oculo proteruo
violabit Virginem. Mecum fe-
ram pudorem, mecum incolu-
men

609 *Cap. 5. Vers. Descendi in hortum meum, &c.* 610
men verecundiam, nullum præ-
dones lucrum suæ capient in-
solentia, &c.

Descendi in hortum meum, &c.

DE hortis Salomonis scri-
ptum est Eccles. cap. 2. vbi
in persona ipsius Salomonis sic
habetur: Feci hortos & poma-
ria, &c. Cuiusmodi deliciarum
plerique Reges, etiam Barbari
sunt studiosi; præsertim vero
Reges Ægyptiorum, vt testa-
tur Athæneus, & refert Cælius
lib. 18. cap. 37. vnde etiam forte
in hac re, nempe hortensi in-
dulgere voluit filia Pharaonis
Regis Ægyptiorum primæ vxori
suæ, & quidem longe charissi-
mæ 3. Reg. cap. 3. Videndus Vir-
gil. lib. 4. Georg. vbi eleganter
laudat hortorum cultum. Et
Lipsius lib. 2. de Constantia ca.
2. & 3. & Iosephus Iudæus lib. 8.
Antiq. Iudaic. cap. 2. & cap. 4.
Vbi de Rege Salomone descē-
dente in hortum suum ita scri-
bit: Rex vectus in currum, & al-
ba veste circumamictus solitus
erat ire ad quendam locum, quia
ab Hierosolymis duabus schœ-
nis abest, vocaturque Itham,
hortus aquarum irrigationibus
gratus & locuples. Huc ergo
rex causa delectationis egredie-
batur, &c. Hactenus Iosephus.

A Cui suffragatur Beatus Isido-
rus Pelus. lib. 2. epist. 66. ad Epi-
phanium Diachonum, vbi con-
gruenter & probabiliter expo-
nit locum illum Psalm. 73. Tu
creasti fluuios Ethã. Vult enim
Etham non esse nomen com-
mune, aut appellatiuum, sed
potius proprium loci in Pala-
stina, quippe qui totus erat flu-
uiis irriguus, atque arboribus
& fructibus abundans, & ob-
ingentem animalium copiam,
& piscium ad venandum, atque
piscandum commodus, duo-
bus passuum millibus ab vrbe
Hierusalem diffitus, pratis, &
hortis, viuariis ac laticibus per-
amcenus & copiosus, ad quem
Salomon ex vrbe piscationis, ac
venationis causa subinde com-
meabat. Idque ostendit atque
confirmat ex autoritate Iose-
phi Iudæi. Vide Plin. lib. 20. de
natural. hist. cap. 5. vbi ait: Syria
in hortis operosissima, &c.

Quadrigas Aminadab.

D Vide Adag. Nauibus, at-
que quadrigis. Et item
Adag. Citis quadrigis. Et Iouis
quadrigis. Nam his omnibus
Vulgo vtimur pro eo quod
summo studio, summaque fe-
stinatione abire, seu fugere. Sic
Plautus in Pœnulo loquitur:

Nisi ego illum iubeo quadrigis A
cursum ad carnificem rapi, Et in
Aulularia : quod herusiubeat
citis quadrigis properet perfe-
qui. Et in Amphitryone : qua-
drigas si nunc inscendas Iouis,
numquam effugies infortu-
nium. Ex quibus locis plane
liquet quid sibi velit hinc & alias
quadrigas uti Aminadab. Est
enim forma prouerbialis, vel al-
lusio ad formam prouerbialem,
qua significamus summam ab-
eundi celeritatem.

Nihil tamen temeritate, & co-
natu, & impetu in frangi, ac præ-
cipiti celeritate foedius esse po-
test in rebus, agendis civilibus,
& moralibus. Maturitas enim re-
bus cunctis adhibenda est, de
qua cecinit Poëta:

*Nam mora dat vires, teneras mora
præcoquit vnas.*

*Et validas segetes quæ fuit herba
facit.*

Quo sensu etiam dixit alter ille
verus Poëta de Q. Fabio Maxi-
mo: Unus homo nobis cuncta
do restituit rem, & cat. Vide
Adag. Festina lente. Et me-
diocritas aurea. Et illud Epi-
grammati Poëtæ: O quantum
est subitis causibus ingenium,
Tollendam quidem manam
de tabula significare delphi-
num anchoræ illigatum, seu in-
paxum constat. Videndus quo-

que erit Greg. in 1. Reg. cap. 7.
lib. 3. pag. 1372. vbi exponit ety-
mon, seu rationem vocis Ami-
nadab, id est, populus meus
spontaneus quem ad exercen-
da virtutum opera sola bona
voluntas trahit, quem ad im-
plenda mandata Dei necessitas
non compellit, &c.

*Reuertere reuertere Sulamitis, re-
uertere reuertere, &c.*

PRO allegoria horum ver-
borum, sponsi legendus
erit Marcus Heremita in serm.
de pœnitentia pag. 166. vbi in
laudem pœnitentia inter cate-
ra ita scribit: Nemo damnatus
est, nisi hanc contempserit, nul-
lusque iustificatus est, qui stu-
diosius eius non fuerit. Deinde
ita subdit: Samson, & Saül, &
Heli cum filiis eius, cum iam
aliqua ex parte sanctificatio-
nem adepti essent, primo hanc
perdiderunt, ut neglexerunt
pœnitentiam, cum que non ani-
maduerterent, ut rei mortis ce-
ciderunt, & cat. quæ prosequi-
tur in eandem sententiam. In
quo loco mirum mihi vide-
tur, & nouum, si nullam pror-
sus, vir iste sanctus mentionem
fecerit de pœnitentia & salu-
te Salomonis regis, nam si ille
de huius pœnitentia & salute

dubitasset, vel dubitandum A
existimasset, similiter atque
aliorum trium virorum etiam
Salomonis regis nominatum &
in primis meminisset. Operæ
pretium autem fuerit ad ple-
niorem tractationem allegoriæ
legere D. August. serm. 34. lib.
de verbis Domini. Vbi exponit
illa verba Dei Ezech. cap. 1. B
Conuertimini ad me, & ego
conuertar ad vos. Vbi inter
cetera ita inquit: Auerfus est
Deus, quia tu te aueristi; ab il-
lo fecisti calum, non iuste a te
fecit occasum. Ergo audi di-
centem, Conuertimini ad me,
& ego conuertar ad vos. Fu-
gentis dona persequitur, qui
faciem redeuntis illuminat.

Videndus quoque pro alle-
goria istorum verborum erit
D. Hieronym. Oteæ cap. 2.
super illis verbis: Et spontabo
te mihi in fide, sic enim ibi ait,
atque exclamat; ô quanta cle-
mentia Dei, meretrix quæ cum
multis amatoribus fornicata
est, & ob crimen bestiis tradita,
postquam reuertitur ad virum
nequaquam reconciliari dici-
tur, sed sponderi. Et vide quid
sit inter conuersionem Dei,
& hominum. Homo cum vxo-
rem acceperit, de virgine mu-
lierem facit, Deus etiam mere-


tricibus copulatus, eas mu-
tat in virgines, & cetera quæ
prosequuntur apud diuū Hie-
ronymum, ut omittam alios
complures. Nam hæc trina
eiusdem verbi repetitio valde
est emphatica, & mirifice osten-
dit, tum affectum & charita-
tem Dei erga nostram salutem;
tum etiam torporem, & tepo-
rem, seu tepiditatem nostram
erga res diuinas, & salutare.
De qua re conqueritur ipsum
Oraculum Apocal. cap. 3. di-
cens: vniam calidus es, aut
frigidus, sed quia tepidus es in-
cipiam te euomere de ore
meo, & cetera. Quare tan-
dem, tandem reuertamur ad
Deum magno cum studio &
desiderio, & alacritate, sicut
oportet, & decet eos qui ex
animo pœnitentiam agunt, non
verborum, sed factorum, sicut
elegantè appellat atque ad-
hortatur etiam Simplicius Phi-
losophus comm. in Epictet. ca.
20. Lege.

Sulamitis.

Sulamitis nomen est appel-
latiuum potius quam pro-
prium, & pacificum, sicut &
nomen Salomonis etiam paci-
ficum significat. Vtrumque

Qq ij

enim nomen à pace deriuatur. **A**tare, vt annotauit atque exemplis ostendit Apuleius Apollonia. Non tamen existimandum est Authorem sacrum tantummodo elegantiae causa, aut de more Poëtico nomen Sponsae proprium occultasse, sed potius ob mysterium. Vide pro hac re Adag. Vbi tu Caius, ibi ego Caia.



CAPVT SEPTIMVM.

Choros castrorum.



QUID autem castris cum choris, quippe cum chori pacatis, & latis rebus: castra verò bellicis, & turbulentis magis conueniant: sed tamē ex castris chori fiunt cum in castris vicerint virtute, milites Poëana canentes, id est, ludentes, & saltantes reuertuntur, & choros ducentes, victoriae præconium laudibus celebrant. Vt doctè interpretatus est Theodoretus comm. in hunc locum. Pro qua re videndus eriam erit Seneca Philosophus epist. 55. vbi scribit de choro isto vulgari, qui multorum vocibus constat. Et item A. Gellius lib. 1. Noct. Attic. cap. 11. & Aristophanes in vespis, vbi vocans insones sic ait: O qui quondam fuistis fortes

in chorèis, fortes in pugnis, &c. quæ prosequitur in eandē sententiam, alludens videlicet ad Adag. illud verus: Fuimus Troes. Vbi Author Adagiorum narrat de antiquissima illa Lacedæmoniorum chorèa, siue cantilena, quippe quæ triplici ferie, atque orbe constabat, nempe senum, puerorum, iuuenum. Senum autem hæc erat cantio: Nos fuimus olim strenui iuuenuli. Deinde puerorum, hæc erat: Præstantiores nos futuri olim sumus. Postremo iuuenum hæc erat: At nos sumus, vel experire si velis. De qua chorèa meminit Plutarchus in libello cui titulum fecit: Quo pacto laudari quispiam citra inuidiã possit; Nant pueritia ingressus est vitæ, virilis atas progressus, senectus autem exitus vitæ est. Hactenus Plutarchus. Cæterum vt ne quis forte hæreat in voce, sciendum quod Pyrriche vox

Græca saltationis, id est, chori, seu choræ castrensis genus significat, quod ab armatis pueris peragebatur; ut attestatur Athenæus lib. 14. Dipnosophistarum, ostendens in istiusmodi saltatione, seu chorea, quandam belli imaginem repræsentari, hoc est, impetum, & ardorem ad orientum, & celeritatem fugientium. Vide Adag. Pyrrichem oculis per se ferens. Quinetiam videndus Plinius lib. 7. cap. 56. ubi ait: saltationem armatam: Curetes docere; Pyrrichem verò Pyrrus, utramque in Creta.

Si quis autem plura super hac re desiderat, legendus Polyd. Virg. lib. 2. de Inuentoribus rerum c. 13. ubi de saltatione Pyrrica siue choræ, & ludo Pyrrico accuratius scribit. Quomodo cumque tamen res se habeat, chorus, siue choræ nihil est aliud quàm congregatio, seu multitudo & corona quadam saltantium, atque canentium, siue virorum, siue mulierum, siue ea sit castrensis, & armata, id est viris armatis constet, siue inermis. Nihilominus tamen in præsentiarum sermo est de choræ castrensi, & militari, seu bellica quæ hominibus armatis constat. Sponsus enim si diligenter attendamus amicos,

& familiares suos alloquitur, atque in laudem Sponsæ per comparationem sumpta scilicet metaphora, ex re, seu choræ militari atque armata, ita ait: Quid videbis in Sulamite, nisi choros, seu choreas castrorum? q. d. plane, nihil profecto est in Sponsa mea, quod non sit honestum, atque decorum & pulchrum, id est, graue, moderatum, & bene ordinatum, simul & seuerum, ac terribile, quemadmodum cernere est in choreis istis castris, id est, militibus, & armatis, quæ in publica læticia, seu victoria & triumphu causa à multis in castris, aut in ciuitate fiunt, & instituuntur interdum animi causa, in speciem, & ad imitationem chorearum castrisium, perinde enim hoc valet, ac si dicat Sponsus: Nihil prorsus in Sponsa mea est lasciuum aut leue, aut vulgare, nihil incōcinnum, aut indecorum, nihil præter rationem, modum, & numerum, nihil denique muliebre, sed potius omnia virilia, fortia & terribilia instar chorearum militarium. Quo sensu etiam dictum est superius de eadem Sponsa ab adolescentulis Cant. cap. 6. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna,

electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. Vtriusque enim loci videtur eadem essententia. Dixi autem sermonem hunc. Quid videbis in Sulamite, &c. proprie esse Sponsi ad amicos, & familiares, vel certè ad vnum aliquem ex numero amicorum, & singularium, quia scilicet verbum (videbis) & singularis numeri in secunda persona. Amicorum verò, & familiarium suorum meminit ipse Sponsus aperte Cant. cap. 5. cum ait: Comedite amici, & bibite & inebriamini charissimi. Et Cant. cap. 8. cum ait: Amici auscultant te, fac me audire vocem tuam. Neque proinde abs re erit ad locum melius intelligendum legere quæ de officio, & varia chori rationi scripsit quidam ex recentioribus Ioannes Antonius de arte Poëtica lib. 2. cap. 10. ubi docet quemadmodum ad chorum pertineat interdum canere, moueri, gestire, salire ad.

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, &c.

Mulieres decent molles, & preciosi & pulchri calcei, non itè viros, vnde Ezech. cap. 16. ubi sermo est de mundo, seu ornatu muliebri ait Ora-

lum: vestiui te discoloribus, & calceauit te Hyacintho, &c. Et in lib. Iudith. cap. 10. legimus eam ituram ad Holofernum inter alia ornamenta pretiosa, delicata, & mollia, calceamentorum quoddam genus induisse, quod sandalium appellatur; Et eiusdem lib. cap. 16. in cantico videlicet victorali in laudem istiusmodi sandaliorum seu calceamentorum (quoniam scilicet valde pulchra, & preciosa erant) ita legimus: sandalia eius raperunt oculos eius. Mirum est autè, nec ratione, & mysterio caret, si prætermittis tam multis, & variis rebus quibus ornata erat Iudith, ad sola sandalia respexerit Holofernes, vel potius solummodo sandaliorum meminerit Oraculum, mirum quoque videri potest, si Sponsus hoc in loco à sandaliis, seu calceamentis Sponsæ, præsertim auspicietur & laudationem inchoauerit quasi à primo, nisi forte dicamus Sponsum voluisse in hunc modum laudare humilitatem Sponsæ singularem: quippe quæ virtus ei plurimum placebat, iuxta illud Luc. cap. 1. ubi etiam Deipara, id est, virgo genitrix in Cantico suo ait: Magnificat anima mea Dominum, &c. Quia respexit humilitatem



ancillæ suæ, &c. quasi verò nul-
lam aliam virtutem, vel certe
haec præcipuam virtutem ha-
beret: tanto honore, & bene-
ficio dignam. Dixi autem mu-
lieres quodammodo, & secun-
dum indulgentiam, id est, pro
tempore, & loco, decere mol-
lia, & delicata, & pretiosa cal-
ceamenta, non item viros; Ni-
hil. n. turpius quam si vir istius-
modi calceamētis aut vestibus
mulierib. vtatur. Pro qua re ex-
pli gratia legendus erit Cic. de
Orat. lib. 1. fin. vbi loquens de
Socratis Philosophi constantia
in morte, ita eum loquentem
facit. *Lysia oratoris, qui ei di-
sertam afferebat orationem vt
ea pro se in iudicio vteretur at-
que ita supplicium euaderet:*
Quemadmodum, inquit, si
mihi calceos Sicyonios attulif-
ses, non vterer, quamuis essent
habiles, & apti ad pedem, qui
non essent viriles: sic illam ora-
tionem disertam sibi, & orato-
riam videri, fortem autem, &
virilem nō videri. Sicyon enim
vrbs erat non procul à Corin-
tho, vbi molles, & mulieribus
calcei olim fiebant elegantes.
Hinc tunicam virilem, & mu-
liebrē dicimus, non eam quam
habet vir, sed quam habere ex
instituto debet, & decoro.
Alioquin enim potest mulie-

bre vir, & virilem mulier ha-
bere, vt in scena ab actoribus
haberi videmus, sed eam dici-
mus muliebrem, quæ de eo ge-
nere est, quo indutu mulieres
vt vterentur, est institutum.
Quemadmodum annotauit
etiam Varro de lingua Latina
lib. 9. Sicut ergo vestimenta, ita
& calceamenta pulchra, id est,
mollia, delicata, & pretiosa,
mulieres quodammodo decēt,
ita & viros dedecent. Vnde
Deut. cap. 22. Commodè san-
ctum, cautumque est lege di-
uina, seu Mosaiica in hunc mo-
dum: Non induetur mulier ve-
ste virili, neque vir vtetur veste
fœminea. Tali equidem veste v-
g. seu habitu muliebri indutū,
& deprehensum, olim Romæ fuis-
legimus P. Clodiū domi C. Cæ-
saris, cum sacrificium pro po-
pulo fieret, vt tradit historia,
& testatur Cicero ad Atticum
lib. 1. epist. 8. & alias sæpè. Sed
redeamus ad rem de calceis.
Abominabilis enim est apud
Deum, qui facit hæc. Nihilomi-
nus tamen Diocletianus Im-
perator, vbi primum creatus, &
initiatus Imperio Romano, fuit
regiæ consuetudinis formam
magis, quam Romanam liber-
tatem inuexit, seque primum
adorare & pedes exosculari iuf-
sit, quibus etiam venerationem adhi-

adhibuit, exornans calceamen-
ta auro, gemmis & margaritis,
vt est in Imperatorum Roma-
norū vitis, & imaginibus, quod
etiam refert, atque confirmat
Adon Episcopus Viennensis
in Breuiario chronicorum pag.
142. vbi sic ait: Diocletianus
primus gemmas, vestibus, cal-
ceamentisque inferi iussit, dum
sola purpura retro principes
vterentur. Quinetiam alibi in
historia proditum est Byzanti-
nos Imperatores olim rubris
calceis vsos fuisse, Romanos
autem Cæsares calceis virilibus,
quibus aurea aquila intexeba-
tur tanquam in signe Romani
imperij. Herodotus autem in
Euterpe, id est, lib. 2. pag. 60.
agens de vrbibus Ægyptiorum
ita scribit: Harum Vrbium An-
thylla, quæ insignis datur pecu-
liaris in calceamēta vxoris sem-
per eius, qui in Ægypto regnat.
Quod factum est, inquit, ex
quo Ægyptus fuit ditionis Per-
sarum. Hactenus ille. Vsq̄
adeo processit ambitio & luxus
muliebris, præsertim verò regi-
narum apud Ægyptios, & Per-
sas. Caterum pro sensu mora-
li, atque eruditione nostra, non
abs re erit legere quæ scribit
Epictetus Enchiridij ca. 26. vbi
congruenter, & philosophice
præcipit de modo seruando in

omnib. rebus, sed præsertim in
victu, & vestitu, exemplo vtens
aurati, & pulchri calcei, ita enim
inquit: Modus pecuniæ corpus
est vnicuique, vt calcei pes, si
igitur in eo institeris, modum
seruabis si præterieris, iam velu-
ti per præceps, te ferri necesse
erit, vt & in calceo, si vltra pedē
progressus fueris, sit aurat⁹ cal-
ceus, deinde purpureus, deinde
interpunctus. Eius. n. quod semel
trāsierit modū nullus est tremi-
nus Haët. Epictetus. Super qui-
bus verbis Simplicius eius In-
terpres in scholiis inter cætera,
illud etiam admonet, tantam
scilicet fuisse olim apud Roma-
nos in cōficiendis calceis pur-
pureis, & interpunctis curiofi-
tatem, vt auratis etiam profer-
rentur. Sic ille. Si quis plura su-
per hac re desiderat, is videat
Adag. Colophonium calcea-
mētum. Et item Adag. In astrag-
alis nobilitas. Et Adag. Sicyo-
nia calceamēta, id est, pulcher-
rima; Cicero ad Atticum lib. 1.
epist. 15. & Lucilius: In pedibus
pulchra Sicyonia demit hone-
sta. Et Lucretius, & pulchra in
pedibus Sicyonia ridet. Caterū
Author facer non dixit, neque
expressit hęc ex qua materia
constabant calceamenta ista
Sponsæ; vtrum ex corio, an ex
alia materia diuersa: Corium

enim materia est morticina. A Vnde & Poëta quidam prophanus, id est, Martianus Capella l. 2. de nuptiis Philologiae, describens eius ornatum seu habitum, atque vestitum virginalem, calceos ei attribuit non ex corio confectos, sed potius ex quodam genere papyri delicatissimi; Ne quid eius, in-quiens, mēbra pollueret morticinum. Sic ille.

Iunctura fœminum tuorum, &c.

Fortè videri potest Author sacer hoc in loco alludere ad ritum sacrificiorum legitimum, de quo scriptum est Levit. cap. 1. & 3. & 4. videlicet de animalibus idoneis sacrificio, deque victimarum generibus. De qua quidem re, seu argumento scripsit etiam Philo ludæus in lib. cui titulum fecit de victimis tom. 2. pag. 189. vbi sic ait: Requiritur autem integra hæc omnia illæsa partibus omnibus, & maculis etiam, nervisque carentia. Tanta enim cantella videntur in hoc negotio, & qui offerunt victimas, & ipsi sacrifici ut probatissimi sacerdotum, peritissimiq; ab extremis pedibus exorsi per totum corpus inquirant, quæ sunt conspicua, ne ventre, fœminibusque caletur, vel minima labe-

cula. Adhibetur autem hæc cura non propter victimas, sed vt sine omni culpa sint, qui eas mactandas offerunt, submo-ventur enim his symbolis, vt quoties accedunt altaria, vel nuncupaturi vota, vel redituri nullum vitium, nullumq; morbum afferant in anima, sed contentur omnino nitidam, & immaculatam in conspectu Dei producere ne visam auerfetur. Hactenus Philo.

Vmbilic⁹ tuus crater tornatilis, &c.

IN corpore humano caput sursum est, pedes deorsum, medium vero locum obtinet vmbilicus. Itaque Sponsus vt toto corpore perfectam esse Spōsam indicaret, non satis habuit extremas partes, id est, caput pedesque eius commemorare, nisi etiam vmbilicum laudaret, & cōmēdaret, vt hinc videlicet omnino cōstaret de rotundius corporis Spōsa, & partium eius inter se analogia, seu proportionem & perfectionem. Quāobrem etiam vmbilicū Spōsa propter singularē prerogatiuā figuræ sphericæ comparat cum cratere tornatili, id est, torno elaborato, rotundo, atque perfecto. Nam & terra seu orbis terrarū vmbilici ac puncti instar est, si cum mundo vniuerso compa-

retur, formaq; rotunda in modum vmbilici constat. Quemadmodum videre est apud Plinium lib. 7. cap. 17. & Vitruvium initio lib. 13. de re militari, & Danielē barbarum, aliosq; recētiore, qui de proportione humani corporis, & partibus eius singulis diligenter scripserunt. Ceterum admonitum esse oportet lectorem vocem vmbilici in sacris litteris interdum in malam partē vsurpari, nempe pro fomite peccati, seu concupiscentia mala, superflua, ac vitiosa, vt patet ex lib. Iob. cap. 40. & item Ezech. c. 16. vbi ita ait Oraculū: Non est præcisus vmbilicus tuus, &c. q. d. per translationem, adhuc regnat in te peccatum, vel fomes & radix peccati, & cōsuetudo mala. Est enim metaphora sumpta ab infantibus quibus recens naris pars illa superflua, & vitiosa vmbilici ab obstetricibus amputatur, atq; præciditur. Nā matrix illic catenata constringitur. Vidēdus pro hac interpretatione atque sentētia D. Epiphan. hæres. 44. De Apelle hæresiarcha, & Apellianis, vbi sic de illis affirmat & tradit: Dicunt & mulierē opus Satanæ esse, & matrimonium contrahentes Satanæ opus explere, sed & hominis dimidiam partē esse Dei, dimi-

diam autē esse diaboli; nam ab vmbilico & supra dicunt esse formationem Dei, ab vmbilico autem, & infra malæ potestatis, id est, Satanæ formationē esse, &c. Hæc Epiphan. Si quis autem plura desiderat de hac corporis parte, legendus erit Cartharius lib. de imaginibus Deorum tit. Venus p. 348. & itē. 341.

Crater tornatilis.

SVbaudi particulam comparatiuam (tamquam) q. d. vmbilicus tuus tāquam crater tornatilis, id est, tamquam vasculū quoddam affabrefactum, seu elaboratum, & torno factū, opera. n. torno facta ferè rotunda, & perfecta sunt, ideoque superius Cant. ca. 5. etiam manus Sponsi per cōparationem tornatiles esse prædicantur, id est, teretes, rotundæ atq; perfectæ. Vnde & Cic. in lib. 2. de natura Deorum in laudem sphericæ, & rotundæ figuræ sic ait: Quid. n. pulchrius ea figura, quæ sola omnes alias figuras cōplexa cōtinet, quæque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest. Ceterum de craterum, seu poculorū generibus variis & ambitiose apud antiquos eleganter scribit Clemens Alexand. lib. Pedag. cap. 2. & 3. Et item D.

Amb. lib. de Elia & ieiunio c. 13. A
ut omittā alios. Sed tamen cū fi-
tis fauces vrit, nemo aurea que-
rit pocula, ut inquit Horat. li. 1.
Saty. 2. Nihilominus ut ne quis
forte errer, aut hæreat in voce
crateris quoniam ambigua est,
ideo admonitū obiter oportet
esse lectorē, quod crater etiam
est in fontibus receptaculum, B
quod & labrū dicitur ex quo fi-
stulis aqua decurrit. Ut apparet
ex Cic. ad Atticū lib. 2. epist. 8.

Pro allegoria autem crateris
non abs re erit legere quæ scri-
bit D. Greg. Naz. Orat. 24. pag.
652. & Elias Cretēsis eius Inter-
pres ibidem, & Dionys. Areop.
epist. 9. ad Titum, & item in lib.
de mystica Theologia. & Basil.
Mag. hom. 12. in princ. Prouer-
biorū pag. 175. vbi allegoricè, &
mysticè exponit locum illum
Salomonis Prou. c. 9. Sapientia
ædificauit sibi domū, miscuit
vinū, & posuit mensam, &c. Si
quis autem plura desiderat, is
legat B. Isid. Pelus. lib. 2. epist. 3. D
ad Timotheum lectorē, vbi di-
ligēter & copiosè præfatum lo-
cum exponens inter cætera, ita
scribit. Sermonū præterē, hoc est
diuinas scripturas Dei sapientia
miscuit. Craterem inquam non
melle aut lacte, aut vino, sed do-
ctrina, de Philosophia refertum
diuinisq; gratis redimitū, qui

eos quibus adhibetur ad virtu-
tem, ac pietatem hortatur, &c.
quæ profequitur in eandē sen-
tentiam. Et D. Aug. lib. Cōfess.
c. 6. vbi loquens de Fauſti here-
tici eloquentia, & facundia, seu
gratia loquēdi sic ait: Sed quid
ad meam sitim pretiosorū po-
culorū decentissimus ministra-
tor, iam rebus talibus saturatæ
erant aures meæ, nec ideo mihi
meliora videbātur, quia melius
dicebantur, nec ideo vera, quia
diserta, nec ideo sapiens anima,
quia vultus cōgruus, & sapiens
eloquium, &c.

*Venter tuus sicut aceruus tritici,
vallatus liliis.*

ID est, venter seu vterus tuus
æqualis, decorus, & floridus
est minimèque rugatus, ut pote
virginalis intact⁹, ilibatus, & ca-
stus: vter .n. hominis qui sub-
est stomacho, non simplex, sed
multiplex & multiformis, ut in-
quit Plin. & cōfirmat Cic. l. 2. de
natura Deorū. Nam duo habet
tergora. i. coria, & varias habet
plicas, ideoque multiplex dici-
tur. De quare plura Celsus. Vi-
dendus autem erit præsertim
Aulus Gellius lib. 12. cap. 1. vbi
ex autoritate & verbis Pha-
uorini Philosophi iure ac me-
rito inuehitur in malieres, quæ
quibusdam commentis frau-

dibus nituntur, ut cæterus quo-
que ipsi in corpore suo concep-
ti aboriantur, ne æquor illud
vtrius corrugetur, ac de graui-
tate oneris, & labore partus fa-
tiscat, &c. Admonitum tamen
oportet esse hinc lectorē vo-
cem Hebraicam, pro qua vul-
gatus noster Latinus reddidit
aceruum, commode etiam ver-
ti posse cumulum; quasi di-
cat Sponsus, Venter tuus sicut
cumulus frumenti, vel tritici,
liliis, vel rosis circumdatus, &
custoditus, ut ne tam facile ap-
pareat, & pateat cunctis, id
quod intrinsecus lateret. Iuxta
illud Cant. cap. 4. Hortus con-
clusus, foror mea Sponsa, hortus
conclusus, fons signatus. C

*Collum tuum sicut turris
eburnea.*

VOx (Eburnea) translatio-
nem habet, quæ enim al-
ba & candida sunt, per transla-
tionem eburnea dicuntur ob
eboris eximium candorem. Vn-
de etiam superius Cant. cap. 5.
in laudibus Sponsi ait Sponsa:
Venter illius eburneus, id est,
candidus. Et Poëta Latinus lib.
6. Æneidos hoc sensu meminit
de porta apud inferos Eburnea.
Pro qua re vide Adag. Ebur-
atramento candefacere; &

item Adag. Sincerum vas in-
craftare, pro eo quod est rebus
per se decentibus rectorium
extrinsecus inducere quod te-
gat, & obscuret natiuum decus,
non augeat. Vnde & olim apud
Romanos magistratum com-
petitores in veste candida sta-
bant, & ambibant, quia candor,
inuidiæ, & sordibus opponitur,
& ita se rite & pure ad Reipub.
bonum citra sua merita petere
significabant sine fuce, ac falla-
ciis de more maiorum, atque
proinde ob candorem vesti-
menti Candidati dicti, qui sic
petebant. Ut patet ex Plutar-
cho in problematis.

Filie multitudinis.

VIde in catena veterum
Theologorum Græco-
rum Num. cap. 34. Super illis
verbis, Qui circuibant austra-
lem plagam, &c. Vbi extat talis
glossa, Interpretes nostri duna
nomina etiam propria Hebrai-
cæ linguæ in qua nullum no-
men est sine Etymo, transfer-
re conantur, obscuriores nobis
sententias impingunt, creden-
tibus nomen proprium loci,
appellationem esse. Ut in Psal-
mis, Et factus est in Hierusalena
locus eius, &c. vbi vulgata edi-
tio Latina habet; Et factus est

in pace locus eius. Que quidem annotatio, seu admonitio valde memoriæ commendanda & retinenda erit nobis, vt ne in quibusdam locis diuinæ scripturæ turpiter per imperitiam hallucinemur, opinantes nomina propria Hebraica apud interpretem communia esse & appellatiua. Videndus And. Masius in Iosue cap. 12. pag. 220. Vbi describens urbem Hezebon per occasionem quodammodo exponit hunc locum.

Nasus tuus sicut turris Libani.

QVasi dicat, nasus tuus moderatus, decorusque est, sicut turris quæ in Libano ædificata est, modo & proportionem decora est. Laudat enim Sponsus hic nasum Sponsæ à modo, seu proportionem, & symmetria, id est, commensurationem, quam habebat cum cæteris oris lineamentis. Oportet enim cum primis vt corpus sit pulchrum, nasum esse moderatum, vitioque carere, neque longitudine, aut breuitate insignem esse, sed moderate decorum, iuxta illud Poëtæ Epigramatarij lib. 4. Epig. 42. Atque modus breuiter sit naribus vn-

dis contingit nasum esse vitiosum, etiam si aquilinus sit.

Purpura regis iuncta canalibus.

AD pleniorē intelligentiā huius loci videndus erit Polux lib. 1. ad Commodum Cæsarem vbi scribit de prima purpuræ inuentione, & refert Angelus Politian. in lib. Miscellaniorū. Videndus quoque erit Polydorus Virgilius de inuentoribus rerum lib. 3. cap. 6. de variis purpuræ generibus; quinetiam videndus erit locus, qui est apud Flauium Vopiscum historicum, is enim in vita Aureliani Imperatoris scribit de quodam pallio breui purpureo quod erat in templo Iouis Capitolini munus regis Persarum, ad quod cum matronæ Romanæ atque etiam ipse Aurelianus Imperator iungeret purpuras suas cinaris specie dedecorari videbantur, cæteræ diuinæ comparationis fulgoris; hoc munus inquit Rex Persarum, &c. quæ sequuntur. Vide præterea Adag. Purpura iuxta purpuram iudicanda. Denique consulendus erit Andreas Rezendius noster de antiquitatibus Lusitanæ lib. 1. cap. seu titulo de Barbariis pag. 37. vbi disertè & acurate disputat de purpura

& cocco, &c. Et item Montanus medicus lib. 5. cap. 17. de visu. Quomodo cumque tamen hæc res se habeat, purpura regis est amictus, & insigne, præsertim Romanorum Imperatorum & Magistratum, vt facile patet ex illo versu Martialis cum ait:

Diuisi nostras purpura vestra togas.

Si quis plura desiderat, legendus etiam erit super hac re Bullingerus in Apoc. cap. 17. super illis verbis: Et mulier circumdata erat purpura & cocco. Vide Adag. Stramam dibapho vestire. Quo pro uerbo utitur Cicero ad Atticum lib. 2. cap. 9. pro eo quod sordidum, & sceleratum hominem honore ac magistratu ornare, per dibaphum autem intelligit purpuram quæ bis tincta erat, veluti magnifico impendio; qualiter nunc ferè omnes commodiores purpuræ tinguntur. Vide Plin. lib. 9. Vbi differit de dibapha Tyria, & aliis purpuræ generibus, & precii maximis, atque immoderatis.

Statura tua assimilata est Palmæ.

SVbaudiendum propter eximiam corporis & animi tui

rectitudinem, ac celsitudinem, semper quæ sursum sunt quærentis, id est, alta & cælestia petentis & sapientis. Porro iuxta corporis humani seu hominis statura siue viri, siue mulieris mensura, septem ipsius pedibus constat; si quid pictoribus, & statuariis credimus. Vide interpretes Pauli Ephæsiarum cap. 4. cum inquit. Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, & cætera. Quibus verbis Paulus innuere quodammodo videtur nos resurrecturos esse iuxta mensuram, seu staturam ætatis Christi. Sed tamen vt ne quis erret, legendus erit D. Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 15. & 17. & 18. vbi de hac re disputat. Videndus quoque erit D. Hieronymus in epist. ad Eustoch. de Epitaphio Paulæ matris, & item epist. 27. ad Eustoch. pag. 285. vt mittam alios grauios interpretes. Nihilominus etiã vide Adag. Andromachem ex anguibus concinnare. Fertur enim Andromachem Hectoris uxorem statura longissimã fuisse, vt apparet ex Ouid. versu. Obseruandum est autem ex antiquitate quod in cæteris quibusdam rebus, præsertim in sta-

stus, & imaginibus sacris vasti-
ta religionem iniicere videtur
intuentibus; & nescio quid
Deorum numini addit, vt in-
quit Quintilianus, atque etiam
exemplo cuiusdam Iouis sta-
tuæ, quæ vasta magnitudine
constabat, docet Cartharius lib.
de Imaginibus Deorum pag.
112. ex autoritate Strabonis.
Quinetiam collationibus, &
amplificationibus Poëticis, &
artificiosis, mirifice conuenit
vastitas & grandiloquentia.

*Ascendam in palmam, & appre-
hendam fructus eius.*

SYria, seu Palæstina in qua si-
ta est vrbs illa sancta, & regia
Hierusalem, palmis præcipue
abundat, vnde & in antiquis
Romanorum Principum nu-
mismatis expressam quidē pal-
mæ figuram passim videmus,
sed præsertim in Vespasiani im-
peratoris nummis, & argento;
quorum altera facies Iudææ in-
scripto nomine sedentis, ac lu-
gentis fæminæ signum: altera
vero palmæ arboris effigiem re-
fert numero. 29. & 30. Et item
in Titi nummis ex ære. Itaque
arbor hæc victorialis, & trium-
phalis familiaris erat terræ Iu-
dææ, seu Palæstinæ; quare mi-
rum non est, si Author sacer ex

A hac arbore similitudines sumat,
præsertim cum Sponsæ staturā
similem esse palmæ affirmer,
& rursus cum ait in persona
sua: Ascendam in palmam, &
apprehendam fructus eius. Ar-
bor enim hæc difficulter prop-
ter eximiam altitudinem, si-
mul & reëitudinem ascendi-
tur, & cum sit nobilissima, fru-
ctus affert etiam admodum
suaues, vt non abs re Mu-
sæ coronis vtantur è palma cō-
fectis, vt fingunt Poëtae, at-
que notauit Phornutus author
Græcus. Quinetiam pondere
pressa arbor palma non flecti-
tur, sed potius attollitur; nam
si pondera magna imponas, at-
que eam grauiter vrgeas, &
oneris, ita vt oneris magnitu-
do sustineri nequeat, non ideo
deorsum discedit, nec intrasle-
ctitur, sed aduersus pondus re-
surgit, & sursum nititur. Quare
iure optimo symbolum con-
stantiæ, victoriæque habetur,
& præsertim in certaminibus
eam olim victoriæ signum apud
Græcos, & Romanos, atque
etiam Barbaros fuisse constat,
vt tradit Plinius lib. 16. cap. 42.
& Aul. Gellius lib. 3. cap. 6. Ex
Plutarcho 8. Symposiaton. Pro
qua re vide vulgatum Adag.
Palmam referre. Vnde etiam
Machab. lib. 2. cap. 10. Iuda
Macha-

Machab. vincente & recipiente
ciuitatem, & templū de manu
alienigenarū. Legimus populū
Iudæorum ad celebrandam vi-
ctoriam inter alia publicæ læ-
titiæ argumenta ramos virides
& palmas prætulisse ei qui pro-
sperauit mundare locum suum.
In Euangel. quoque Ioan. cap.
12. Simile quippiam legimus,
quemadmodum videlicet tur-
ba multa, quæ venerat ad
diem festum cum audissent
quia venit Iesus Hierosolymā,
acceperunt ramos palmarum,
& præcesserunt obuiam ei, &
clamabant, Hosanna, Bene-
dictus qui venit in nomine
Domini, Rex Israel. Sic enim
tunc turba multa fauentissi-
ma Christo tamquam vero &
proprie Regi accianauit. Quin-
etiam Ioan. Apostolus Apoc.
cap. 7. Sanctissimis martyribus
post mortem, & post certa-
men insignum victoriæ pal-
mam tamquam Olympionicis
assignat in caelo, & palmam, in-
quit, in manibus eorum. Vin-
centi enim tantummodo da-
tur, & debetur palma, & co-
rona; vt apparet ex illis verbis
Apostol. 2. Timoth. cap. 4.
Bonum certamen certavi, cur-
sum consummaui, fidei seruau-
i; in reliquo reposita est mi-
hi corona iustitiæ quam reddet

A mihi Dominus in illa die iu-
stus iudex, non solum autem
mihi, sed & his qui diligunt
aduentum eius.

Si quis autem plura desiderat
scire, ac differere de natura, &
ratione, seu mysterio palmæ, le-
gendus erit B. Cyril. lib. 8. super
Ioannem cap. 9. & item D.
Greg. lib. 19. Moralium cap.
16. quinetiam ex recentiori-
bus legendus erit Maiolus Episc.
copus in eo lib. cui titulum fe-
cit, Dies caniculares. Colloq.
21. pag. 701. Et Montaltus Me-
dicus de visulib. 5. cap. 16. vbi
differit de colore phænico.
Et quoniam (vt iam diximus)
palma symbolum est victoriæ,
atque triumphī, non abs re erit
pro allegoria legere quæ scribit
B. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 104.
ad Antiochum, vbi congruen-
ter, & eleganter docet quod
quemadmodum in his rebus,
in quibus cedere oportet, vin-
cere turpe est; ita etiam in his
rebus in quibus vincere oportet,
vinci turpius & fœdius existi-
t. Neque enim in omnibus
rebus, inquit; bona est victo-
ria; & cætera quæ prosequitur
in eandem sententiam. Adde
quod incerta fortuna est, etiam
fortiter pugnantium, priusquā
ad summum finem peruenia-
tur. Vt clare dictum est à Pin-
si

643 *Cap. 7. Vers. Ascendam in palmam, &c.* 644
 dero Poëta in Isthmiis. Et Gal- A
 lo hic mos est vt cantu victo- A
 rem se esse testetur. Cauen- A
 dum tamen est diligenter vt A
 ne de more galli ignaui, prius- A
 quam vicerimus, id est, ante vi- A
 ctoriam, & ante finem vitæ ca- A
 nere aliquando videamur, vel A
 audeamus, vt loquitur Plato in A
 Theteto. Pro qua re facit etiam B
 locus ille Arist. lib. 1. cap. 10. vbi B
 disputat vtrum quis recte ac B
 vere dicendus sit ante diem B
 mortis fœlix? Caterum nihil B
 prohibet etiam per hunc Spon- B
 si in palmam ascensum, intelli- B
 gere, & interpretari mystice, af- B
 censum illum Christi Domini B
 in cruce, quemadmodum vide- B
 tur interpretari D. Gregor. & B
 Tertull. contra Marcionem, & B
 Cyprianus serm. de passione B
 Domini, vt omittam alios. Pro B
 qua interpretatione legendus B
 erit etiam inter recentiores, B
 quidam Christophorus in triū- B
 pho Christi titulo 4. pag. 73. B
 vbi differit de cruce Christi, B
 & genere, vel generibus ligno- B
 rum quatuor quibus illa con- B
 stabat, vt vulgo creditur. Cum B
 enim palma planta quadam B
 sit nobilissima atque adeo vi- B
 ctoralis & triumphalis, non vi- B
 detur esse ineptum si quidem B
 ænigmatice & mystice signifi- B
 care dicatur lignum crucis, in

quo ipse Sponsus, siue dilectus
 in ipso ætatis suæ flore volens,
 & libens actus est, atque de hu-
 mani generis hoste mirifice
 triumphauit, præsertim vero si
 palma pars aliqua crucis fuit,
 vt quidam vulgo volunt.

*Guttur tuum sicut vinum
 optimum, &c.*

Guttur seu palatum instru-
 mentum gustandi est, ne-
 que opus est hic corrosius in-
 quirere, an sensorium gustus
 constituendum sit in gutture,
 an in faucibus, an in palato, an
 potius in cuspide linguæ, vel
 in neruo per totam linguam
 sparso? De qua quidem re Phi-
 losophi, seu Physici disceptare
 in scholis solent; satis enim no-
 bis esse debet, si vulgus gut-
 tur aut fauces pro gustu acci-
 piat, existimans guttur aliquid
 etiam gustare propter vicini-
 tatem, præsertim cum re ipsa
 esculenta, vel poculenta etiam
 valde delectetur & volupta-
 re afficiatur tactu sibi, aut po-
 tus delicati, & suavis, cuiusmo-
 di est vinum optimum, id est,
 generosum & suauis, & cætera;
 germinans virgines, vt ita di-
 cam, vnde & Arist. lib. 3. Ethic.
 cap. 10. disputans de temperan-
 tia, & intemperantia, quæ cir-

645 *Cap. 7. Vers. Guttur tuum, &c.* 646
 ca cibum, & potum maxime A
 versatur, refert Philoxenū quē- A
 dam, hominem videlicet volu- A
 ptarium, & plane intemperan- A
 tem, precari Deos solitum fuisse, A
 vt longius sibi guttur quam A
 gruis fieret, quo amplius cibo A
 & potu gustando oblectaretur. A
 Veruntamen hæc signifi- A
 ficatio gutturis in præsentem B
 locum non cadit, nempe qua- B
 tenus significat instrumentum B
 gustandi, sed potius altera illa B
 significatio, qua guttur instru- B
 mentum loquendi, vel etiam B
 canendi est. Inepta enim esset B
 comparatio, si guttur Sponsæ B
 quatenus instrumentum gu- B
 standi est, cum vino optimo C
 compararetur. Itaque gut- C
 tur in præsentiarum sine vlla C
 dubitatione in posteriori signi- C
 ficatione accipitur, non in prio- C
 ri; sensusque horum verborum C
 Sponsi cum ait: guttur tuum si- C
 cut vinum optimum, simplex C
 & germanus talis est, quasi di- C
 cat plane, Vox tua, seu oratio C
 tua, & sermo tuus o Spōsa, dul- C
 cior, & suauior est quam vinum C
 optimum, & lōge suauissimum. C
 Optimum enim dicitur quod C
 in comparatione summum est, C
 quod est perfectum, quod om- C
 nes laudes habet, & laudatissi- C
 mum est. Qui sensus patet C
 ex multis aliis similibus locis

& verbis, quibus Sponsus in
 hoc Cantico vocem seu oratio-
 nem Sponsæ suæ laudat, atque
 commendat plurimum; ita vt
 nihil supra. Nam superius Cāt.
 cap. 2. ait: Ostende mihi faciem
 tuam, sonet vox tua in auribus
 meis, vox enim tua dulcis & fa-
 cies tua decora. Et cap. 4. ait:
 Eloquium tuum dulce. Et rur-
 sus: Fauus distillans labia tua,
 Sponsa mel & lac sub lingua
 tua. Præterea cap. 8. sic ait:
 Amici auscultant te, fac me
 audire vocem tuam: sic tan-
 dem finē loquendi facit Spon-
 sus cum Sponsa; hoc enim epi-
 phonemate colloquium suum,
 & canticum totum concludit.
 Ex quibus locis omnibus ma-
 nifeste colligitur, & confirma-
 tur interpretatio nostra, nempe
 vt guttur in præsentem loco pro
 instrumento loquendi, seu elo-
 quio Sponsæ accipiatur, quem-
 admodum etiam aliàs accipitur
 in sacris litteris, præsertim in
 veteri testamento in Psalm. 68.
 vbi vulgatus Latinus vertit
 Rauca facta sunt fauces meæ
 dum clamarem; Veritas He-
 braica ad verbum fideliter ex-
 pressa ita sonat, siccatum est
 guttur meum clamando; Et
 item 148. Exultationes, vel po-
 tius exaltationes Dei in guttu-
 re eorum; quasi dicat Rex pro-
 St ij

pheta de magnificis factis Dei A
semper loquuntur, atque ple-
no guttore diuinas eius laudes
de quasi re gustando cantant.
Esaïas quoque cap. 58. pro eo
quod in vulgata nostra editio-
ne Latina habetur: Clama, ne
cesses; iuxta Hebraicam veri-
tatem sic habet: Clama, guttu-
re ne prohibeas. Pro qua re
facit quod proditum est in hi-
storia de Paryzicide Cyri Ar-
taxerxisque regum matre, cui-
us præclarum illud fertur elo-
gium, nempe, Byssina regum
esse verba debere, id est, sua via
blanda, atque iacunda: nam af-
fabilitas adeo in principe ama-
bilis, & graciola est, vt hoc vnũ
Artaxerxem Cyri fratrem, Ale-
xandrum Macedonem Gn. Põr-
peium Scipionem minorem ef-
fecerit commendatissimos, si-
cut proditum est in historia, vt
ne illud omittam quod Iulius
Cæsar hac vna de causâ præci-
pue ad Romani Imperij fasti-
gium euectus est. Ipsa porro af-
fabilitas, aut in vultu, aut in col-
loquio, & verbis cernitur, vt do-
cet Arist. Ethic. lib. 4. cap. 6. vbi
differit de affabilitate.

*Vinum optimum dignum dilecto
meo ad potandum.*

Videndus A. Gell. lib. 13.
Noct. Attic. cap. ultimo,

vbi exemplis, & nominatim
ostendit, quod dicatur, & sit
vinum optimum. Et item Plu-
tarch. in symposiacis dec. 7.
prob. 3. Vide Adag. Sera in fun-
do parsimonia, vide item Apu-
leium lib. 4. floridorum pag.
147. vbi sic ait: Sapientis viri su-
pra me celebre dictum est, Pri-
ma, inquit, cratera ad sitim per-
tinet, secunda ad hilaritatem;
tertia ad voluptatem, quarta
ad insaniam. Verum enim uero
Musarum cratera versa vice,
quanto crebrior, quantoque
meracior, tanto propior ad ani-
mi sanitatem, &c.

*Ego dilecto meo, & ad me con-
uersio eius.*

HORUM verborum Spon-
sa sensus planus, & ger-
manus talis esse videtur, qua-
si ita plane dicat, vel etiam
repetendo confirmet, quod
superius dixerat Cantic. capi-
te secundo, Dilectus meus mi-
hi & ego illi. Ego prælatum
amori meo habeo Sponsum
meum, & ille vice versa præ-
latam me. habet amori suo,
id est, Ego in amore per om-
nia Sponso respondeo, & il-
le vicissim mihi satisfacit, vi-
ces in amore reddit, vel re-
damat, & vterque alteri hoc

modo quasi par pari referre A
videtur, sicut v. g. terra sicca
naturaliter desiderat imbrem,
& imber vicissim naturaliter
desiderat terram, quemadmo-
dum notauit acute Arist. lib. 8.
Ethic. cap. 1. ex autoritate Eu-
ripidis Poëtæ antiquissimi, qui
sic ait:

*Cum est sicca tellus ipsa certè tunc B
imbrem amat.*

*Cum turget aether imbri, cum
celum tumet:*

Affectat vt telluris in sensus cadat.

Hoc enim exẽplo vtitur Arist.
in loco præfato cum differit de
amicitia mutua, & amore reci-
proco. Quinimo etiam Rex
Propheta hoc exemplo vsus C
est in Psalm. 142. vbi ait, Anima
mea sicut terra sine aqua tibi,
&c. Nihil enim minus hominis
videtur quam non respondere
in amore iis à quibus prouoce-
tur, vt inquit Cicero in quadã
epistola ad Brutũ num. 1. Amor
autem quid sit, & quo pacto
corpus afficiat docet Gallenus D
4. de Hyppocr. & Platonis pla-
citis, vbi iter cætera ita inquit:
Passio enim qualis est, amor aut
iudicium quoddã est, aut iudi-
cio succedens, aut motus qui-
dam concupiscentis facultatis.
Ex quibus verbis facile colligi-
tur amorem esse aut iudicium
quod fertur de re amata, aut

potius appetitus qui iudicium
consequitur. Cuius enim con-
stat, amorem ad appetitum ma-
gis referri, ac pertinere quam
ad iudicium, esseque appetitũ
quendam rei, quæ amatur ve-
hementer. Verumtamen cum
duplex sit appetitus, alter ra-
tionalis, alter irrationalis; hinc
consequens fit duplicem quo-
que esse amoris speciem. Non-
nunquam enim amor in appeti-
tu rationali generatur; sæpe ve-
rò in irrationali qui in hepate,
seu iecore sedem habet. Vter-
que autem à contemplatione
incipit, ferturque in rem ama-
tã sub nomine pulchri; sub qua
quidem ratione mouetur ap-
petendi facultas ad fruendum
ipsa re amata. In vtroque enim
appetitu appetit amans fieri to-
tum id quod amat, atque con-
uerti & transformari totum in
rem amatam; & quale est pul-
chrum, talis etiam est potentia,
quæ ad amorem excitatur; sed
quia vt vult, consequi id non
potest, ideo appetit consequi
vt potest. Non tamen eodem
modo, nam rationalis appeti-
tus animã animæ, magis quam
corpus corpori idem fieri ex-
petit. Quoniam verò neque
anima in animam perfectè mi-
grare potest, neque in corpus
aliud corpus, idcirco rationalis

appetitus præcipuas animi A
potentias maxime verò volun-
tatem amantis, & amati com-
ponit. Itaq; vetus quidã Poëta
Comicus valde scitè dixit lo-
quens de amoris Dea, victrix
illa, non quod vincere velit,
sed quod vincere & vinciri
ipsa, &c. Et refertur hoc dictum
gëtilis Poëtæ à Varrone de lin-
gua Latina lib. 4. pag. 25. Quia
verò amans ardet magis, ideo
se amati voluntati libëtius sub-
dit. Vnde idem velle, & idem
nolle de eisdem cogitare, isto-
rum animas quodãmodo vni-
cam esse facit, iuxta illud Sido-
nianum: Sumus animæ duæ
animus vnus. Et item illud Ho-
ratiij de Virgilio nauigante,

Et serues animæ dimidium meæ.

Quæ verba Poëtæ refert Diuus
August. lib. 4. Confess. cap.
6. ad consolationem suam si-
mulque exponit ad eruditio-
nem nostram, vt ne plus nimio
videlicet amicos diligamus: si-
cut ipse aliquando se dilexisse,
quendam ex amicis faterur:
sic enim ibi ait: Miser enim
eram, & miser est omnis ani-
mus vinculus amicitia rerũ mor-
talium, & dilaniatur cum eas
amittit & tunc sentit miseriam
qua miser est, & antequã amit-
tat eas. Sic enim ego eram illo
tempore, & flebam amarissime,

& requiescebam in amaritudi-
ne. Mirabar enim ceteros mor-
tales viuere, quia ille quem qua-
si non moriturum dilexeram
mortuus erat, & me magis quia
ille alter eram, viuere illo mor-
tuo mirabar. Bene quidã dixit
de amico suo: Dimidiũ animæ
meæ, & animã illius vnã fuisse
in duobus corporibus; & mi-
hi in horrore erat vita, quia no-
lebam dimidius viuere. Et ideo
forte mori metuebam, ne totus
ille moreretur, quem multum
amaueram. Deinde cap. 7. sta-
tim sequenti exclamat: ô de-
mentiam nescientem diligere
homines humaniter; ô stultum
hominẽ inmoderate humana
patientẽ, quod ego tunc eram,
&c. quæ prosequitur in eandem
sententiã. Est igitur, vt ad rem
propositam redeamus, amor
appetentis facultatis, seu pro-
priæ affectus vehemens, nunc
potentiæ rationalis, nunc irra-
tionalis; obiectũ autem vtriuf-
que amoris est pulchrum. Qui-
cumque autem animam san-
ctam, formosam, claram, pul-
chramque, etiam si ipse est tur-
pis continuo talis erit, qualis
est, quem amat: quemadmo-
dum eleganter ait, & docet D.
Chrysoft. hom. in dictũ Apost.
2. Corinth. cap. u. pag. 704.

quo sensu etiam dixit D. Aug. A
tract. in epist. Ioan. Apost. Ta-
lis est qui que, qualis eius dile-
ctio est. Terram diligis, terra
eris, Deum diligis, Deus eris,
&c. Idẽmque D. Aug. in lib. de
verbis Domini ferm. 34. etiam
congruenter sic ait: Amor mũ-
di adulterat animam, Amor fa-
bricatoris mundi castigat ani-
mam, &c.

Suffragatur huic sententiæ
mirifice autoritas Dionys.
Areopag. lib. de diuinis nom.
cap. 4. vbi diligenter & copio-
sè ostendit amoris naturam, &
ingenium proprium atque
præcipuum hoc esse, vt vniat
atque transformet quodam-
modo ipsam amantem in rem
amatam. Quod ipsum etiam
confirmat atque demonstrat
D. Thom. lib. 4. contra gent.
cap. 19. nempe rem amantem
quodammodo esse in re amata,
vnumq; fieri cum ea secundum
affectum, siue affectionem, si-
ue res quæ amatur, sit pulchra,
siue fœda & turpis. Iuxta illud
Osæ cap. 9. vbi Oraculum in-
persona Dei de popularibus
suis Iudæis Deos alienos & fal-
sos colentibus, ita conqueritur
dicẽs. Facti sunt sicut ea quæ di-
lexerunt, id est, facti sunt vani,
viles, fœti, & turpes, quales pla-
nẽ sunt Dij quos coluerunt.

Quo sensu etiam Hieremiæ ca-
2. ita conqueritur Oraculum,
Ambulauerunt iniqui, post
vanitatẽ, & vani facti sunt. De-
nique talia multa reperimus
dicta in hanc sententiã in sa-
cris litteris, & sermonibus pro-
phetarum. Quamobrem si hæc
hypothesis de amore vera est,
sicuti certè est, iure ac merito
Ioann. Apostolus 1. Ioan. cap.
2. in hunc modum prohibet,
seu præcipit dicens: Nolite di-
ligere mundum neque ea quæ
in mundo sunt, quoniam om-
ne quod est in mundo concu-
piscencia carnis, & concupiscẽ-
tia oculorum, & superbia vitæ
est. Si quis autem pro hac re,
seu interpunctione desiderat,
legendus erit S. Gregorius
Thaumaturgus in Orat. Pane-
gyrica ad Origenem pag. 192.
&c. Vbi congruenter, atque
eleganter exponit locum illũ 1.
Reg. cap. 18. vbi ita scriptum
est. Et animæ Ionathæ conglu-
tinata est animæ David, & di-
lexit eum Ionathas, quasi ani-
mam suam. Et 2. Reg. cap. 1. ipse
David lugens mortem Iona-
thæ ait: Doleo super te frater
mi Ionatha decore nimis, &
amabilis super amorem mulie-
rum, sicut pater amat vnicum
filium suum; ita & ego te di-
ligebam, &c. Videndus quo-

que Arist. lib. 2. politic. cap. 2. Denique etiam si placet, & si est otium legamus quæ scribit Henricus ille Heroias, lib. de mystica Theologia cap. 33. vbi ratiocinatur de vi amoris puri, & vnione animæ cum Deo.

Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

Solito & communi omnium gentium etiam Barbararum verno tempore, aut tempore æstatis præsertim recreandi animi causa; nam etiam hirundines, & grues, & syconia, naturæ quodam instinctu istiusmodi anni tempore loca mutare solent, quemadmodum dicitur argute respondisse Lucullus Pompeio reprehendenti quod villam in Tusculano sumptuosam adificasset, ob ventos & frigiditatem captandam in æstate. Vnde etiam Genes. cap. 24. legimus Isaac Patriarcham tali (vt verissimile est) tempore egressum fuisse ad mittendum in agrum. Pro qua re legendus erit Basil. Magn. in laudem vitæ solitariae. Et item D. Hieronymus in epist. ad Eliodorum. Consentanea sunt quæ scribit Philo. Iudæus in li.

A de premiis, & penis tom. 2. pag. 252. vbi exponens illa verba Genes. c. 5. de translatione Enoch. non est inuentus, quia Deus eum transtulerat, de laudibus agri, & commodo solitudinis ita congruenter scribit dicens: Sic enim scriptura loquitur de eo, qui relictis corporis affectibus rerum nouarum avidis transfugit ad animam, non est inuentus quia Deus eum transtulerat. Per hanc enim translationem manifeste significatur, migratio, per id verò quod non inuentus dicitur solitudinem intelligimus, & quidem valde proprie, nam si ex animo decreuit homo affectibus, & perturbationibus omnibus superior euadere expediat se, fugiatque continuato cursu, familiam, patriam cognatos, & amicos pariter, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam de agri, & solitudinis commoditate. Videndus pro hac re Cicero ad Atticum lib. 12. epist. 13. vbi ait: Mihi solitudo, & secessus prouincia est, id est, pro maxima celebritate, & in maximo pretio habetur. Vnde & vir quidam sanctus cui nomen Proharsius, sicut proditum est in historia, fatigare Deum solebat vt assequendum genus vitæ quæ ei maxime placeret inspiraretur.

tur. Voce autem cælicus emissus audiuit; Fuge, late, quiesce. Pro qua re etiam legendus erit D. Ambr. in lib. de fuga sæculi, vbi valde copiosè, pie, & doctè hoc argumentum tractat. Denique legendus erit si placet Lypsius Cent. 1. epist. 8. ad Brægellium Regium consiliarium, vbi eleganter scribit de laudibus agri, id est vitæ rusticæ, & solitariae. Vide Adag. Manum de tabula. Dicebat namque Apelles omnium pictorum sui temporis excellentissimus, protogeni omnia esse secum paria, aut fortasse meliora, se vno superiore esse, quod sciret tollere manum de tabula memorabili exemplo, nocere sæpe nimiam diligentiam. Author est Plinius lib. 35. Nat. hist. vsque adeo aliquando remittenda est nimia animi intentio, & quærensium est otium, præsertim honestum, quale est rusticum tempore verno.

Commoremur in villis.

Villa nihil est aliud quam rusticus secessus, & proprie loquendo, villæ domus in agro sunt, vt patet ex L. Fundi appellatione ff. de verb. appellatione. Et item L. Ager. ff. eodem, cuiusmodi loca, seu domus extra urbem Græcè cataciba-

A appellantur; Chaldaicè autem Chinta. Vnde etiam vocabulū nostrum Lusitanum Quinta, & Quintal; quemadmodum annotauit etiam vir ille eruditus amicus, & familiaris meus Figuierius Comment. in Threnos seu Lamētationes Hierem. c. 2. ad illa verba: Et dissipauit quasi hortum tentorium suum, &c.

B Pro allegoria simulque historia autem horum verborum facit locus ille qui est Osee cap. 2. vbi Oraculum ita ad populum, vel potius synagogam Israeliticam quondam Sponsam suam in typo animæ perfectæ alloquitur. Et ducam eam in solitudinē, & loquar ad cor eius, quasi verò in vrbe, vel ciuitate, & turba nō ita anima cum Deo familiariter loqui posset, neque Deum loquentem ita commode audire. Vnde etiam Christus Dominus totius virtutis exemplar ad exemplum nostrum, extra urbem dissima turba secedere, & loca sola ac deserta petere, ibique orando pernoctare solebat solus, vt refert Matth. c. 14. & Luc. cap. 6. quinetiam Matt. c. 3. ita scriptum legimus: Videns autem Iesus turbas ascendit in montē, & cum sedisset accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos dicens: Beati paupe-

re^s spiritu, &c. Super quibus A
verbis leger. dus erit B. Isidor.
Peluf. lib. i. epist. 77. ad Diosco-
rum, vbi sic ait: Usque adeo ad
salutem conducit secessus, vt
etiam Dei filius relictis vrbi-
bus, eos qui cum puritate vi-
uunt in montis cacumine bea-
tos predicaret, &c. quæ profe-
quitur in eandem sententiam. B

Mane surgamus ad vineas, &c.

Videndus A. Gellius li. 4.
Noct. Attic. cap. 12. vbi de
moribus & legibus Romæ an-
tiquis sic ait: Si quis agrū suum
passus fuerat frōdescere, eumq;
indiligēter curabat, neq; arau-
rat, neq; purgauerat, siue quis C
arborē, siue vineam quæ habue-
rat derelictui, non id sine pœna
fuit, sed erat opus censorium,
censoresque ararium faciebāt.
Hacten. Gellius.

Consentaneus nō minus mo-
ralis & ciuilis loc⁹ est apud Col-
lumelum li. 6. de re rustica. vbi D
ita præcipit: Quinetiam cum
pluribus interpolitis annis oli-
uetum putandum est. Nam ve-
teris Prouerbij meminisse con-
uenit, eum qui arat oliuetum,
rogare fructum, qui stercoret
exorare, qui cedat cogere. Vul-
garis enim diligentia quasi ro-
gat, mediocris diligentia impe-

trat. extrema autem diligentia
cogit, non solum in re rustica,
sed in quauis alia, si modo ad-
hibeatur pro eo, ac debet. Vn-
de etiam manauit dictum illud
falsum: Nam cum censor inter-
rogaret quendam, cur equum
tam macrum haberet, cum ipse
curator esset? Respondit ho-
mo facetus, quoniam, inquit,
ego me curo, equum statius ser-
uus meus.

Si floruit vinea, &c.

Nam cum venit æstas, ocu-
li vitis inflantur, ac tunc
exitum quarentes aperiuntur,
moxque germinescunt, pam-
pinos videlicet & sarculos, &
propagines emittentes; iuxta
illud Poëtæ Latini:

*Torrída iam læta turgent in pal-
mite gemmæ.*

Suffragatur locus ille qui est in
sacra hystoria Genes. cap. 4. vbi
propositus pincernarum Pha-
raonis Regis sic Iosephum in
carcere alloquitur; Videbam
coram me vitem in qua erant
tres propagines, crescere paula-
tim in gemmas, & post flores
vuas maturescere, &c. Errāt er-
go qui contra tam manifestam
scripturam, & auctoritatem, at-
que etiam consensum commu-
nem proborum Authorum ne-

gare audent vites, seu vineas A
florere, sed ego nominibus par-
co. Vide Adag. In gemma esse,
quo vsus est etiam Cicero ad
Attic. lib. 2. epist. 15. Cuius ini-
tiū est, Vt scribis ita video, &c.

Si flores fructus parturiunt, &c.

SI hæc verba sint Sponsi,
Squemadmodum opinantur B
Magistri Hebræorum, præfer-
tim D. Selomo, tunc rectissi-
mus sensus cōstat; Nam Spon-
sus sollicitum se esse ostendit de
floribus, non equidem propter
se, id est, propter ipsos flores,
sed propter fructus. Nam iuxta
axioma illud Aristotelis, pro-
pter quod vnumquodque tale, C
& illud magis. Probus ergo
cultor, & vinitor, seu Dominus
vineæ præsertim amat atque
expetit fructus, non autem flo-
res, aut frōdes vineæ, id est Ec-
clesiæ suæ, cuius vineæ nos su-
mus quasi vites, & palmites, seu
plātæ: Pro qua re legendus erit
D. Aug. lib. de verbis Domini D
serm. 12. 131. & alias sæpè.

Mandragora dederunt odorem.

Videndus sextus Iulius frō-
tinus, stratagematō lib. 2.
cap. 5. vbi aliquid de mādrago-
ra scribit. Quærēdus est autem
hic author post Vegetium de
re militari. Vna. n. vulgo cum eo

circumfertur impressus, atque
coniunctus. Sed præsertim vi-
dendus Aug. lib. 22. contra Fau-
stum cap. 56.

In portis nostris, &c.

IN portis nostris Hebræis-
mus est, vel Synecdoche, pro
eo quod in adibus nostris, vel
intra ades nostras proprias, q.
d. non extra ades nostras, vel
portas nostras, neque ex alienis
facultatibus, & apibus, sed ex
nostris propriis domi ad manū
habemus; neq; n. opus est aliū-
de emendicare fruges, seu fru-
ctus novos, & veteres ad rem
præsentem necessarios, omnia
namque intra ades: seu portas
nostras affatim suppetunt, siue
ad necessitatem, siue ad com-
moditatē, voluptatem, & gra-
tiam pertineāt, Cuiusmodi præ-
sertim sunt fructus domestici,
noui, & veteres pro tali anni
tempore seu oportunitate. Sen-
sus ergo horum verborum (In
portis nostris noua & vetera
seruaui tibi) germanus & sim-
plex talis est q. d. domi habe-
mus noua & vetera, iuxta pro-
uerbium, Nascitur domi. Qua
sentētia prouerbialiter vtitur
cum significare volumus satis
supcesse nobis domi, ne quæ-
ramus foris. Quo sensu vtitur
hoc prouerbio etiam Cicero
ad Attic. lib. i. epist. 15.

*Noua & vetera, dilecte mi,
seruauit tibi.*

ID est, fructus novos simul & veteres seruauit tibi, vel supeditabo tibi, officium. n. probæ matris familias prudentis, & locupletis est seruare fructus novos & veteres ad vsus necessarios. Quinetiam probi cœconomi seu dispensatoris partes sunt non solum seruare, & condere, sed etiam promere, cum opus est, id est, proferre, & supeditare novos, veteresque fructus ad victum, & mensam necessarios, vel etiam commodos & delectabiles. v. g. poma noua, & vetera, vinum nouum, & vetus, & talia. Vnde & Seneca epist. 12. per comparationem sic ait: Plena est voluptatis fenestus, si illa scias vti, gratissima sunt poma cum fugiunt, &c. & Poëta dicit:

Ara iuuant primis sic maior gratia pomis.

Videtur autem author facer his verbis, Noua & vetera seruauit tibi, &c. quodammodo alludere ad locum illum Leuit. cap. 25. vbi scriptum est: Comeditis veteres fruges, nouæ nascetur, &c. Et item Leuit. c. 16. Comeditis vetustissima veterum, &c. Super quibus verbis videndus erit


A Philo Iudæus lib. de sacrificio Abelis, & Cain. tom. 1. pag. 126. vbi commodè istorum verborum allegoriam exponit. Pro qua re videndus quoque erit Palladius Hellepontinus Episcopus, qui euangelicam illam parabolam, qua regnum cœlorum simile fit scribæ docto, qui profert de thesauro suo noua, & vetera, ita etiam conuenienter iuxta allegoriam interpretatus est, vt vetera illa humanæ sapientiæ disciplinans; noua autem sancti Spiritus eloquia Dominus intellexit. Cui interpretationi videtur etiam valde suffragari locus præclarus, qui est apud D. Aug. li. 2. doctrinæ Christianæ ca. 40. & sequentibus, vbi ita congruenter tradit, & præcipit dicens: Philosophi autem qui vocantur, si qua fortè vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam iniustis possessoribus in vsu nostrum vindicanda sunt. Sicut enim Ægyptij non solum idola habebant, & onera grauiam quæ populus Israël detestaretur, fugeret, sed etiam vasa, atque ornamenta de auro, & argento, & veste, quæ ille populus exiens de Ægypto, siue potius tanquàm ad vsu meliorè

clanculo vendicauit, non auctoritate propria, sed præcepto Dei ipsi Ægyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non bene vtebantur, & sic doctrinæ omnis gentilium non solum simulata, & superstitionis figmenta, grauesque sarcinas superuacanei labores habent quæ vnusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens, debet abominari, atque deuotare, sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent; Deque ipso vno Deo colendo, nonnulla vera inueniuntur apud eos; quod eorum tamquam aurum, & argentum, quod non ipsi instituerunt; sed de quibusdã quasi metalis diuinæ providentiæ, quæ vbique infusa est, eruerunt; debet ab eis auferre, ad vsu iustum prædicandi Euangelij, & cetera quæ prosequitur in eadem sententiam sapienter & eloquenter apud Aug. vsque ad extremum lib. 2. Consentanea & prope germana sunt quæ hac de re scribit D. Hieronymus in epist. ad magnum. Vbi etiam enumerat complures ex nostris antiquiores, qui in tantum Philosophorum doctrinis, atque sententiis suos refarciunt libros, vt nescias quid in illis

A primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam scripturarum? &c. quæ sequuntur apud D. Hieronymum. Si quis autem plura, nec minus elegantia, & consentanea, quam docta super hac re desiderat, legendus erit Iustinus Martyr. Apolog. 1. pag. 11. & Tertull. in Apologet. cap. 45. & Eusebius Cæs. lib. 6. Ecclesiast. histo. cap. 15. vbi præsertim laudat virginem. Videndus etiam erit Basiliius mag. hom. 24. cui titulum fecit, De legendis libris gentiliū. Denique legendus erit super hac re eiusdem Basilij frater Greg. Nyssæn. in lib. de vita Moysis pa. 506. vt omittam alios. Tutius tamen & melius erit veterum Authorum, præsertim Sanctorum doctrinam, quam nouorum placita consuetari: Lōge enim pulchrius est, vt inquit Varro apud Ciceronem, adire fontes, quam riuulos. Et Iob cap. 12. scriptum est: In antiquis est sapientia, iuxta vetus proverbium, Amo vetera, & veteres; quantumuis alias grata sit nouitas; placet nihilominus quod ait Plinius iunior, Sum, inquit, ex his qui mirer aliquos, non tamen ita vt ingenios nostrorum temporum despiciam, neque enim in gignendis optimis lassus est, & quasi est

fecta natura. Plantarum enim, florum, herbarum, magna, eaq; admirabilis est in omni genere varietas, tam diuersa animalium facies, ea certe calorum innumerabiliū distinctio, &c. Alioqui inuidiæ quoddam genus est; si quis semper, & mordicus antiqua nouis, & veteres recentioribus præferat. Vt quidam recte ait: quamuis aliàs sit per se veneranda ipsa vetustas. Vnde etiam Ecclesiastes cap. 7. scriptum est à Salomone sapientissime: Nec dicas cur priora tempora meliora fuerunt, &c. Qui autem plura desiderat super istorum verborum allegoria, is legat D. Cyril. lib. de adoratione in spirit. & verit. lib. 17. pag. 42. vbi etiam magis exponit hanc particulam, noua & vetera. Et item D. Irenæum lib. 4. cap. 21. Et D. Aug. contra Faustum Manich. lib. 15. cap. 2. & lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 4. similiter namque exponitur locus ille Euangelicus, qui est si-

Amilishuic, cum Christus Dominus Matth. cap. 13. per comparationē ait: Omnis scriba doctus in regno cælorum similis est patrifamilias qui profert de thesauro suo noua & vetera. Denique videndus erit B. Isid. Pelus. lib. 3. epist. 195. ad Herminum. Committem. Et item Arnobius lib. 2. contra gentes pag. 92. & sequentibus. Vbi non minus acurate & sapienter, quam copiose, & eloquenter respondet ad obiectionem eorum qui suæ ætate nobis obiectare solebant nouellam esse religionem nostram, id est, religionem Christianam, ideoque minime esse antiquis ritibus, seu religionibus gentilium præferendam. Sic enim inter cætera ibi ait: Religionis autem autoritas non est tempore æstimanda, sed nomine, nec colore qua die sed qui corporis conuenit intueri, &c. quæ prosequitur eleganter in eandem sententiam.



CAPVT OCTAVVM.

Quis mihi det te fratrem meum fugentem vbera matris meæ, &c.



Vis det vel quis dabit, hebraismus est, pro eo quod est vtinam, sicuti exemplis prolatis, & manifestis ostendimus in prioriscriptione; atque proinde nihil prohibet, quominus hæc verba ita exponamus, quasi dicat Sponsa in persona Ecclesiæ, & animarum sanctarum, & Deæ acriter amantium; Vtinam iam veniat illa dies, in quo iuxta vaticinia prophetarum, ô Sponsæ charissime hisce oculis mortalibus, & corporalibus merear videre te hominem factum & carne mea ista mortalivestitum, quasi fratrem, cognatum, affinem, & consanguineum meum; propter partici-

ipationem scilicet & societatem naturæ à verbo assumptæ; nec non vt videre merear te, non solum cæteris hominibus per omnia similem; sed etiam de more paruulorum seu infantium fugentem vbera materna, id est, adhuc lactentem, butyrumque, & mel comedentem; denique habitantem & conuersantem in nobis corporaliter, & familiariter, sicut vnus ex cæteris hominibus. Tunc enim ego tamquam soror & Sponsa ad te tamquam ad fratrem, & paruulum magna cum fiducia adibo, & non solum os, seu faciem, sed etiam manus & pedes tuos mihi deosculari licebit, & oscula tua petere vicissim; iuxta illud quod in principio statim Cantici à me dictum est: Osculetur me osculo oris sui, vt videlicet internos sit reciprocatio. Videretur enim hæc oratio quodammodo esse re-

latiua, id est referenda esse ad illa verba præfata, valde enim quadrat hæc oratio, tum personæ Ecclesiæ vel sinagogæ, tum etiam personæ animarum perfectarum, & Dei amantium, aduentumque filij Dei, seu apparitionem corporalem in carne nostra mortali ardentem, & vehementer spectantium, desiderantium, & suspirantium; iuxta quem sensum Christus Dei filius secundum quod homo est, & ubi primum homo factus est, statim frater noster etiam appellari, atque esse reuera capit; frequenter enim in Euangelis fit mentio non solum de parentibus, verum etiam de aliis consanguineis, affinibus, & fratribus eius, vt patet Matth. cap. 12. & Ioan. cap. 7. & aliàs. Quin etiam Paulus Apost. in Epist. ad Hebr. cap. 2. annotauit Christum Dominum secundum quod homo est, non confundi, id est, non erubescere alios homines, præsertim vero discipulos suos electos, fratrum vocabulo appellare: sic enim ait: Qui enim sanctificat, & qui sanctificatur ex vno omnis, quamobrem non confunditur eos fratres vocare dicens: Nuntiabo nomē tuum fratribus meis. Quinetiā Esaias cap. 9. de rebus eius vaticinando, non est veritus dicere, Par-

uulus natus est nobis, & filius datus est nobis, &c. quæ sequuntur; Quæ quidem verba prophetica Esaiæ valde quadrare, & conuenire videntur cum verbis istis Sponsæ dicentis: Quis det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, &c. Itaque non displicet, nec displicere debet hæc interpretatio, quantum uis aliàs allegorica, & mystica videatur. Cæterum magna profecto est, & magnopere conseruanda, atque colēda nobis erit charitas fraterna, exemplo isto Sponsæ cum Sponsum fratrem suum appellat, & tamquam de fratre paruulo adhuc lactente, & sugente vbera matris loquitur. Præsertim vero conseruanda & colēda est ratio hæc fraternæ charitatis inter homines Christianos, quando quidem Christianus, & frater idem sit, & utroque nomine eadem res intelligitur, & significatur, vt inquit Tertul. lib. de corona militum. Vnde etiam in veteri Ecclesia ad significandam summam illam charitatem, qua fideles Christi se inuicem complectuntur, vel certe complecti debent, vocabulo fratris cognominabant, ita vt qui fratrem dicebat, Christianum diceret, vt patet ex multis noui testamenti locis, & phrasi: Pro qua

qua re legendus erit D. Aug. lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 43. & Euseb. Cæs. lib. 3. Ecclesiast. hist. cap. 3. & Nicephorus lib. 1. cap. 3. & Clemens Alexand. lib. 5. Stromat. & Proclus Constantinopolit. Episcopus in lib. de diuinitate Filij. Videndus denique erit ex recentioribus Toletus Cardinalis in Rom. cap. 12. super illis verbis (Charitate fraternitatis inuicē diligentes) ubi differit philadelphia, id est, de vi & ratione charitatis fraternæ; vt omittam alios.

Neque solum apud Christianos, sed etiā apud omnes mortales etiam Barbaros & Ethnicos magni momenti & ponderis est appellatio, & ratio, seu vinculum fraternæ charitatis, iuxta illud Salustij in Iugurr. Quis est amicior quam frater fratri? Pro qua re videndus erit in primis Herodotus in Thalia pag. 100 ubi exemplo quodam eleganti quanta vis sit fraternæ charitatis demonstrat, & item Cartharius lib. de imaginibus Deorum pag. 125. ubi differit de Dioscuris fratribus, qui ita se charitate mutuo complexi esse feruntur, vt vita inter se diuisa vicissim viuerent, atque morerentur. Videndus quoque erit Simplicius philosoph. commēt.

in Epictetum cap. 19. ubi differit de officiis fraternis, id est, de officio probi hominis erga fratres & iores. Sunt tamen qui amicitiam cognationi & consanguinitati anteferendam censeant, de qua quidem quaestione legendus erit, si est orium, Platina de optimo ciue li. 1. pa. 77. Cæterum obseruandum hic obiter est ex antiquitate, & phrasi Poëtica, quod iam olim apud Ethnicos puellæ blandiendo scilicet amatores suos fratris vocabulo appellare solebant, contra vero adolescentuli amicas suas, etiam blandiendo sorores appellabant, vt patet ex Mart. lib. 2. Epigram. 4. Et Propert. lib. 2. Epigram. ad Cynthiam. Quinetiam ex Seneca tragico apud quem Phædra cum amoris sui indicium verecūda facere vellet, ita alloquitur, Hippolytum matris superbum est nomen & nimium potens; nostros humiliter nomen affectus decet. Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca, & cætera. De qua quidem phrasi, & consuetudine amatoria scribit diligenter Lypsius in Criticis variarum lectionum capite primo pag. 853. Vbi exponit præsertim Tibuli versus illos libro tertio, cum ait:

Hæc tibi vir quondam, nunc frater
casta, &c.

Et item Antiquarum lect. lib. 3. pag. 124. Itaque optat, & desiderat Sponsa vehementer pro re nata, & oblata castissime deosculari dilectum, quemadmodum solent sorores, etiam castissimæ virgines paruulos fratres complecti, atque deosculari, præsertim vero adhuc lactentes, seu vbera matris lugentes. Sic enim sine vlla probri suspitione, infamia, vel nota facere, istiusmodi blanditiis, & aliis huiusmodi quotidie videntur virgines natu grandiores, etiã castissimas, ingenuas, & nobiles erga infantes, & paruulos fratres. Ideoque Sponsa hoc exemplo, non satis habuit dicere: **Quis** mihi det te fratrem meum, sed etiam adiecit ad vitandam infamiam & calumniam; sugentem vbera matris meæ, id est adhuc lactentem; talia enim oscula castissima honestissima sunt. Itaque nihil inhonestum, aut impudicum, & turpe inest in hoc desiderio, seu voluntate, & voto Sponsæ, cum per cõparationem ait: **Quis** mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, & cætera. Dixi per cõparationem; sunt namque hæc verba comparatiua, atque proinde tacite subau-

dienda est aliqua particula cõparatiua, cuiusmodi est particula, sicuti, quasi plane ita dicit Sponsa: **Vtinam** contingat mihi, vt te charissime. Sponse aliquando iure & merito connubij deosculari merear, sicuti deosculari sorores solent fratres suos paruulos sugentes vbera, id est adhuc lactentes, cum tali, tanta, inquam simplicitate, honestate, & animi candore, fiducia, & libertate. Ad hunc ferè sensum videtur Sponsa in præsentis loco optando dicere: **Quis** mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ. Per lugentem enim vbera matris suæ intelligit fratrem germanum vterinum vel infantem, & tenellum adhuc lactentem, quem deosculari amoris gratia nemini nõ licet, atque fas est; quanto vero magis hoc licebit, & fas erit sorori Sponsæ iure naturæ & propinquitatis. **Qui** sensus etiam apparet & lucet magis ex sequentibus verbis cum subdit: **Et** iam me nemo despiciat, & cætera. Ex quibus etiam verbis magis patebit hanc Sponsæ deoscultationem, id est, hanc Sponsæ deosculandi voluntatem sororiam, & Sponsalem esse, atque proinde concessam, iustam, & sanctam esse, quinimõ etiam

virginalem, quod maius est, quippe cum iuxta mysterium, seu allegoriam, & ipsa Sponsa simul & ipse Sponsus vterque virgo sit Amor Sponsi, siue quo ipse Sponsam suam amat, siue quo ab ipsa Sponsa amatur, totus vltro, citroque virginalis est, ac longe castissimus; ideoque, omnique culpa, & reprehensione, vitioque careat oportet; præsertim vero amor ille quo ipse Sponsam, id est, Ecclesiam, seu animam quamlibet perfectam amat; Talis etenim amor animam hominis vsque adeo castificat, vt eam virginalem faciat, & reddat, quemadmodum conueniẽter, & eleganter docet D. August. lib. de sancta Virginit. cap. 12. & item lib. de verbis Domini secundum Ioan. serm. 50. & lib. de diligendo Deo. cap. 10. & Comment. in Psal. 147. & aliis. Cui suffragatur etiam D. Basil. Magnus lib. de virg. pag. 538. Suffragatur quoque Philo lud. in lib. de Cherub. tom. 1. pag. 102. Vbi accommodate exponit verba illa Hieremiæ cap. 5. vbi Sponsus diuinus aperte sic ab eo appellatur; Dux virginittatis meæ, & cætera. Atque proinde consentaneum est, imo oportet, & necesse est istiusmodi oscula, quæ iure suo proprio

Sponsavnica desiderat, esse non solum iusta, atque legitima, & casta, sed etiam virginalia; denique omni, prorsus vitio, culpa, & reprehensione carere.

Sugentem vbera, &c.

E Leganti exemplo vtitur hinc Sponsa, seu author sacer, cum non satis putauit Sponsum appellare fratrem simpliciter, nisi etiam hoc Epitheton adderet: Sugentem vbera matris meæ; pro eo quod est, adhuc lactentem, decorum, formosum, festiuum, tenellum, delicatum, inocuum malitiæ, & doli expertem, atque proinde amabilem valde, quales naturaliter ferè sunt paruuli recens nati; talis enim plane videtur esse homo in sua infantuli ætate, nempe corpore decorus, atque integer, & animo innocens, vt ibi diuina imago relucere, & residere quodammodo videatur, & quasi in bonis adibus commorari propter eximiam scilicet innocentiam, candorem, & sinceritatem quæ in prima seu puerili ætate cernitur. Vnde & Christus Dominus simili prope modum exemplo vsus est in Euangelio secundum Matth. cap. 18. vbi legimus eum accepisse puerum, atque eum statuisse

in medio discipulorum, quem cum complexus esset dixit illis: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum caelorum, &c. & rursus Marc. cap. 10. ita legimus, Et offerebant ei paruulos ut tangeret illos, discipuli autem comminabantur offerentibus, quos cum vidisset Iesus indignè taliter, & ait illis: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos, talium est enim regnum caelorum, & complexans eos, & imponens manus super illos benedicebat eos. Paulus quoque, Apostolus 1. ad Corinth. ca. 14. congruenter sic ait: Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. Super quibus verbis videndus erit Clemens Alexandrinus lib. 1. Pedagogi cap. 5. & 6.

Et iam me nemo despiciet.

Quamuis multa & magna, atque rarissima essent Spōsa merita, & ornamenta tamen nihilominus pra inuidia despiciebatur, & tanto equidem magis quanto maiora eius merita erant: inuidia enim suapte natura velut ignis, alta, ardua, &que petit iuxta illud, Pascitur in riuus liuor, post fata quiescit. Praesertim verò regnat in-

ter eos qui eiusdem sunt ordinis, & conditionis, atque artificij; & patet ex illo veteri prouerbio: Figulus figulum odit; & cetera. Vnde fit vt viuos nonnumquam merita, seu debita laude fraudemus, mortuis autem, & iam vita functis etiam immeritam tribuamus; minuit namque ferè praesentia famam, & laudem, quam ob rem (sicut proditum est in historia) mos erat apud Athenienses, praesertim in caenis funeralibus; encomijs, Epicedijs, atque Epitaphijs, laudare vita defunctum, etiam si odium vel inuidiam antea meruisset. Pro qua re vide Adag. Herculi labores. Videndus quoque erit Diuus Greg. Nazianz. orat. 27. Vbi loquens de inuidia sic ait; Solus ex omnibus affectibus iniquissimus simul, & æquissimus, inuidia est; iniquissimus, quia bonis omnibus aduersatur, æquissimus, quia dominos suos exest, & conficit, & cetera. Et item diuus Augustinus serm. 83. de tempore. Et Diuus Thomas, vigesimo secundo, q. 36. art. 1. & sequentibus, vbi differit de ratione seu natura inuidiae & proprietatibus eius. Et Cicero ad Attic. libro quinto epist. vigesima ait.

inter est

interest mea, qui sum Philosophus indignari, stomacharique potius nugas, & offensiones hominum, quam inuidere eorum successus. Vide Adag. Placere vt nemo, id est liuori, qui nihil laudabatur nec Venerem quidem totam vt pote quam improbauit, quod illi stridulum sandalium esset. Quod respiciens Poëta ingeniosus ait: Laudaret faciem liuor quoque.

Apprehendam te & ducam in domo matris meae.

Apprehendam te, id est, tenebo vel retinebo te, etiam inuitum & nolentem vel renitentem, & velle abire significantem. Quo sensu etiam superius Cant. cap. 3. dixerat Sponsa: Quasiui quem diligit anima mea, quasiui illū, & non inueni, &c. Deinde subdidit: paululum cum pertransissem inueni quē diligit anima mea, tenui eum; nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae, & in cubiculum genitricis meae. Vnde facile patet Sponsam non parum sepe quasiuisse Sponsum, neque tamen statim, aut cito inuenisse, vt patet etiam ex cap. 5. cum

id est A

ait: Quasiui & non inueni illū, vocaui, & non respondit mihi, &c. Loquitur enim Sponsa hinc ex hac hypothasi propter frequentes Sponsa accessus, & recessus, de quibus accessibus, & recessibus secundum allegoriam diximus in priori inscriptione plura: quamuis enim Sponsus quantum in se est, plurimum diligit Sponsam, id est, Ecclesiam seu animam perfectam, tamen nihilominus interdum & quodammodo videtur velle eam ad tempus, id est, pro tempore, & loco deferere, seu relinquere, vt sic magis, id est, studiosius ab ea absens desideretur, quaratur, ac teneatur. Cuius rei exemplum luculentum habemus in Euangel. Lucae cap. 24. vbi narrat Lucas quemadmodum Christus Dominus post suam resurrectionem apparuit duobus illis discipulis euntibus in castellum Emaunta. Sic enim ibi inter alia scriptum est: Et appropinquauerunt castellum quo ibant, & ipse finxit se longius ire, & coegerunt illum dicentes: Mane nobiscū quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies, & intrauit cum illis, &c. Ex quo loco manifeste apparet Christum Dominum noluisse reuera tunc temporis longius ire,

sed potius finxisse, ut scilicet à duobus illis discipulis rogaretur, teneretur, atque etiam manere cogeretur. Sicuti patet ex verbis, & rebus statim sequentibus, unde Eusebius vel potius Eucherius homil. 2. in feria 2. post Pascha; ira congruenter ait: Et tunc quidem non solum corpus habitudine, sed & ipsa facie, quamuis longius ire noluerit, sed tamen ire ostendit. Sic enim & superius dicitur quod Samaritani noluerunt recipere eum, quia facies eius erat euntis in Hierusalem. Sic ille. Idemq; Author hom. in feriam 5. post primam Dñicam Quadrages. pag. 60. rursus hanc interpretationem suam confirmat dicens: Finxit Dominus se longius ire, cum ire longius noluisset, &c. que sequitur in eadem sententiam. Ad hunc igitur modum & sensum Sponsa in presentiarum loqui videtur cum ait: Apprehendam te, &c. quoniam scilicet Sponsus interdum ad vitandum fastidium, & satietatem piorum suorum, id est, Dei amantium, fingit, seu ostendit quodammodo se recedere velle, cum tamen semper sit presentis: quo (inquam) sic studiosius, & cum maiori desiderio à suis amatoribus queratur, fortiusque re-


tineatur, vel etiam manere cogatur: si quidem nihil magis pugnat cum amore Sponsi diuini, quam satietas & tepiditas, seu negligētia, ut patet manifeste ex eo loco Apocal. c. 3. ubi Oraculum ita alloquitur seu Episcopum Laodicę Ecclesię: Scio opera tua, quod neque frigidus es, neq; calidus. Vnā frigidus esses, aut calidus; & quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere de ore meo. Sic loquitur Oraculum de tepidis, quasi nausea ab eis afficeretur. Vnde D. Ambr. in Psalm. 118. serm. 2. sic ait: Negligentiam grauiori damnat iudicio quam imprudentiam. Frigidus est enim qui fidem nescit, calidus qui Spiritus sancti feruore succensus est; qui enim calorem fidei non habet, tollerabilius illi fuerat fidem non accepisse quam neglexisse. Et D. Hieronymus in epist. ad Eustochium congruenter inquit: Nihil saluator medium amat, & sicuti frigidum non refugiens calidis delectatur, ita tepidos in Apocalypsi euomere se loquitur, &c. A. Gell. lib. 13. cap. 30. fin. ubi de vino medio quod neque nouum, neque vetus est, differens, similiter ait: Tale vinum, pro vino non esse habendum. Qui

plura super hac re desiderat, is legit Greg. Nazianz. Orat. 3. cum scholiis. Elia. Cretēsis. pa. 265. & 266. Quinetiam si placet, & si vult legat ex recentioribus Isidorum Clarium Orat. 10. in sermonem Domini in monte, ut rectè, & accommodate exponit locum illū Evangelicum Matt. cap. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam &c. Esurire enim & sitire iustitiam planè diuersum est, ab eo quod tepidum est, sicut eleganter, & sapienter ostendit exemplis D. Augustin. lib. 4. contra duas epistol. Pelag. cap. 7. & lib. de verbis Domini secundum Matth. serm. 5. & alias sapissimè. & D. Aug. homil. 36. princip. Nam sicut esuries corporalis est indicium, ita & esurire, & sitire iustitiam bonę animi valetudinis certissimū est augmentum, &c. Et Chrysostom. 1. homil. 4. in Genes. item homil. 24. & alias.

Et ducam te in domum matris meę, &c.

Ambitu loquendi & circuitione vitur Author sacer, honoris, & honestatis causa, dum loquitur de mysteriis nuptialibus, & amatoris, ut facit Ausonius Poëta. Chri-

stianus in epithalamio, id est, carmine nuptiali, castis auribus consulens, amat enim verecundiam, & honestatem, potiusquam libertatem loquendi. Hoc autem dixerim quoniam his verbis videtur Sponsa quodammodo insinuare & subindicare morē ritūve aliquem nuptialem, seu Sponsalem suę gentis, atque ætatis, dum ita quasi ex hypothese loquitur ad Sponsum: Ducam te in domum matris meę, &c. forte enim talis consuetudo erat tunc temporis, ut Sponsa antequam marito, seu viro omnino traderetur, eum inducere in domum maternam, siue paternam, ve ibi cum eo familiariter communicaret, atque conferret, præsertim de rebus ad nuptias pertinentibus, nam Sponsa iam olim non statim marito tradebatur, neque à domo paterna in qua nata, atque educata erat, in aliam domum familiamque transgrediebatur, quemadmodum facile patet ex vno illo loco Euangel. Matth. cap. 1. ubi ait: Cum autem esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, inuenta est in utero habens de Spiritu sancto, &c. Pro qua re legendus erit D. Chrysost. homil. 43. in Genes. tom. 1. pag. 302. ubi sic ait: Mos enim illa-



veteribus erat, ante multum A
tempus sponsalia facere, sæpè
etiam & cohabitare desponsa-
tis, &c. Et D. Augustin. lib. 8.
Confess. cap. 3. congruenter, &
clarius super hac re ita scribit:
Et institutum est, ut iam pacto non
tradantur statim, ne vilem ha-
beat maritus datam, quam non
suspirauerit, Sponsus dilatatam, B
&c. Suffragatur illud quod
ait Glossa in Canone inst. 32.
qu. 2. quia fructus est gratior
quem spes producit in æuum,
vel quem spes produciat edit.
Quinimo etiam huic consue-
tudinè, seu legi videtur non ni-
hil suffragari locus ille Psal. 44.
vbi Rex Propheta reginam C
Sponsam sic alloquitur atque
adhortatur dicens: Obliviscere
populum tuum, & domum pa-
tris tui; & concupiuit Rex de-
corem tuum, &c. Postquam
enim Sponsa in domum & fa-
miliam mariti translata est, iam
deinceps, non propria, sed alie-
na quædam possessio est paren- D
tum suorum, id est patris, ac
matris suæ (& quidam rectè
ait.) Quomocumque tadem
hæc res sese habeat, hæc oratio
Sponsæ cum ait: Et ducam te
in domum matris meæ, &cær.
valde est amatoria & magnam
Epithasim habet, sic enim si-
gnificat Sponsa non solum ve-

hemētiam, & sinceritatē, amo-
ris sui erga dilectum, sed etiam
ingērem quandā, & singularem
institamq; charitatem, pietatem
& obseruantiam erga parētem,
præsertim verò erga matrem,
nam ut inquit D. Hier. epist.
47. vbi disserit de vitando sus-
pecto contubernio, Mater & fi-
lia nomina sunt pietatis & offi-
ciorum, vocabula vincula na-
turæ, secundaque post Deum
fœderatio, Dominus. n. Iesus
Christus subiectus erat paren-
tibus, &c. Suffragatur D. Amb.
in lib. de paradiso cap. 12. Expo-
nens namque illa verba Dei, Fa-
ciamus ei adiutorium simile si-
bi, ita scribit, nam si pro me-
liori accipis adiutorium, maior
quædam in causâ generationis
operatio mulieris reperitur si-
cut istius terræ, quæ semina
primo accepta cohibēdo, pau-
latim foetu suo adolescere facit,
& producit in segetem, &c. Ita-
q; rectè & peritè Author facer
in persona Sponsæ, ita loquitur
dicens: Et ducam te in domum
matris meæ, &c. non autem di-
cit in domum patris mei. Me-
lior enim est oratio cum dicit,
In domum matris meæ, quàm
si diceret, In domum patris mei,
etiamsi domus sit communis
amborum: magis etiam est ho-
nesta oratio, id est, magis con-
uenit

uenit puellæ nouiter nuptæ A
istiusmodi sermo. Siquidem
maior naturæ & si-
militudo est inter filiam & ma-
trem, quam inter filiam, & pa-
trem. Vnde etiam filia, seu
fœminæ plerumque matri, ma-
res verò patri similes naturali-
ter proueniunt, ut notauit
Arist. lib. 7. de natura animal. B
cap. 7. Augustin. serm. 75. de
tempore, allegorice, & accom-
modate exponit locum illum
qui est Genes. cap. 2. de Isaac,
& Rebecca connubio dicens:
Accepit ergo Isaac Rebeccam
& intromisit eam in taberna-
culum matris suæ Saræ: acce-
pit & Christus Ecclesiam, & C
eam in loco constituit Synago-
gæ. Accepit Isaac Rebeccam
& intantum dilexit, ut dolo-
rem qui ex morte matris acci-
derat temperaret; accepit
Christus Ecclesiam, & intan-
tum dilexit, ut dolorem qui
de perditione matris Synago-
gæ acciderat, amore Ecclesiæ D
mitigare, &c.

Et in cubiculum genitricis meæ.

Hæc particula, seu repeti-
tio non est in fonte Heb.
sed desumpta esse videtur
aliunde, nempe ex Cant. cap.
3. vbi Sponsa ita loquitur per

repetitionem: Inueni quem di-
ligit anima mea, tenui eum,
nec dimittam donec introdu-
cam illum in domum matris
meæ, & in cubiculum genitri-
cis meæ. Nihilominus tamen
reperitur in translatione Græ-
ca Lxx. atque etiam in vulgata
ditione Latina emendata, ad
verbum fideliter. Adde quod
sic oratio Sponsæ est mollior,
plenior, & rotundior, ac ma-
gis emphatica quam si solum-
modo diceret Sponsa: Et du-
cam te in domum matris meæ,
plus est enim inducere, seu in-
troducere Sponsum in cubi-
culum vel in gynecæum & pe-
vetralia domus, quam simpli-
citer in domum, quæ passim
omnibus patet, etiam alienis.

Ibi me docebis.

Sic est ad verbum fideliter
Sin fonte, Ibi, nempe in do-
mo matris suæ, & in cubiculo
genitricis tuæ me docebis,
quasi domus matris suæ, & cu-
biculum genitricis suæ esset
domus doctrinæ, & schola dif-
ciplinae; sic loquitur Sponsa.
Verumtamē hæc particula (ibi
me docebis) desideratur in
translatione Lxx. Vaticana
iussu Pontificis castigata atque
emendata, & impressa Romæ,

licet in nonnullis aliis codici-
 bus Græcis reperiatur, atque
 etiam in scriptis sanctorum Pa-
 trum quorundam qui ex fontibus
 Græcis haurire solent quasi
 autentica citetur. In quibus
 præsertim est D. Ambros. ferm.
 19. in Psalm 118. Vbi ita legit,
 & interpretatur. Sensus ergo
 istorum Sponsæ verborum (Ibi
 me docebis) talis est. q. d. Ibi,
 vel illic, nempe in domo matris
 meæ, & in cubiculo genitricis
 meæ, quando erimus soli tamquam
 in loco magis oportuno, & secre-
 tiori, id est, longè à turba, remoto,
 & solo, quæ à te maximè dif-
 cere, & scire cupio & debeo,
 id est, non solum ea quæ ad
 officium meum pertinent, sed
 etiam alia quædam sublimia,
 & arcana mysteria, qua non
 passim omnibus, sed amicis, fa-
 miliaribus & intimis reuelare
 soles priuatim, hoc est, clam
 & secreto, & per silentium, iux-
 ta illud quod ait Oraculum
 Osee cap. 2. Ducam eam in so-
 litudinem, & loquar ad cor
 eius. Et apud Esai. cap. 50. scri-
 ptum est: Dominus dedit mihi
 linguam eruditam vt sciam
 sustentare eum qui lassus est,
 verbo, erigit mane, mane eri-
 git, mihi autè vt audiam quasi
 magistrū, Dominus Deus ape-

ruit mihi aurem, ego autem
 non contradico. Ad hunc enim
 sensum, vel secundum histo-
 riam, vel certè secundum alle-
 goriam videtur dicere Spon-
 sâ hîc (ibi me docebis) Vnde &
 locutiones Dei ad animâ, quæ
 scilicet hoc modo fiunt inter
 Deum & animam, id est, pri-
 uatim, quasi inter Sponsam, &
 Sponsam solam soliloquia re-
 ctè appellantur; qualia v. g. ex-
 pertus est Paulus Apost. ali-
 quando, quando raptus vsque
 ad tertium cælum audiuit ar-
 cana Dei quæ non fas est ho-
 mini loqui, vt ipse fatetur Co-
 rinth. 2. cap. 12. Non abhorret
 ab hac sententia, seu interpre-
 tatione paraphrasis Chaldaïca
 quatenus hæc Sponsæ verba de
 more suo solito refert ad Re-
 gem Messiam; q. d. Sponsa in
 persona Synagogæ, id est, vete-
 ris Ecclesiæ ad Christum, De-
 ducam te Regem Messiam, &
 introducam te in domum san-
 ctuarij, ibique docebis me ti-
 mere à facie Domini, & ambu-
 lare in viis eius. Hacten. Chald.
 Consentaneus locus est ille
 apud Mich. cap. 4. vbi vaticin-
 ando de rebus, & temporibus
 Regis Messie, id est, Christi Dei
 filij, sic ait Oraculum: Venite,
 ascendamus ad montè Domi-
 ni, & ad domum Dei Iacob, &

docebit nos de viis suis, & ibi-
 mus in semitis illius. De loca-
 tione autè, seu doctrina istius-
 modi ad Sponsam, id est, Ec-
 clesiam seu animam perfectam
 seorsum, legendus erit D. Aug.
 Confess. libro 12. cap. 16. vbi
 inter cetera ita scribit: Obsecro
 te Deus meus ne tu sileas à me.
 Tu loquere in corde meo vera-
 citer; solus enim sic loqueris,
 & intrem in cubile meum, &
 cantè tibi amatoria, gemens in-
 enarrabiles gemitus in peregrina-
 tione mea, & recorder Hie-
 rusalè extento in eum sursum
 corde. Hierusalè patriam meâ,
 Hierusalè matrem meam, te-
 que super eam, regnatorem, il-
 lustratorem, patrem, tutorem,
 maritū, castas, & fortes delicias
 & solidum gaudium, & omnia
 bona ineffabilia, &c. quæ profe-
 quitur in eandem sententiam
 ibidem, & alias sæpè de huius-
 modi Spōsi cælestis ad animas
 perfectas locutione, id est, so-
 liloquio familiari, & secreto, D
 qualis quidem haberi solet in-
 ter Sponsos castissimos, & cha-
 rissimos. Consentanea sunt, &
 propè germana quæ scribit idē
 D. Aug. lib. 10. Confess. c. 26. &
 lib. 11. c. 8. & 9. & lib. 13. c. 29. & de-
 nique lib. de prædest. sanctorū
 cap. 8. vbi exponens illa verba
 Christi Domini Euangelica

Ioann. cap. 6. Omnis qui audi-
 uit à patre, & didicit, venit ad
 me, &c. Ita congruenter, & ac-
 commodate philosophatur di-
 cens: Valde remota est à sensibus
 carnis hæc schola, in qua
 pater auditur, & docet vt ve-
 niat ad filium. Ibi est, & ipse fi-
 lius, quia ipse est verbū eius per
 quod sic docet, nec agit hoc
 cum carnis aure, sed cordis. Si-
 mul est & ibi Spiritus patris, &
 filij, neque enim ipse non do-
 cet, aut separatim docet. Inse-
 parabiles quippe dicimus esse
 operationes Trinitatis, Valde
 igitur remota est à sensibus car-
 nis hæc schola, in qua Deus au-
 ditur, & docet. Multos. n. venire
 videmus ad filium, quia multos
 credere videmus in Christum,
 sed vbi, & quomodo à patre au-
 dierint hoc & didicerint, nō vi-
 dem⁹. nimirū gratia ista secreta
 est. Gratiā vero esse quis ambi-
 gat? Hæc itaque gratia, quæ oc-
 cultè humanis cordibus diui-
 na largitate tribuitur, à nullo
 duro corde respuitur; Ideo
 quippe tribuitur, vt cordis puri-
 ties primitus auferatur, &c. quæ
 prosequitur in eandem senten-
 tiam D. Aug. Consentanea his
 sunt & concinna quæ de hu-
 iusmodi occulto, & remoto
 Dei magisterio circa animam
 hominis, præsertim circa egre-

gias & illustres animas, vehementerque Deiamantes, scribitidem D. August. tract. 3. & 4. in epist. Ioanna. Apost. & item lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 6. & alias sapè. Vnde & Bernard. alicubi, id est serm. 1. in festo SS. Apostolorū Petri & Pauli, congruenter sic ait: Felix animæ quæ sedebit, & tacebit ab strepitu diabolicarum suggestionum, ab strepitu carnalium desideriorum, ab strepitu mundi quæ linguas istas non exaudiat licet, sed illa multo felicitior, si tamen aliqua est cui penitus non loquatur. Sic ille. Rectissime ergo Sponsa in præsentiarum cupit, & petit doceri seorsum, & in secreto à Sponso suo diuino, vt sic non solum Spōsa, sed etiam docibilis Dei, seu docta à Deo, id est, discipula Dei verè dicatur & sit, iuxta illud Esaiæ cap. 54. Et refertur à Ioann. Apostolo cap. 6. Cùm vaticinando de rebus & temporibus, vel potius beneficiis, & gratia Christi effusa sic ait: Eterunt omnes docibiles Dei, hoc est docti à Deo, & quasi discipuli quidam, seu scholastici familiares Dei. Vide ad pleniorē intelligentiam huius interpretationis locum qui est apud Iustinum martyrem,

A & philosophū in dialogo contra Tryphonem. Vbi de doctrina, disciplina & gratia Christi sic congruenter profitetur: Hanc ipsam solam (inquit) comperi esse certam, atque vtilem philosophiam, atque ad hunc modum & per hæc ipsa ego philosophus prodij, & cæt. quæ profequitur. Consentaneus & congruus locus est apud eundem Iustinum in Orat. ad gentiles. Quin etiam apud D. Chrysostr. homil. 7. in 1. Corinth. cap. 2. vbi loquens de præstantia & gratia doctrinæ Christi, simul & disciplina Christiana, inter cætera, sic ait per comparationem: Si quidem rāto nos gētilibus sapientiores sumus, quanto inter Platonem interest, & Spiritum sanctum, &c. quæ sequuntur. Itaque iure optimo dicere, & clamare possumus aduersus gentiles, Procul hinc, procul est & profani, & cætera. Quæ quidem formula ipsi in sacris suis abutebantur, præsertim. verò in sacris Eleusinis, quemadmodum videre est apud Brissonium libro primo de formulis in princ. Et item apud Cartharium lib. de imaginibus Deorum tit. Magna mater, pag. 154. & sequētibus. Vbi de Eleusinis

sacris differit, quæ quidem tanta religione, tantoque silentio, & secreto celebrabantur, vt sacerdos semper voce præiret ita dicens: Procul est & profani. Nemo autem à Dea admittebatur, nisi initiatus, quem etiā omni flagitio expiatum esse oportebat. Quare de Nerone Cæs. legitur, numquam his sacris eum voluisse interesse, scelerum scilicet conscientia conuictum, &c. Cæterum non videtur mihi ratione mysterio carere, quod Sponsa hoc loco postquam dixisset: Et ducam te in domum matris meæ, & cæt. continuo sine vllō interuallo subiicit: Ibi me docebis; nempe in domo matris meæ, & in cubiculo genitricis meæ. Hoc enim proxime processit, atque proinde videri potest Author sacer in persona Sponsæ ænigmatice, & quodammodo innuare locum proprium, & præcipuum veræ, sanæ, & Catholicæ doctrinæ, & quasi scholam atque oraculum esse veram Ecclesiam in qua scilicet proprie, & maxime, vt ne dicam sola docetur, & dicitur, conseruatur, & custoditur vera, & salutaris solidaque doctrina. Hæc enim sola, atque per excellentiam nominatur, & est domus Dei, iuxta illud Pauli Apost. 1. Timoth.

A cap. 3. vbi ait: Vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viuicolumna, & firmamentum veritatis. Pro qua re vt ne ego prolixior sim, legendus erit D. Aug. lib. contra Epistolam fundamenti cap. 4. & 5. vbi inter alia sic ait: Ego vero Euangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesiæ commoueret auctoritas, & cæt. quæ profequitur. Videndus quoque erit pro hac re D. Hieronymus epist. 57. ad Damas. sum. Pontif. vbi inter cætera sic ait: Christi vinea exterminant vulpes, vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi. Ideo mihi cathedram Petri & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam. Inde nunc meæ anime postulans cibum vnde olina Christi vestimenta suscepi, vbi cumque fuerit corpus, illuc cōgregabuntur, & aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta patrum seruetur hæreditas, facefcet inuidia, Romani culminis recedat ambitio, cum successoris piscatoris, & discipulo crucis loquor; Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri.

communione confortior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est, & cætera quæ prosequitur in eandem sententiam.

Nihil tamen prohibet si domus aliqua vnius cuius civitatis, priuata quodammodo Ecclesia dicatur & sit, atque proinde etiam domus doctrinæ, disciplinæ, & pietatis appelletur. Nam Paulus Apost. Rom. cap. 16. ita loquitur: Salutate Priscam, & Aquilam & domesticam Ecclesiam eorum. Pro qua re & locutione facit etiam locus Ciceronis qui est in orat. pro domo sua ad Pontifices, vbi sic ait: Quid sanctius, quid omni religione munitius, quam domus vniuscuiusque ciuium; hinc aræ sunt, hinc foci, hinc Diipenates, hinc sacræ religionis ceremoniæ, hoc profugium est; ita sanctum omnibus, vt inde arripere nemini fas sit. Idemque Cicero alibi id est lib. 1. de oratore sic ait: Domum viri sapientis, & prudentis oraculum esse ciuitatis: sic enim omnes eum consulunt, atque frequentant quasi oraculum. Hactenus ille.

Et dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.

ET dabo tibi, pro eo quod est; & darem tibi, scilicet si te solum foris inuenirem, pender enim ordo & structura præsentium verborum ex verbis præcedentibus cum dixit Sponsa: Quis mihi det te fratrem meum, &c. Necdum enim voti compos sui facta erat Sponsa, quando hæc loquebatur, sed potius optado loquebatur. Videri autem potest Author Cantici his verbis cum in persona Sponsæ ait: Et dabo tibi poculum ex vino condito & mustum malorum granatorum; quodammodo de more Poëtico alludere ad pocula amatoria quæ Philtra Græcè dicuntur, cuiusmodi remediis vulgaribus corporum amatores plerumque vtuntur ad amorem consiliandum. Quid enim non mortalia pectora cogit iste amoris affectus, vel potius furor? Vnde etiam extant leges ciuiles quæ vetant vt ne pudici animi philtis, seu venenis, & incantationibus talibus ad amorem consiliandum abutantur. l. eorum C. de Malefic. & l. Cornelia de sicariis plectitur qui poculum amatorium dederit. Et

aliàs proinde potionem amatorium: Cæsonia. C. Caligula crudelissimo Imperatori mentem ademisse ferebatur. Pro qua re etiam vide Can. Nec mirum §. Magi. 26. q. 5. Et Alciatum Emble. 78. & 115. & Arnob. lib. 1. contra gentes pag. 30. vbi probat Christum non fuisse magum sicuti Vulgus gentilium, & Iudæorum mentiebatur. Tale v.g. forte philtrum, seu poculum, seu herba erat olim Nepenthes, cuius meminit etiam Homerus in Odissæa. Et item Cicero ad Artic. lib. 9. epist. 6. Erat enim Nepenthes, vt voluit interpretes, suauissima quædam sorbiciuncula, & potio, qua Heroum animos recreasse Helenam tradit Homerus, lætitiæque creabat, & tristitiæ ex animo pellebat; denique amorem & gratiam consiliabat. Tatummodo videndus erit pro hac re Seneca Philosophus epist. 9. vbi differens de amicitia, & amore, congruenter, & sapienter sic scribit: Hecaton ait: Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine vilius veneficæ carmine, nempe, si vis amari, ama, & cæt. quæ prosequitur in eandem sententiã copiose, ex autoritate præsertim, & sententiã ista Hecatons tanta vsque adeo per se sola

est vis amoris. Nihilominus tamen in historia proditum est de muliere quæ olim potionem cuidam dedit amatorium, ex qua homo ille mortuus est; mulier tamen libera & salua euasit, id est absoluta ab Areopagitis est, quia non ex prouidentia dedisset, sed ex amore.

Neque enigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

Somnus enim vt docet Arist. lib. 1. Ethic. cap. 13. otium est animæ tam studiosæ, quam vitiôsæ, sed modestorum meliora visa quam aliorum, & cæt. Et Sponsa amore languebat, & saucia erat, id est, amoris symptoma patiebatur.

Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Pro sensu historico non absere erit legere quæ de parte læua, & dextera scribit Lypsius Electorum lib. 2. cap. 2. Verum tamen quantum ex præsentilo loco apparet, neutra Sponsæ manus otiosa est, aut officio & munere sui vacua, sed vtraque simul charitatis & obsequij instrumentum est, dum vtraque manu præ nimio amore, & desiderio ipsius langueri, seu ægro-

tanti Sponsæ deseruit, atque amplexabitur me. medetur, & victus ambas, vt ita dicam, dat manus amori, sic enim Sponsam consolando tam amanter vtraque manu pariter vsus est perinde atque ambidexter esset; Dixi ambidexter, quoniam D. Hieronym. Com. in Psalm. 90. Iustus quisq; duas dexteras habet, quemadmodum & ille Aioth, qui scribitur in Iudicum libro, propterea enim duas dexteras habere dicitur, quia iustus erat, inquit Hieronym. id est, vir bellator & manu fortis ad prælia domini, & officia pietatis cætera facienda. Quomocumque tamen hæc res se habeat; verba hæc, Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me; sunt Sponsæ adhuc amore languentis, & propemodum deficientis, ideoque optat vt intanta ista animi defectione, seu animi mollitie, spe & expectatione Sponsus dignetur eam consolari lauam sub capite ponendo, & dextera amplectendo, antequam penitus deficiat. Quosensu etiam superius Cant. cap. 2. dixerat, Fulcite me floribus, stipate me malis quia amore languo. Deinde tanquam remedium langoris pro iure amoris mutui subiunxit; Laua eius sub capite meo, & dextera illius am-

Quæ est ista quæ ascendit de deserto delictis affluens innixa super dilectum.

Verba sunt chori adolescentularum admirantium, & laudantium maiestatem, & gloriam simul & amores, deliciasq; Sponsæ; præsertim vero quasi suspensæ admirantur, & laudat, & congratulantur aspicientes quod Sponsa innixa, id est, inclinata, seu recumbens super dilectum ascenderet, seu ingrederetur, quod quidem summi atque extremi amoris, & honoris iudicium, & argumentum euidentis erat, magna est enim proculdubio charitas, & fiducia coniugalis, sed maior est charitas, bonitas, benignitas, & condescensio, vt ita dicam, Sponsi, seu dilecti, qui fiduciæ & charitati Sponsæ ita cedit, atque morem gerit, ac tantopere indulget, & fauet innixam sustinendo. Tanta, inquam, vsque adeo est charitas, bonitas, humanitas, indulgentia, & gratiæ Sponsi, vt ad honorandam Sponsam suam nihil officij aut obsequij prætermittere videatur. Similiterque omnino contingit, vt iam ænigma explicemus, inter Ecclesiam seu animam perfectam

etiam & Deum, quemadmodum eleganter ostendit D. Bern. serm. 86. in Cant. vbi hæc ipsa verba. Innixa super dilectum, allegorice exponit dicens: Quarit anima verbum cui consentiat ad correptionem, quo ille minetur ad cognitionem, nitatur ad virtutem. Quidni omnia possibilis sint innitenti super omnia, qui omnia potest; quantæ fiduciæ vox est illa; Omnia possum in eo qui me confortat. Nihil omnipotentiam verbi clarior reddit, quam quod omnipotentes fecit omnes qui in se sperant, Denique omnia possibilis sunt credenda. An non omnipotens, cui omnia possibilis sunt, ita animus si non præsumat de se, sed si confortetur a verbo poterit vti que dominari sui, vt non dominetur ei omnis iniustitia, & cæcæ quæ prosequitur Bernard. fideliter & Catholice in hanc sententiam, de auxilio scilicet gratiæ Dei efficaci, & ad omnia necessaria opera pietatis intelligens, contra ingratos Pelagianos, eorumque reliquias. Consentanea & similia sunt, si quis volet hunc locum amplius dilatare, quæ scribit idem D. Bern. serm. 5. in vigilia Natiuit. & alias sæpissime, tanquam expertus, & peritus, & testis locupletissimus. Pro qua re legendus erit, vt omittam alia

complura valde idonea testimonia, D. Augu. lib. 8. de Gen. ad litteram cap. 12. vbi sic ait: Sicut aer præsentem lumine non factus est lucidus, sed fit, quia si factus esset, non fieret, sed etiã absente lumine lucidus maneret; sic homo Deo sibi præsentem illuminatur, absente autem continuo tenebratur, à quo non locorum interuallo, sed voluntatis auersione disceditur, &c. quæ sequuntur. Consentaneus locus est apud eundem August. lib. 4. confess. cap. 1. vbi in hunc modum ait: Quid ego sum mihi sine te Domine? nisi dux in præceps, aut quid sum, cum mihi bene est, nisi fugens lactuum & cæcæ. Pro qua re facit valde etiam quod per comparationem ait beat. Isidor. Pelus. lib. tertio. epist. vigesima secunda ad Isid. Diachonum, vbi ita scribit: Quemadmodum Hierusalem, vt perspicuo exemplo vtar, cum diuino auxilio munita, & armata erat, recta stans contra laborem & cruorem trophæa statuebat, cum autem hoc propterea quod aduersus Deum insanisset sese spoliabat, hostilium flamma eam nullo negotio prosternebat; eodem modo anima quoque si diuina ope, propter morum constantiam ac modestiam septa, & minuta fuerit, hostes facile superabit, si

autem in peccatum proruperit, hic quidem turbulætorum affectu in igne conflagrabit, illic autem iudicij flamma cruciabitur. Hactenus ille. **Quinetiã** D. Hieronymus in Zach. cap. 4. Omnis Angelorum & hominum fortitudo, inquit, si non habuerit auxilium Saluatoris Christi, imbecillis, & fragilis est, &c. Vnde Adon Episcopus Viennensis in Breuiario Chronicorum pag. 179. ita fideliter afferit & conficitur: sic enim liberum arbitrium tam August. quam cæteri catholici in Ecclesiã Dei docent, vt illuminatio, virtus, & salus illic à Christo, & per Christum, & cum Christo fit. Hactenus ille. Nam qui aliquo auxilio sustinetur potest cadere, vt inquit etiam Seneca Philosoph. epist. 92. Vnde Paulus Apost. 1. Corinth. cap. 10. qui se existimat stare videat ne cadat, quasi dicat & colligat: Innitatur ergo semper homo, seu anima super dilectum, quando quidem ex solis viribus suis, id est, per se solus cadere potest, stare non potest, nec sufficit aliquid ex se quasi ex se cogitare, sed sufficientia nostra ex Deo est 2. Corinth. cap. 3.

Cæterum ne cui forte delicato hæc metaphora, seu allegoria dura, & insolens atque odio-

sa videatur, qua scilicet ad significandam magnitudinem diuini amoris erga Sponsam in præsentiarum vitur Oraculum, dū in persona chori seu adolescentularum de Spōsa ita canit: Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitis affluens innixa super dilectum suum. Opere pretium fuerit breuiter recollere alias similes locutiones, id est, metaphoras, & allegorias, quibus aliã sæpe sacri authores vtuntur, tribuentes Deo humanos affectus, mores & gestus significandi, simulque percipiendi alicuius mysterij gratia, cuiusmodi figuram loquendi vocare solent veteres Theologi cōdescensum Dei; quoties nempe ipse Deus dignatur de more nostro in sacris litteris de more humano loqui, & quasi condescendendo infirmitati nostræ nobiscum veluti cum pueris balbutire solet, hoc est ad captū nostrum sese accommodare, & attemperare, eouque vt videatur omnia humana agere vel etiam pati, & experiri. Quo sic ex nostris affectibus, & sensibus quoquomodo diuina intelligere, atque indagari, & odorari possimus. De quo quidem Dei condescensu eleganter differit & tradit D. Chrysoft. homil. 3. de incomprehensibili Dei na-

tura pag. 998. vbi exponens locum cum illum Esaię ca. 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & plena erat domus à maiestate eius, &c. Inter cætera sic ait. Dic queso quam ob rem Seraphim alas prætendunt & suas aperiant facies? quid aliud dixeris causa, quam splendorem procurantem è folio illo & fulgur profiliens ferre nequire? quamquã non ipsam meram videbant lucem, nec ipsam sinceram substantiam, sed quæ videbant condescensus erant & indulgentia. Deinde statim ita subdit Diuus Chrysoft. Quid nomen hoc (inquit) condescensus, significat, cum Deus non vt est, se ostendit, sed quoad videri is potest qui aspectum huiusmodi meruit, eatenus firmitate videntis suam representationem metitur, ac tēperat, condescendere illum tantis perdicimus & eiusmodi rem, condescensum nominamus, & indulgentiam. Constat & illa condescensum fuisse verbis ipsius prophetæ, Vidi Dominum, inquit, sedentem, & cæt. At Deus non sedet, corporis enim hîc habitus, & in solio cum Deum nullū solium complectatur; est enim nullius penitus capiens descriptionis. Attamen ne condescensum qui-

dem ferre potuerunt Seraphim quemquam propinquum, &c. quæ prolequitur in eadem sententiam.

Consentaneus nec minus elegans locus est de hoc Dei condescensu, seu condescensione, apud Origenem lib. 4. cōtra Celsum Philosophum, vbi exponens locum illum Genes. cap. 18. Descendam, & videbo, & cæt. Inter cætera sic ait: E sua namque descendit Deus magnitudine, atque fastigio, cum hominum vitam, & improborū præsertim dispensat, & moderatur, & quemadmodum vsu venit, vt pueris minutioribus condescendere præceptores dicamus, & adolescentibus item Philosophos, & alios quosdam prouediore nuperrime ac philosophiam inductis, cum alioquin non corporaliter hîc condescendant, ita etiam sicuti sacris in litteris dicitur, Descendit Deus, siue ascendit, correspondere hîc noscitur Vulgatæ consuetudini, quæ id nomen vsurpet. Hactenus Origenes. Quam ob rem mirandum minime est, si oraculum in præsentiarum, ad significandum, representandū & amplificandum, atque etiam persuadendo ardentissimum diuini Sponsi amorem, dignationemque, siue fauorē erga Spon-

fam sui amantissimam, id est Ecclesiam, animamq; perfectam, hac figura loquendi utatur in persona chori seu adolescentularum dicentium: Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitiis affluens innixa super dilectum suum? Quamuis enim inter Deum optimum maximum, & animam hominis maxima sit distantia, nihilominus tamen id non prohibet quominus inter utrumq; magna possit esse charitas, benevolentia, gratia, atq; concordia, ita ut in typo animæ perfectæ Sponsa verè dicatur innixa esse, id est reclinata recumbere super dilectum de more amatorio & nuptiali, quæ admodum (ut exemplo quodam naturali seu physico utamur) quamuis inter lapidē magnetem, & ferrum magna sit naturæ discrepantia, nihil tamē prohibet quominus inter utrumque magna sit sympathia, hoc est, concordia, & amicitia, quæ admodum ipsa rerum experientia facile ostēdit. Magnes enim lapis cum suapte natura sit visilis, innanis, & debilis, nihilominus tamen mirabiliter attrahit ferrum, quod suapte natura est durum, graue, firmum, & forte, ita ut ferrum facile cedat, sequatur, & attrahatur à magnete vi quadam naturæ occultæ, quæ admodum eleganter ostendit.

A atque expendit Plinius in lib. 36. nat. hist. ca. 16. vbi ita inquit: Quid enim mirabilius, aut qua in parte naturæ maior improbitas? quid lapidis rigore pigrius? quid ferri duritie pugnatius? sed tamen cedit, & patitur mores; trahitur namque à magnete lapide, demitrixque illa rerum omnium materia ad innane nescio quid, currit, atque ut proprius venit, assistit, teneturque, & complexu hæret. Hactenus Plin. de magnete & ferro. Simile namque videtur cum Deus Opt. Max. qui suapte natura firmissimus, & fortissimus, & omnipotentissimus est, qui portat & sustinet omnia verbo virtutis sue, ab anima humana tam sæpe, ac tam facile per charitatem, & gratiam sic attrahatur, ut verum sit dicere animam hominis quodammodo inniti, id est reclinata recumbere super dilectum, id est, Deum Opt. Max. instar Sponsæ super Sponsum, id est super sinum, aut humeros Sponsi. Quo sensu etiam in sacris litteris aliàs id est Esaiæ capite decimo septimo ait Oraculum vaticinando scilicet de mysteriis, & temporibus, & gratia Christi, Inclinabitur homo, seu recumbet homo ad factorem suum. Super quibus verbis lege, si pla-

cet Christophorum in Triumpho Christi tom. 7. pag. 160. Quinetiam similis locutio esse videtur illa Deut. cap. 33. vbi in benedictionibus Mosaicis congruenter legimus eum, nempe Mosem in hunc modum benedixisse Tribui Benjamin. Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet. Super quibus verbis breuitatis causa, ut ne ego prolixior esse cogar, legendus erit Sigonius lib. 1. de Repub. Hebræorum cap. 7. pag. 34. Denique de Ioanne Apost. & Euangel. cap. 13. sui Euangelij hoc modo legimus: Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Quæ quidem oratione nihil potest mollius, blandius, & delicatius, ita ut videatur simillima esse huic quæ Salomon in presentiarum in persona chori loquens ait: Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitiis affluens innixa super dilectum suum? Vtraque enim oratione nihil potest esse significantius, & elegantius ad exprimendam, & declarandam summam illam charitatem, benevolentiam, & gratiam quæ est inter Sponsam diuinam &

A animam hominis perfectam, id est qua se mutuo & inuicem prosequuntur, & cōplectuntur Sponsus diuinus & anima hominis perfecta, & consummata. Nihil blanditiarum aut deliciarum, nullum genus officij, obsequij, & studij est quod Sponsus diuinus prætermittat, quo sibi magis & magis deuincat & conciliet animam, seu Ecclesiam spōsam. Nihil etiam est è diuerso quod magis aueat, studeat, & molliatur eiusmodi anima perfecta, quam verbis & factis promereri, conciliari, & vinculis amoris sibi deuincere possit Sponsum ut patet ex multis & variis locutionibus amatoriis, & nuptialibus quæ in hoc continentur à principio vsque ad finem, hoc vnum præcipuè significantibus quauis alia, & alia dicendi figura de more scilicet poetico, vel potius prophetico, & allegorico. Istud enim est proprium officium, munus, & studium animæ cuiusque perfectæ, ut instar Sponsæ probæ diligentem operam det & quantum in se erit conerur, & cogitet quomodo Deo Sponso suo placeat, quo sic à dies maiorem in modum consors naturæ eius, & bonorum, seu donorum & beneficiorum diuinorum fiat. Ita-

que exemplo isto Sponsæ tam præclare totis committendum, & incumbendum nobis erit, vt super solum dilectum inniri & inherere videamur, & à sola eius gratia, & ope pendere. Iuxta illud Regis Prophetæ in Psal. 72. Mihi autem adherere Deo bonum est, & ponere in Deo spem meam. Super quibus verbis videndus erit D. Amb. lib. de Isaac, & anima. cap. vlt. & item D. Aug. lib. 50. homil. 38. & item August. lib. 7. Confess. c. 11. & l. 10. Confes. c. 11. & ca. 28. Cum inhaerero tibi Domine, ex omni me nunquam erit mihi dolor & labor, & erit vna vita mea plena te, &c. Et lib. 13. Confess. c. 8. ait. Hoc tamen scio quia male mihi est præter te, non solum extra me, sed in me ipso, & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est, &c. Et alias sæpè. Suffragatur Origenes homil. 2. in Psalm. 38. Vbi inquit: Donec enim adheremus Deo, & inhaeremus ei qui verè est; etiam nos sumus, &c. lege quæ scribit Paulus Burgenfis Episcop. in scrutinio script. 2. p. dist. 4. cap. 2. Vnde & Christus Dominus in Euang. Ioannis cap. 15. congruenter ait: Ego sum vitis vera, manete in me, & ego in vobis, sicut palmes non po-

rest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic & vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, & vos palmites, qui manet in me, & ego in eo hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere, &c. Super quibus verbis videndus D. August. tract. 80. & 81. in Euang. Ioannis. Et item D. Prosper lib. sententia. ex Aug. sent. 364. vbi ait: Ita sunt in vite palmites, vt viti nihil cõferant, &c. Cæterum vt ne quis forte hæreat, vel allucinetur in ambiguo vocis deferti, seu de deserto, videndus erit Isidorus lib. 14. ethimolog. vbi ita hanc vocem definit ad verbum: Deserta vocantur quæ non sciuntur, vt sunt localium & montium contraria vberimarum terrarum quæ sunt vberimaræ glebæ. Sic ille. Vnde & allegorici nõ in epte, sed potius aptè, & commodè solent hæc verba, Quæ est ista quæ ascendit de deserto, &c. interpretari de qualibet anima perfecta præsertim verò de anima virginitricis ex hac terra quasi deserto in cælum vel cæli palatia iam ascendente, id est ad Deum, & cum Deo in cælo immortaliter gaudere. Nec enim mirum si dignetur ei adgaudere Deus regnans, quem illa paruulum ex se hominem natum

toties osculata est. Vt eleganter inquit D. August. serm. 34. in festo Assumptionis; Vt sit in his Cantici verbis quadam figura seu fictio Rhetorica, vel Poëtica, qualis v. g. est illa quæ videtur Martiano Capella lib. 2. de nuptiis Mercurij & Philologice, dum falsam eius describit apotheosin, id est, in cælum de terra subuectionem. Sic enim ibi Musarum chorus canit etiam, atque etiam reperendo (scande cæli templa virgo digna tanto fœdere, &c.) Neque valde ab hoc sensu abhorret vt omittam prophana) id quod ait: D. Hierony. in epist. ad Eustochium virginem, vbi volens quodammodo ostendere seu representare apotheosin, id est, deificationem, seu beatificationem animarum sanctarum quæ ex hac terra seu vita & corpore mortali proficiuntur in cælum, in hunc modum scribit: Egredere paulisper de carcere, & presentis laboris tibi ante oculos pingemercedem. Qualis erit ille dies cum tibi Virgo Maria e choris occurrerit comunitata virgineis, cum post rubrum mare submerso Pharaonis exercitu tympanum tenens præcineret responsuris. Cantemus Domino, &c. Hæc ille; alludens scilicet ad

locum præfatum Exod. cap. 15.

Sub arbore malo suscitauit te, &c.

Totus hic locus obscurus, perplexusque esse imprimis videtur, ideoque coniecturalis est; & coniciendo potius quam asserendo, & affirmando explicandus erit. Ante omnia autem videri potest Author facer in persona Sponsi ænigmaticè, & quodammodo alludere hic ad primum hominis peccatum, quando scilicet, vt refert sacra historia Genes. c. 3. Adam primus parens generis humani, vt morem scilicet gereret uxori, non est veritus contra Dei mandatum de arbore mali vesci. Quo sensu etiam forte per allusionem, & comparisonem Oraculum, Amos. cap. 6. de Hebræorum populo conquerendo dixit: Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prauaricati sunt in me, subaudiendum in lucis, & sub arboribus. Luci enim variis arboribus consistierant, sub quibus populus Hebræorum frequenter & sæpè idola, id est, Deos gentium colere solebat. Facit pro hac cõiectura, quoniam secundum meliorem sententiam sub ea ipsa arbore mali & in Adam peccante, iam inde ab initio perimus, & peccauimus.

omnes originaliter, ita ut omnes qui eius ex stirpe descendimus, eam nascimur, & anima infunditur peccatum contrahamus, & vere dicamur, & simus peccatores, id est, rei peccati, & supplicij æterni, hoc est filij iræ, & ira Dei maneat super nos, quemadmodum loquitur diuina scriptura; Nisi ex aqua & Spiritu sancto renascamur, seu regeaeremur, id est, Deo conciliemur. Videri etiam potest ipse Author sacer, quodammodo his verbis alludere ad locum natalem, seu genialem Sponsæ, in quo adhuc fortè aliqua vestigia, id est, signa, & monumenta extabant, & apparebant eius rei, cuius quidem memoria, seu commemoratio-
ne, & recordatione & aspectu, sicuti est ingenium humanum Sponsus non parum delectabatur. Mouemur enim (ut eleganter inquit Cicero lib. 2. de legibus post principium) nescio quo pacto, locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus aut admiramur, adsunt vestigia, &c. Quare mirum non est, si Sponsus istiusmodi locum Sponsæ suæ natalem, seu genialem simul, & talis locis circumstantias, tam diligenter, & nominatim commemoret in præsentiarum, quasi tangendo ve-

ram aliquam historiam; quandoquidem ad viuum ei repræsentabant Sponsæ suæ incunabula, atque primorum amorum suorum initia, seu rudimenta. Denique videri potest Salomō his verbis de amantiū more initia amoris sui ex alto repetere. Vel certè quodammodo etiam historicè insinuare pristinā fortem, conditionemque Sponsæ suæ recolere, & quasi ante oculos ponere, in memoriam scilicet ei reuocādo sua prima incunabula, & genus, & qualis aliquando fuerit antequam ad eam dignitatem, & gradum perueniret, ut ne fortè de tali, tantoque coniugio superbiret nè ingrata esset, & immemor tot beneficiorum, sed potius de se humiliter sentiret, & sequeretur, tamquam grata & memor, quemadmodum v. g. apud Ezech. cap. 16. etiam ipse Spōsus diuinus, seu Oraculum in fide Sponsæ, id est Synagoge, quam sibi per fidem iam pridem desponsauerat, in hunc modum obiicit, atque exprobat pristinam dignitatem, & ignobilitatem, vel potius pristinas sordes, & priorem turpitudinem, ac nuditatē: ita enim inquit: Transiens per te vidi te conculcari in sanguine tuo, & expandi amictum meum super te,

te, &c. quæ prosequitur congruenter, & eleganter in eandem sententiam. Et 2. Regum cap. 7. legimus Oraculum in mentem reuocauerit quot & quanta beneficia in eum iam inde à puero per omnem vitam cōtulisset, præsertim cum eum ex paupere ouium pastore euexit ad regiam dignitatem: Ego tuli te, inquit, de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israel, & fui tecum vbicumque ambulasti, & dedi tibi nomen græde, &c. Et Rursus 2. Reg. cap. 12. ait: Ego vixi te in Regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, &c. Quare ergo contempsisti verbum Domini ut faceres malum in conspectu meo? Vriam Herthæum percussisti, & vxorem illius accepisti, &c. Hæc Oraculū ad Dauidem Regē hominem secundum cor Dei, nō exprobādo, aut improperādo, sed potius præmonēdo, & præcauendo, ut ne superbi-
ret, & ingratus esset præuaricādo, sicuti præuaricatus est, & quidem grauiter occidendo Vriam, vxoremque eius adulterando, ut omittam alia. Vidēdus Seneca lib. 7. de benefic. ca. 25. vbi docet quemadmodum oporteat, & deceat aliquando

beneficia collata, in memoriam reuocare. Vide pro hac re Not. nost. inferius super illis verbis, Pone me signaculum, &c. Quo sensu etiam (ut prophano exēplo vtamur) Poëta Latinus Ecloga 8. amantem pastorem ad amicam puellam sic loquentem inducit.

Sapibus in nostris paruum te roscida mala

(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem.

Alter ab undecimo, tunc iam me ceperat annus:

Vt vidi, ut perij, &c.

Pone me signaculum super cornuum, &c.

QVorum verborum potest talis esse sensus, quasi dicat Sponsus: Fac o Sponsa charissima, ut quoad eius fieri potest, & quantum in te est per imitationē & amorem mihi similis fias, & cōformis, per omnia esse videaris, quemadmodū v. g. sigillū rei cuius est sigillū simile & cōforme esse videtur, quādo scilicet bene impressum, seu expressum est, ut videre est in cera molli in qua apparet figura expressa primitiui sigilli. Pro qua intelligētia, seu interpretatione legēdus erit Dion. Areopag. lib. Eccles. Hierarch. cap. 4. p. 3. vbi sic ait: quippe diuinæ

virtutis incorruptum, ac præclare expressum sigillum, ita demum sibi format, ac fingit imitatione præstanti, &c. quæ prosequitur in eandem sententiam loquens de anima qualibet egregia perfecta, & cōsummata. Cōsentaneus locus apud eundem Dionys. lib. de diuin. nomin. cap. 2. p. 1. fin. Vbi diuinam naturam eleganter comparat primitiuo cuidam sigillo, animam verò hominis secundario sigillo. Vnde & D. Amb. Orat. funebri de Valentiniano Imperatore pag. 442. cōgruenter, & eleganter inter alias eius laudes sic ait: Valentinianus meus candidus, & ruber, habes in se imaginem Christi. Ne iniuriam putes, caractere enim domini inscribuntur & seruuli, & nomine Imperatoris signantur milites, & cætera. Pro qua re facit etiam alter locus eiusdem D. Amb. in lib. de Isaac & anima cap. 8. vbi alludens planè ad præsentem Cantici locum sic ait: Signaculū Christus in frōte est, signaculum in corde, signaculum in brachio. In fronte quidem, vt semper confiteamur; in corde vt semper diligamus; in brachio, vt semper operemur. Hactenus ille. Nam vox signaculi plerumque pro monumento manuum, seu

oculorum accipitur, vt patet ex illo loco Exodi cap. 13. Erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, & vt lex Domini semper sit in ore tuo, &c. Et Aggei cap. 2. Ponam te quasi signaculum, &c. vnde & Magistri, seu Rabbini Iudeorum dilatare solebant phylacteria, & magnificabant simbrias suas ambitiosè ad ostentationem, & (inquam) & gratiam potius quàm ad veritatem, & voluntatè legislatoris Dei, hoc est, super vestes extrinsecus, potius quàm super cor, fumentes occasionem ex illis verbis præfatis Exod. Et in Deut. c. 6. erit igitur hoc (nèpe volumen legis) quasi signum in manu tua & quasi appensum quid ob recordationem ante oculos tuos; quemadmodum illis obiicit Christus Dominus Mat. cap. 23. Phylacteria enim exigui quidam libelli, seu cartulæ erant breues, legem seu decem mandata continentes, quos quidem Iudæi, Iudæorumque magistri superstitiosi gestabant in manibus, & ante oculos, & circa collum appendebant. Quemadmodum etiam postea temporis, fœminæ Christianæ in sinu parua Euangelia gestabant, vt notauit B. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 150. vbi

sic ait: Legislator, vt sic obliuionem ab eis amoliretur, illud lege lata præcipit, ipsi autem operis quidem nullam curam gerebant, sed tantummodo circa libellos, & chartas plurimum studium adhibebant; Ideoque merito Christus Dominus eos reprehendit, & per imaginem specie tantum legem obseruantes & custodientes, id est, signum pro signato, verba, litteras & syllabas meras, pro rebus & factis de more hypocritarum. Hæc ille.

Videndus erit pro allegoria horum verborum Hysichius Presbyter in cap. de temperantia cent. 1. cap. 90. vbi inter alia sic alloquitur, atque adhortatur probum, & perfectum monachum. Quidam sapiens dixit, Adhareat nomen Iesu spiraculo tuo, & vniuersæ vitæ tuæ, iamq; recognosces requietis fructum. Quoniam verò Sponsus non solum instar signaculi se esse vult, sed etiam super cor, & brachium Sponsæ, sanctæ Ecclesiæ, seu animæ perfectæ præcipit. non abs re erit legere quæ scribit A. Gellius lib. 10. Noct. Attic. cap. 10. vbi docet cor hominis læua parte esse potius, quam dextra, vnde & veteres annulum habere in sinistræ manus digito soliti sunt

qui minimo digito est proximus. Repertum est etiam neruum quendam tenuissimum ab eo vno digito ad cor hominis surgere. Sic enim ille refert, & opinatur. Videndus quoque super hac re erit Lipsius lib. 2. Electorum cap. 2. de loco (inquam) & situ proprio cordis in corpore humano. Denique videndus erit Plato in Theæt. Vbi ostendit quid sibi velit apud Homerum animæ cor: sic enim ille appellat, quasi anima hominis habeat suum cor, sicut ipsum corpus. Verissimile est autem Homerum Poëtam per cor animæ intelligere principalem animi partem, quam vocant Theologi, mentem scilicet, seu rationem qua intelligimus, meminimus, & diligimus. Vel etiam per cor animæ intellexit memoriam per quam proprie reminiscimur, seu recordamur rerum absentium, & præteritarum tamquam si essent præsentis. vnde & D. August. memoriam ventrem animi appellat, lib. 10. Confess. cap. 14. vbi inter cætera sic ait: Memoria quasi venter est animi. Sicut enim de ventre cibus ruminando, sic de memoria recordando, plurima proferuntur, &c. Ad hunc enim propè modum & sensum videtur Sponsus in

præsentiarum dicere ad Spon-
sam, Pone me vt signaculum
super cor tuum, &c. q. d. habe-
to mei perpetuo memoriam,
vel propone me super princi-
palem animi tui partem, quasi
imaginem quandã viuam, spi-
rantem, atque expressam, ita vt
nunquam mei obliuiscaris, sed
perpetuo mei reminiscaris, seu
recorderis, sicuti par est, in-
tuendo scilicet super me quasi
præsentem & recentem, quem-
admodum per imaginem, seu
ideam perfectam rerum absen-
tium tamquam præsentium,
præsertim verò charissimarum
libentissimè recordamur. Si-
gnaculum enim hoc loco, &
alias sæpè, in sacris litteris mo-
numentũ quodlibet & signum
significat, quo nobis res absen-
tes, & remotæ, præsertim si
charissimæ sint, repræsentan-
tur; iuxta illud D. Aug. lib. 2.
Doct. Christianæ. cap. 1. & se-
quentib. vbi differens de signis
sic ait: Signum est enim res, quæ
præter speciem quam ingerit
sensibus, aliquid facit in cogi-
tatione venire, sicut vestigio vi-
so, transisse animal, cuius vesti-
gium est, cogitamus; & fumo
vifo ignem subesse cognosci-
mus, & voce animantis audita,
affectu animæ eius animad-
uertimus, tuba sonante, milites

progređi, vel regredi, & si quid
aliud pugna postulat oportere
nouerūt, &c. quæ prosequit. D.
Aug. de signis, & naturalibus, &
voluntariis seu liberis atq; voti-
uis. Imagini autem perfectæ per
antonomasiã siue excellen-
tiam congruere videtur defini-
tio, & doctrina ista D. Aug. v. g.
imaginibus sacris, qualis est
imago Crucifixi perfecta, vel
etiam Deiparæ. Mirificè enim
nobis repræsentant istiusmodi
imagines res quarum imagines
sunt. Quapropter non parum
hic locus Cantici fauere vide-
tur sacrarum imaginum venerationi,
quibus scilicet Ecclesia
Catholica passim iam inde ab
antiquitate vtitur, non solum
in templis, & locis religiosis,
sed etiam extra. Atque proinde
facit hic locus, si diligenter at-
tendamus, contra sacrarum
imaginum osiores, vel fractores,
qui frenatico quodam spiritu,
& frænesi, ac furore laborare
videntur, dum Christi Seruato-
ris, vel Deiparæ, vel etiam
aliorum Sanctorum & beato-
rum hominum, signa, imagines
scilicet, seu effigies quæ honoris,
amoris, & recordationis causa
ob oculos simplicium fidelium
proponuntur in templis peni-
tus abolendas, & detestandas
esse extendunt: in qua quidem

reputât se obsequium præstare
Deo. Pro qua re legendus erit
præsertim D. Greg. Mag. lib. 7.
epist. 5. pag. 925. & item epist. 57.
fin. pag. 955. & epist. 109. & lib. 9.
epist. 9. & lib. 7. epist. 109. pag.
982. Qui autem plura super
hac re desiderat, is legat Baron.
tom. 1. annal. pag. 538. & sequen-
tib. Et item Bellarm. disp. De
Imagin. Sanctorum lib. 2. cap. 4.
& sequentib. Si enim (vt quidẽ
ait) ponere statuas mortalium
bene de repub. meritorum li-
cet, ne ingrati videamur, vtque
eorum fortia facta æmulatione
imitari cogamur, perpetuaque
recordatione admirari, & ho-
norare, ac celebrare; cur Serua-
toris nostri, & pro salute omniũ
hominum crucifixi, non liceat
quàm semper ante oculos, &
in cordibus die ac nocte habe-
re deberemus.

Cæterum pro doctrina, seu
interpretatione horum verbo-
rum à nobis allata, operæ pretiũ
fuerit videre quæ scribit D.
Ansel. in Monolog. cap. 65. &
sequentib. Vbi congruenter
docet quare potissimum refe-
ramus Deum, & imaginem eius
honoremus, & conseruemus.
Videndus quoque erit D. Aug.
lib. 10. Confess. cap. 9. & 10. &
sequentib. vbi accuratè, & co-
piosè differit de mem. & remin.

Sed præsertim legendus erit
cap. 18. eiusdem lib. in quo ita
scribit & per apostrophè Deum
alloquitur, dicēs: Si præter me-
moriam meam te inueni Do-
mine, immemor tui sum. Et
quomodo iam inueniam te, si
memor non sum tui? Perdide-
rat enim mulier drachmam &
quæsiuit eam cum lucerna, &
nisi memor eius esset, non in-
uenisset eam, & cæt. quæ pro-
sequitur in eadem sent. Nihil-
ominus tamen D. Irenæus mar-
tyrialiam adhuc intelligentiam,
seu interpretationem horum
Cant. verborum insinuat, quæ
mihi valde probatur, cum ita
inquit lib. 4. cap. 76. adhortan-
do scilicet hominem, vt quan-
tum in se est, facilem se præbeat
Deo, nimirum diuinis inspira-
tionibus, admonitionibus, & al-
locutionibus, imaginemque
Dei primam innatam, & im-
pressam conseruare, & custodi-
re conetur: Præsta (inquit) Deo
cor tuum molle, & tractabile, &
custodi figuram, qua te figura-
uit artifex, habens in temet ipso
humorem, ne indurans, amit-
tas vestigia digitorum. Hæc
ille. Neque valde à priori hæc
interpretatio abhorret, si dili-
genter attendamus.

Et signaculum super brachium tuum, &c.

Allusio esse videtur ad morem hominum, præsertim mulierum Orientalium, & Sponsarum. Solebant enim non solum manus seu digitos annulis aureis & pretiosis, sed etiam brachia armillis aureis, & pretiosis ornare, amoris simul & decoris, memoriaeque gratia. Erant enim istiusmodi ornamenta aurea & pretiosa, quasi signa, monumenta, & pignora amoris nuptialis, & quasi memorialia quaedam, ut ne obliuisci possent Sponsorum suorum. **C**ircum enim Sponsi solebant antequam convenirent, istiusmodi dona, dotis nomine conferre; ut patet ex multis locis diuinæ Scripturæ, sed præsertim Genes. cap. 25. ubi scriptum est quemadmodum Abraham seruus iturus ad quærendam uxorem Isaac filio Abraham, istiusmodi dona, nempe in aures, annulos, & armillas aureas secum comportauit ad donandū Sponsæ. Postquam ergo biberunt (inquit) cameli, protulit vir in aureas appēdentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem, & rursus ibidē ait seruus, Suspendi itaque in

Aures ad ornandam faciem eius, & armillas posui in manibus eius, & cæc. Exod. 35. & Num. 31. & 2. Reg. 1. & alias. De cuiusmodi ornamentis amatoris, & nuptialibus, quia scilicet amori & memoriæ præsertim seruiabant & monumenta quaedam erant connubij, & quia etiam ad mundum muliebrem, seu decorem, & ornatum maximè pertinebant; Denique quia semper in conspectu, & in promptu erant, utpote, quæ in brachiis & manibus, seu digitis gestabantur, ideo non poterant virgines Sponsæ facillè obliuisci istiusmodi ornamentorum, memorialium charissimorum, quæ admodum obliuisci non poterant manuum seu digitorum, & brachiorum suorum. Vnde Ierem. cap. 2. Nunquid potest obliuisci virgo ornamentis suis, aut Sponsæ falcis pectoralis suæ, populus autem meus oblitus est mei diebus innumeris. Et Rex Propheta in Psalm. 125. tanquam ab impossibili argumentando ait: Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuiscatur me dextera mea, pro eo quod est, obliuiscar ego dexteræ meæ, si non meminero tui, & cætera. Impossibile est ut aliquis obliuiscatur manus dexteræ suæ, vel digiti sui vel brachij, vel etiã

ornamentorum eorum, quæ **A** pia, quemadmodum plerumque amoris causa, & tanquam remedium obliuionis gestat in his corporis partibus.

Sensus igitur planus horum posteriorum Sponsi verborum cum ad Sponsam ait: Pone me ut signaculum super brachium tuum, q. d. pone me ut signum quoddam memoriale, quale est **B** armilla in brachio, vel annulus in manu aut digito, ut ne unquam mei obliuiscaris, neque obliuisci possis, de more scilicet virginis Sponsæ, quæ numquam ornamentorum quæ gestat in brachio, & quæ ei à Sponso amoris, & memoriæ, seu recordationis causa, dotis nomine, de more solito data & missa sunt.

Quia fortis est ut mors dilectio, &c.

Particula, quia, hoc loco videtur esse rationalis, quasi Sponsus causam & rationem reddat, ob quam tam solícite & studiosè Sponsæ suæ mandet atque commendet ut ponat eum ut signaculum super brachium suum, quod est, ut perpetuò illius memoriã agat. Amor enim suapte natura res quædam est plena solícitudinis, & anxia, & quodammodo periculosa, præsertim vero si accedat zeloty-

quia, quemadmodum plerumque euenit inter vehementer amantes. Ad hunc igitur sensum subiunxit Sponsus quasi seipsum de more humano excusando & purgando, **Q**uia fortis est ut mors dilectio. Quæ quidē verba priora si de vi veræ, & sinceræ, diuinæque dilectionis specialiter intelliguntur, verissima sunt. Non solum enim istiusmodi dilectio fortis est, ut mors, sed etiam plusquam mors. Fortior enim est qui mortem ipsam occidit, quam mors. Dixi qui mortem ipsam occidit, nam v. g. fide constat Christum Dei filium victorem atque interfectorem mortis nostræ fuisse, iuxta illud Osee cap. 13. Ero mors tua, ô mors, & morsus tuus, ô inferne. Sed quid ego de morte loquor? Quis Deo fortior, potentiorque est? cuius quidem proprium Epitheton in sacris litteris illud est: Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio, & cæc. Vnde D. Hieron. ad Marcellam ubi differit de nominibus Dei: Primum, inquit, Dei nomē est, EL, quod LXX. Interpretes *θεός*, id est Deum: Aquila Etymologiam eius exprimens *ισχυρός* id est, fortem, interpretatur. Sic ille. Et tamen nihilominus videtur ille quodammodo ab amore

nostri generis est, vt ne dicam triumphatus, vt eleganter loquitur D. Bern. in Cant. ser. 65. vbi ita exclamat, O suauitatē, o gratiam, o amoris vim, quid violentius triumphat de Deo amor. Et D. August. lib. Medit. cap. 13. veluti extra se raptus eodem ferē sensu sic ait: Quomodo nos amasti Pater sancte, quantum nos dilexisti pie conditor, qui etiam proprio filio tuo non pepercisti. Et li. Soliloq. cap. 13. ita inquit: Dilexisti me Domine plusquam te, quia mori voluisti pro me. Pro qua re mirificē facit locus ille, qui est Hebraeorum cap. 2. & 5. & 7. & 9. Vbi Paulus Apost. charitatem Dei Filij erga genus humanum amplificando ait: Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, & cæt. vt. s. moriendo nos immortaliter viueremus morte sua. Ideo enim mori voluit. Iuxta illud Heb. cap. 2. Pro omnibus gustauit mortem, vt per mortem destrueret mortis imperium, & cætera. Vnde & ipse Paulus Apost. quasi par pari reddere volens, mortem, & reliqua omnia fortia, dura & difficilia, pro charitate tali, & tanta contemnendo, Rom. cap. 8. sic ait: Certus sum enim, quia neque mors neque vita, neque angeli, neque

A principatus, neque virtutes, neque inuitantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundū, neque creatura aliqua poterit nos separari a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Super quibus verbis videndus præsertim est D. Chrysost. li. de compunct. cordis, vbi docet quemadmodum amori cōueniat mirifice huiusmodi hyperbole, quibus Paulus Apost. vtitur. Vnde & in veteri Ecclesia quasi votiuum, gratum, iucundumque erat pro nomine, seu fide, & charitate Christi gladio percuti, vt quidam ait loquendo de temporibus illis Apostolicis.

Quis igitur dubitare potest veram, sinceram, atque perfectam dilectionem esse non solū fortem, vt mors, sed etiam fortio-rem, atque efficaciorē, fortio-rem, inquam, in bono, quam mors sit in malo. Mors enim nihil aliud est quam corruptio seu dissolutio quædam animi a corpore, id est, separatio duarū istarum rerum naturaliter inter se coniunctissimarum. Dilectio autem vera atque perfecta è diuerso sese habet, nam quæ sunt inter se disunctissima, inimica, & penitus contraria inter se inuicem

uicem coire, & consentire ab- que vlla violentia suauiter facit, sic quasi vna eademque; prorsus res sunt, id est, vna vsia, vnaque hypostasis seu persona, anima vna, voluntas vna; vt patet multis exemplis, præsertim vero in amicis, atque amantibus: qui enim verè sunt amici, inter se pariter in amore respondent, idem prorsus volunt, idemque nolunt. Iuxta illud Act. cap. 4. Multitudinis autem credentiū erat cor vnum & anima vna, & cæt. Hæc est enim natura & indoles veri & honesti amoris, nempe, res inter se disunctas vnire, copulare, & conciliare, quamuis aliàs sint distantes. Quemadmodum sapienter docet D. Dionys. Areop. de Diuinis nominibus cap. 4. Magna ergo prorsus est vis amoris, seu dilectionis & charitatis, & multis partibus maior quam mors, præsertim verò ad gratiam & salutem. Pro qua re operæ pretium fuerit legere locum, qui est apud Platonem in Symposio pag. 285. Vbi elegantissimo & luculentissimo exemplo vtitur ad comprobendam, & declarandam amoris vim, potentiam, & efficaciam, dum ita inquit: Si quo pacto fieri ciuitas, vel exercitus posset, ex his, qui amantur, supra qua dici pos-

A fer, fortiter agerent, administrarentque singula, dum per verecundiam à turpibus abstinerēt, & ad honesta quasi quædam æmulatione contenderent, talesque homines vel pauci numero, vniuersos (vt ita dixerim) homines pralio superarent. Et cætera quæ sequuntur apud Platonem in eandem sententiam. Quem locum Platonis refert atque exponit paucioribus & plenioribus verbis Simplicius Philosophus Commēt. in Epictetum cap. 19. pag. 138. vbi ita ad verbum de amoris vi, seu fortitudine insuperabili scribit dicens, quod si exercitū ex amicis conscribere liceret, multi pauciores facile plures hostes profligarent, & cæt. quæ sequuntur. Si quis autem plura de vi seu fortitudine, atque potentia dilectionis desiderat, legendus erit Theodoretus orat. de Charitate, pag. 459. Vide quoque Adag. Sacer manipulus. Confitendum tamen nihilominus est, etiam mortem valde esse fortem, potentem, & violētā, vt ne dicam, amaram & acerbam, præsertim verò in malum, ad nocendum, dissol- uendum, & corrumpendum; quemadmodū planè affirmat, & docet Arist. li. 8. Ethic. cap. 6. vbi differens de fortitudine, &

forti inter alia sic habet: Mors autem maximè omnium est terribile, est enim vltimum vitæ, & nihil post, homini mortuo, bonum aut malum esse videtur, & cæt. quæ prosequitur. Quo sensu etiam Ecclesiast. cap. 41. ita scriptum legimus: ô mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis! & cætera quæ sequuntur. Pro qua re legendus erit Boët. lib. 1. de Consol. Metro. 1. princ. vbi ait: Mors hominum foelix, quæ se nec dulcibus annis, inserit, & cætera. Videndus quoque erit Isid. clarus in orat. 10. extraordinaria titulo 1. de morte, vt omittam alios complures. Et nihilominus tamen non defuerunt iam olim multivtriusque sexus, non solum viri & mulieres, sed etiã pueri & puellæ qui pro dilectione, seu charitate & fide Christi Sponsi, fortissimè & constantissimè mortem subire non dubitauerunt, v. g. Laurent. Thecla, Agnes, Pelagia, quorum præsertim & nominatim meminit D. Ambrosius libro secundo epist. 7. ad Simplicianum.

Dura sicut infernus emulatio, &c.

Per vocem, emulatio, intelligere videtur. Author sa-

acer eum animi affectum, seu morbum, quem Græci appellant zelotypiam, quæ sic a sapientib. definitur, vt sit odium & inuidia quædam alienæ famæ, vel etiam suspicio, & obtretractio, & ægritudo quædam animi, ex eo nata, quod alter quoque potiatur eo, quod ille ipse concupiuerit, vt interpretatur etiam Cic. Tusc. lib. 4. Itaque vitium amoris atque excessus, vt ne dicam, amoris perniciæ, est æmulatio, seu zelotypia, vt vocant Græci, quippe cum inuidia quædam sit, odiumque alienæ famæ (vt dixi) atque dilectionis excessus, seu exuperatio; siquidem in malam partem vox æmulationis accipiatur, sicut certè in præsentiarum videtur esse accipienda, quamuis interdum etiã in bonam partem aliàs accepta reperitur; pro eo quod est imitatio. Frequenter enim hæc duo verba, æmulari, & imitari, eorumque nomina verbalia, nempe æmulatio & imitatio inter se confunduntur & conuertuntur, vt cum ait Paulus Apost. 2. Corinth. 11. Æmulor enim vos Dei æmulatione, & cætera. Dei enim æmulatio illa qua Paulus Apostolus Corinthios æmulabatur, vel zelabat, vt virginalem

animam Christo Domino tanquam Sponso seruaurent, vel exhiberent, non erat dura, immoderata, & insatiabili, sicut infernus: sed potius moderata, honesta, & sancta. Contrà vero æmulatio, quæ dicitur zelotypia, cum vitium amoris sit, dura ac furiosa & crudelis & insatiabilis est, instar inferni, vt patet ab effectis, & manifestis exemplis.

Vnde in sacris litteris, nempe de zelotypia viri erga uxorem Author ipse Cantici Salomon Prouerb. 6. quasi seipsum exponendo sic ait: Quia zelus, & furor viri non parcat in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Loquitur enim Salomon ibi de zelotypia, & furore, atque vindicta iusti mariti aduersus adulterum, id est, qui sollicitauit & violauit alienam uxorem. Quod quidem malum latissimè patet in vtroque sexu, præsertim vero in sexu muliebri, tanto equidem magis, quanto in mulieribus minus viget iudicium rationis. Ob hanc enim causam magis sunt huic vitio, seu malo zelotypiæ obnoxia. Vnde Euripides in Andromacha pag. 189. mulierem quendam hoc ipsum

agnoscentem, & confitentem eleganter inducit. Namque deteriori masculis ægritudine; (hac laboramus, & cætera.) O quam cruentus scæminas stimulat dolor. Cum patuit vna pellici, & nuptæ domus Scylla & Charibdis sicula contorquens freta minus est timendus; Nulla non melior fera, & cætera quæ sequuntur in hanc sententiam. Pro qua re legendus erit Cic. lib. 2. Offic. Vbi refert Alexandrū Phereū ab uxore interfectū propter pellicatus suspicionem. Sic etiam Antoninum verum Lucilla. Lemniæ quoque viros omnes (vna excepta) interfecerūt, & Demetrius Antigoni filius, Nicanor, alique quamplurimi à suis scæminis interempti sunt. Zelotypia enim hæc per multis mulieribus animum dedit viros suos, aliàs longe charissimos, de medio tollendi. Vnde etiam Poëta Latinus Ecloga 8. iure ac merito exclamat, & lamentatur dicens.

Nunc scio quid sit amor, duris in coribus illum

Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,

Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt.

Seuus amor docuit natarum sanguinem matrem

Commaculare manus, crudelis tu quoque mater.

Crudelis mater magis, an puer improbus ille?

Improbis ille puer, crudelis tu quoque mater.

Et Eclo. 10. eodem ferè sensu ita canit de amore isto corporum vulgari, cui ferè semper coniunctum est malum zelotypia.

Nec lacrymis crudelis amor, nec gramina riuus,

Nec cythiso saturantur apes, nec fronde capellæ.

Et talia multa reperiuntur dicta in hanc sententiam de amore isto vulgari, & minus honesto cum zelotypia coniuncto, id est, invidia alienæ formæ.

Satius est enim indignari nugas & offensiones hominum, quàm inuidere successus. Quam obrem magis etiã nobis istiusmodi amor corporum vulgaris vitandus & cauendus erit, ut ne zelotypiam & alia infinita eius incommoda animi & corporis experiamur, satis enim euitatur leuiter, fugatur autem difficillimè. Vnde & Lucretius lib. 4. De rerum natura eleganter & prudenter dixit:

Nam vitare plagas in amore ne iaciamur,

Non ita difficile est, quam captum.

retibus ipsis

Exire, & validos teneris perrumpere nodos.

Sic ille vsque adeo multa vitia mala, & pericula insunt in amore isto, in quibus principem obtinet locum zelotypia, quippè quæ pernicies & pestis quædã est veri & honesti amoris, id quod facile apparet ex toto isto loco & verbis Salomonis cum de zelotypia ait: Dura sicut infernus æmulatio. Neque tamen Author Cantici satis habuit zelotypiam simpliciter inferno compararet, iuxta vulgare prouerbum seu Adagium, Infernus æmulatio, sed etiam addidit, Lampades eius, lampades ignis, atque flammæ.

Lampades eius, lampades ignis, &c.

Quibus verbis nihil potest esse grauius, & significantius ad amplificandum, & persuadendum quam sit res odiosa, perniciosa, & noxia in amore zelotypiæ. Perseuerat enim Author adhuc in metaphora, seu hyperbole, cum de vitio zelotypiæ seu æmulationis quæ in amore inesse solet, per comparationem dixit: Dura sicut infernus

æmulatio, atque ita metaphora metaphoram adiunxit, ut oratio sit magis hyperbolica, atque efficacior ad persuadendum. Ideoque zelotypiæ, seu æmulationis pertinacia eleganter etiam comparatur lampadibus, & coruscationibus maximarum flammæ, quæ quidem celeriter se produunt, & exurgunt mirabiliter in cælo, vimque suam momento, & quasi in ictu oculi explicant, ut videri est in fulgetris, seu fulguribus, & fulminibus. Pro qua re vide Adag. Flamma sine Vulcano. Videndus quoque Cartharius lib. de imaginibus Deorum titulo, Cupido pag. 334. De amoris fulmine: videndus item erit idem Cartharius eadem lib. titulo, Iuno pag. 30. ubi congruenter refert elegans exemplum atque oportuno & salutare remedium muliebris zelotypiæ. Sed præsertim legendus erit pro intelligentia totius loci, tam historiæ, quam allegoriæ B. Isid. Pelus. lib. 3. epilt. 87. ad Leontium Episcopum, ubi ostendit eleganter quæ sit differentia inter diuinum, & vulgarem istum corporum amorem, ut ne quis fortè aberret. vtrumque promiscuè inter se confundens, propterea quod Salomon Author

A Cantici in præfenti loco promiscuè loqui videtur: Corporeus namque (inquit ille) amor utpotè abiectus, & humilis, quandoquidem à corporibus fluxis, & caducis coagmentatur, fluit, atque florum instar marcescit. Nam neque ignis absumpta ea materia quæ flammæ causam præbuit, manet, & verum vnã cum ea abscedit: neque sopito atque extincto igniculo, amor consistit. At diuinus amor, quia rei firmæ ac stabilis est, proinde stabilis quoque ipse est, quoque virtutis pulchritudinem magis imaginatur, eo quoque arctius & secum & inter se deuincit eos, qui earumdem desiderio tenentur. Hactenus ille. Et nos quoque hactenus de amore zelotypiæ, si vnum tantum admonuerimus interdum in sacris litteris, Oraculum amplificando amorem, seu dilectionem & charitatē Dei Opt. & Max. quia longè maxima est, & supra quam credi potest ardentissima, figuratè tribuere Deo amorem zelotypiæ, de more (inquam) humano atque vulgari, quoniam scilicet hic affectus, siue amor, licet in nobis plerumque sit vitiosus, immoderatus, & violentus, tamen nihilominus ardentissimus, acer-

rimus, ac potentissimus, atque ob
eam rationem interdum per
metaphoram, & hyperbolem,
quemadmodum & alij humani
effectus Deo tribuitur. Hoc
enim sensu Exod. cap. 20. & 34.
& alias Deus dicitur zelotes,
seu zelotypus, & quidem rectè,
si rectè mens scripturæ diuinæ,
& sacrorum Authorum, atque
Theologorū intelligatur; Hoc
dixerim, ut ne quis in verbis per
imperitiam verborum & vo-
cum hallucinemur.

Videndus quoque erit D.
Hieronym. lib. 2. contra Iouin-
ianum fin. ubi ex autoritate
& verbis Aristotelis & Plutar-
chi & Senecæ, non minus ele-
ganter, quam verè, & piè des-
cribit naturam & proprietatem
Amoris corporum vulgari-
s inquit: Amor formæ ratio-
nis obliuio, &c. quæ prosequi-
tur: Caterum & si ut inquit
Propertius lib. 4. omnis amor
magnus, sed aperto in coniuge
maior. Et Lucanus lib. 5. Heu
quantum mentes dominatur
in æquas iusta Venus, ut facile
patet vno exemplo luculentif-
simo Porciæ Romanæ M. Iunij
Brutivxoribus, quæ accepto nū-
tio de morte, seu nece mariti dolo-
ris impatiens, cum negaretur gla-
dius, carbonibus è foco arden-
tibus raptis ac deuoratis sese

necauit, muliebri spiritu patris
sui Marci Catonis exitum imi-
tata. Sicut proditum est in ve-
ra historia.

*Si murus est, ædificemus super eam
propugnacula argentea, &c.*

Videndus exempli gratia
si est otium, Herodotus
lib. 1. pag. 21. ubi simile quip-
piam describit ædificium siue
palatium de iocis Medorum
regis, sed nos ad rem & myste-
rium vel potius ad mores no-
stros veniamus, relicta tantisper
littera seu historiarum cortice. Phi-
dias clarissimi nominis statua-
rius Palladis, simulachro dra-
conem apposuit, quem pedi-
bus Dea comprimeret: Quo
significare voluit virgines, siue
puellas (fuit enim Pallas virgi-
nitatis numen, siue figura at-
que exemplar) periculi cura
continendas esse, eaque ratio-
ne optimè muliebri pudicitie
consultum. Numquam enim
est committendum, ut virgines
otio se dedant, aut plusquam sa-
tis est, vagentur, quando qui-
dem eo sexu nihil fragilius sit,
aut imbecillius, vnde illud Pho-
cis Poëtæ.

*Clausula tibi virgo thalamis ser-
uetur honestis;*

Nec signito hanc ad connubium

foris vsque videri.

*Forma puellarum seruata pa-
rentibus egre est.*

Et perpet. congruenter ait.

*Vt cadit amoto subito, custode
puella:*

Quasi dicat cum admiratione
quam cito cadit amoto custo-
de puella: non enim arx, ne-
que possessio difficilis vlla, quæ
tam difficulter asseruetur quæ
fœmina, ait Alexis Comicus.

*Ego murus, & habera mea sicut
turris, &c.*

Pro hac muri metaphora,
seu translatione melius in-
telligenda, & explicanda, legen-
dus erit D. Ambr. lib. 6. Exem-
plum cap. 8. tom. 4. & August. serm.
150. de Tempore, ubi docet
quam sit prælia castitatis. Ne-
que abs re erit legere Arist. lib.
7. Polit. cap. 11. ubi eleganter
ostendit oportere vrbes esse
muratas, & manibus circun-
dadas. Sed tamen Plato Dialo-
go 6. de legibus contrariam
sententiam tuetur.

Pacem reperiens.

Finis belli præcipuus is est,
ut pacem reperiamus, vnde
etiam Paulus Apost. 1. ad Tim.
cap. 2. congruenter, & fideliter

A fidelibus Christi præcipit orare
pro regibus, & his qui in loco
sublimiori sunt constituti, ut
quietem & tranquillam vitam
agamus, in omni pietate & ca-
stitate. Hic enim est finis, fru-
ctus, & vsus præcipuus etiam
pacis, quemadmodum docet
D. August. epist. 70. ad Bonif.
Vide Adag. Ex bello pax. vnde
& Lucanus Poëta in laudem
Pompei Magni præclare ce-
cinit.

*Prætulit arma togæ, sed pacem
armatus amavit.*

Quocirca Vegetius l. 2. de re mi-
litari cōgruenter præcipit se per
in otio debere fieri quod neces-
sario faciendum videtur in præ-
lio. Et item lib. 3. cap. 1. Ergo (in-
quit) qui desiderat pacem, præ-
paret bellum, &c. quæ prosequi-
tur in eandem sententiam. Ut
enim gubernatori cursus fe-
cundus, Medico salus, imperato-
ri victoria, ita moderatori Rei-
pub. beata ciuium vita propo-
sita est, ut opibus firma, copiis
locuples, gloria ampla, virtute
honestata sit. Ut quidam rectè
ait.

Sed ut prophana omittamus,
& ad domum nostram reuertamur,
pax modis omnibus, & ra-
tionibus, atque conditionibus
honestis, querenda atque per-
sequenda nobis est, iuxta illud

Pfal. 33: Inquire pacem & prosequere eam. Pro qua re videndus erit Orig. Comm. in Epist. ad Rom. capite 14. ad verba illa Pauli similia dicentis, Itaque quæ pacis sunt, sedemur, &c. Videndus quoque erit D. Hieronym. in Epith. Nepot. vbi inter alia belli incommoda gemit & lamentatur dicens: Horret animus nostrorum temporum ruinas: viginti enim & eo amplius anni sunt, quod Romanus sanguis quotidie effunditur. Multi hostes prouincias vastât, tradit, parit. Quot matrone, quot virgines, quot in genua corpora his bellis fuerunt ludibrio? Capti Episcopi, interfecti Presbyteri, & diuersa officia Clericorum, subuersa Ecclesiarum, ad altaria Christi stabulati equi, martyrum effossæ reliquiae, vbique luctus, vbique gemitus, & plura mortis imago, &c. Hæc ille de belli incommodis. Similiterque lamentatur super hac re D. Augustinus multis in locis, sed præsertim lib. 3. de Ciuit. Dei cap. 18. vbi inter cætera sic ait: Bellis regna conteruntur, nobiles & amplæ vrbes delentur, perduntur ciuitates, regiones longè lateque vastantur, absumuntur homines, nec sacris, nec prophanis parciunt, &c. quæ se-

quuntur. Vsq; adeo quoad eius fieri potest, semper inquirenda, perfequenda, & colenda erit pax. Vnde & Rex ille pius, & Deo charissimus Ezechias, vt refert sacra historia 1. Regum cap. 20. ita Deum supplex præcabatur dicens: Sit pax in diebus meis, non quod hostibus cederet, aut à precatione absteret, verum hanc quidem supplicem ad Deum adhiberet, hostibus autem hæc etiam ratione cladem quareret, vt rectè inquit & interpretatur Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 432. Consentanea sunt quæ habet idem vir sanctus lib. 1. epist. 122. vbi inter cætera sic ait: Pacem sacerdos ex cathedræ fastigio pronunciat, Dominum scilicet imitando, cum pacem suam discipulis relinqueret ac daret, & cat. quæ prosequitur in epist. præfata ad Dorotheum Comitè. Laudatur autem & celebratur dictum clarissimi illius Thebanorum Imperatoris Epaminondæ, qui ad suos ciues Thebanos aduersus Meneclidis obtreccationes, dicere solebat: Qui pace, quæ bello pararetur, frui vellent, bello exercitatos esse debere. Quare si principes Græciæ esse vellent, castris esse

esse vtendum ipsis, non palæstra, vt de eo refert Æmilius probus. Nec minus laudari debet sententia illa Ciceronis, qui libro 7. epist. familiarum, ait: Pax vel iniusta vtilior est, quam iustissimum bellum. Vsq; adeo bellum suapte natura expectandum non est, nequeres bella est, nisi propter pacem. Quanto ergo magis conseruanda & colenda est pax illa, quam dedit nobis & relinquit, ac tantopere commendauit Christus Dominus. Nam etsi felicior pax sit nunquam laceffita, quam multo reparata sanguine, vt inquit Seneca Philosophus epistola 66. nihilominus tamen præstantior, maior, & pretiosior multo fuit pax ista per Christum Dei filium allata, imo sanguine eius precioso parata & collata sanctissimo; iuxta illud 1. Corinth. cap. 6. Empti estis precio magno, & cætera, & 1. Petri cap. 1. Non enim redempti estis auro & argento, sed precioso sanguine tanquam agni immaculati. Quemadmodum & gratia Christi, quæ nunc per Christum, & merito Christi confertur sanctis, proculdubio potentior est, quam gratia Adæ collata, etsi illa fuerit lætior, vt inquit & de-

cet Diuus Augustinus libro de corrept. & grat. capite 11. vbi vtramq; gratiam inter se comparat.

Itaque multo pluris æstimanda est pax illa nobis data & relicta à Christo, eo quod multo & precioso eius sanguine parata est, sed tamen (pro dolor) effrenata cupiditas, sui prodiga pacis æmula, mater litium, materia iurgiorum, quotidie noua litigia generat. Vt habetur in Decretis Canonicis statim in princ.

Vinea fuit pacifico, &c.

IN primis ad intelligentiam plenam atque perfectam horum verborum, Vinea fuit pacifico, & cætera. Videndus erit Paulus Burg. in Scrut. 1. p. d. quæst. c. 10. vbi ex autoritate Rabbi Moïsis (cuius autoritas grauis est, nõ solum apud suos sed etiam apud nostros) congruenter ostendit quid mystice significet vocabulum, Salomonis, seu Pacifici in Cantic. Significat enim Sponsum diuinum qui per antonomasiam pacificus appellatur, Author & dator pacis; Nam ante eius aduentum tempus belli erat inter nos & Deum.

Bbb

Iam ut ad allegoriam, & mysterium veniamus, cum Author inquit, Vineam fuit Pacifico, dubitandum non est quin in his verbis sit utilissima aliqua allegoria seu metaphora, ut ne dicam ænigma, significans Synagogam & gentem Israeliticam, quippe quæ passim in facris litteris, præsertim verò in sermonibus Prophetarum vineam Domini appellatur, atque etiam tunc erat, ut patet præsertim ex illo loco Mat. cap. 5. ubi ita planè appellatur atque describitur cum inquit: Vineam factam dilectam meo, &cætera. Deinde postea seipsum exponendo subdit: Vineam Domini est domus Israel, quam Dominus de Ægypto quasi vineam quandam translata in Palestinam seu terram promissionis plantavit atque fundavit, ut loquitur etiam Rex Propheta in Psal. 80. Et item Ierem. cap. 2. Ego plantavi vineam electam, &c. Itaque Dominus vineam dedit eam custodibus, hoc est locavit eam vinitoribus quos Vulgus colonos partiaros appellare solet, ad fructus scilicet participandos iuxta interpretationem ipsius Domini Matth. cap. 21. Sic enim ipse Christus Dominus, & vineam heres, pro sua diuina autoritate hanc vo-

cem seu metaphoram, seu ænigma vineam interpretatur. Hæc typus & sub figura dedit, seu expressi. Multo plura sese mihi dicenda offerunt de hac vineam metaphora, seu allegoria simul & de Domino & herede ipsius vineam, Christo Dei & hominis filio, nisi breuitati paulo magis studerem. Verum tamen, ut ne fortè interpretatio hæc nostra manca, & imperfecta videatur, operæ pretium fuerit legere quæ scribit Origenes hom. 14. in Matth. & hom. 2. in Ierem. & Chrysostom. hom. 5. in epist. Rom. & homil. 24. & 25. in Matth. & D. Ambros. epist. 7. ad Simpl. lib. 2. & lib. de Noë & arca cap. 13. & D. Hieronym. epist. 129 ad Dardanum. Et Lactantius Firm. in quadam Elegia de Resurrectione Domini, cui initium est: Christus salus rerum, &cætera. Ut omittam alios.

In ea quæ habet populos, &c.

PRO eo quod vulgatus noster Latinus hic vertit, In ea quæ habet populos, in Hebræo est vna dictio, nempe (Beelmon) quæ quidem dictio etsi composita sit, significans in ea quæ habet populos,

sicut vertit Interpres Latinus, videtur tamen nomen esse proprium loci propè Hierusalem, ubi maior pars populi habebat vineas laudatissimas, villas, hortos & pomaria; cuiusmodi rerum deliciarum Cyri (ut alias diximus ex autoritate Plinij) sunt valde studiosi & curiosi, præsertim verò nobiles & principes ciuitatum & reges, ubi habebant sua Tempe. Sic enim vocantur amanissima quoque loca, irrigantibus aquis floridas conualles, qualis fecit Pæneus fluuius in Thessalia, vnde & ipse Salomon Eccles. cap. 2. inter alia gloriatur se plantasse vineas, &c.

Populi vocabulum honestius est quam vocabulum plebis, atque proinde etiam homines primarios, nobiles, & locupletes complectitur; vnde dicitur in formulis, Senatus populusque Romanus, non autem dicitur, plebsque Romana; nam vocabulum plebis, vile ignobileque est. Itaque vox Hebræa (Beelmon) magis est propria quam appellatiua, ut animaduertit etiam Rabbi Aben Esdras. Alij per Beelmon, cuius ethimon, & significatio est, in ea quæ habet populos interpretari non ve-

rentur urbem ipsam Hierusalem, ut sit periphrasis, vel circumlocutio vrbs Hierusalem, atque cognomen, Ea quæ habet populos, propter singularem, & insignem eius vrbs frequentiam, iuxta illud Psalm. 86. ubi Rex Propheta describens urbem ipsam Hierusalem, eiusque situm, frequentiam, promiscuamque multitudinem, magnificentiam, celebritatem, & gloriam, inter cætera sic ait; Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerint illic. Et Hieremias Thren. cap. 1. Quomodo (inquit) sedet sola ciuitas plena populo, hoc est, quondam populosa, seu populantissima, & frequentissima. Quinimo etiam Lucas Euangelista. Actor. cap. 2. huic rei planè attestatur, cum ait: Erant in Hierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub celo est, Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum & Asiam, Frigiam, & Pamphiliam, Ægyptum, & partes Libiæ, quæ est circa Cyrenem, & Aduenæ Romani, Iudæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes, &c.

Nihil igitur prohibet quo mi-
nus Hierusalē præfertim tem-
poribus illis felicissimis, id est,
ætate Salomonis Regis, hoc
cognomine per antonomasiam
designetur, nempè Beelmon,
hoc est ea quæ habet, seu con-
tinet populos multos & varios
diuersarum scilicet gentium,
atque nationum. Fortè enim
ob frequentiam hominum lo-
citus ille Beelmon ea quæ habet
populos, appellabatur, quasi
altera pusilla Hierusalē. Quem
admodum v. g. loquitur Cic.
ad Atticum libro quinto epist.
2. ubi sic ait: Habuimus in
Cumano quasi pusillam Ro-
mam, tanta erat in his locis
multitudo. Sic ille. Verumtam-
en etsi non sunt contem-
nenda vetusta vocabula, non
ideo oportet nos plus nimio
curiosos esse inquirendo ori-
gines nominum, vt inquit Di-
uus Augustinus lib. 2. de Mu-
sica cap. 8. Neque enim eo mi-
nus utiliter in loquendo appel-
las panem, lignum, lapidem,
quod nescis cur hæc ita sint ap-
pellata. Sic ille. Idemque D.
Augustinus libro de principijs
Dialecticæ capite decimo sex-
to de hac re plura, si quis plu-
ra desiderat.

Mille tui, &c.

Millenarius numerus ma-
ximè perfectus, mysti-
cus est in sacris litteris, quare
& pro vniuersitate, interdum
vsurpari solet, vt animaduertit
etiam D. Gregor. Magn. Mo-
ral. lib. 9. cap. 1. atque proinde
in præsentiarum pertinet ad
commendationem & laudem
vineæ regis Salomonis quæ
sita erat propè Hierusalem;
tantæ enim vbertatis erat, tan-
tosque proventus faciebat, vt
locationis nomine redderet
ei ipsius custodes seu cultor-
es mille argenteos, quæ qui-
dem summa res preciosissi-
mæ venire solent. Neque so-
lum mille, sed etiam amplius,
nempè mille ducentos. Hæc
enim quinta pars est quæ regi-
bus debetur, vt apparet Genes.
cap. 31. & 47.

Vinea mea coram me est.

Locus hic valde est mora-
lis, & mysticus, si diligenter
attendamus, eiusque allegoriã
eruere, & tractare velim⁹. Vnus
quisque enim quātum est in se,
curare debet vt rite officio, seu

ministerio, & munere suo fūga-
tur, atque vt expectationi ho-
minum, præfertim bonorum
maximè respondeat. Pro qua re
valde facit illud Paul. Rom. cap.
11. ubi sic ait: Quandoquidem
ego sum gentium Apost. mini-
sterium meum honorificabo.
Super quibus verbis videndus
erit Orig. Com. in epi. ad Rom.
ubi congruenter sic ait: Quid
tam dignum, quæ vt vnusquis-
que ministerium, quod per Dei
prouidentiam suscepit, exornet?
&c. quæ sequuntur. Videndus
quoque erit D. Greg. Mag. li. 4.
epist. 36. ad Eulogiū, ubi ita scri-
bit & adhortatur: Humilitatem
teneamus in mente, & tamen
ordinis nostri dignitatem fer-
uemus in honore. Idemque D.
Greg. lib. 4. epist. 31. vt exemplū
cæteris præberet, magna cum
libertate respondet ad Impera-
torem, qui cum minus honorifi-
cè tracta uerat, & simplicem
appellauerat, atque salua mode-
stia Christiana, egregiè defen-
dit honorem suum vel potius
officij sui honorē & authorita-
tem, scilicet Pontificatus sum-
mi quem vice Christi gerebat.
Facit etiam pro hac re mirifice
locus ille qui est apud Platonē
in Theætero, ubi ait, Nam satius
est pusillū bene, quam multū,

A vt non oportet, peragere.

Pro qua re vide Adag. Spar-
tam nactus es, hæc orna: quini-
mo huc pertinet etiam illud
Christi Domini in Euang. Ioan.
cap. 10. cum inter alias partes
probi pastoris hæc ponit dicēs:
Et ante eas (id est oues suas) va-
dit, &c. Denique facit etiã pro
hac re illud præceptum Collu-
melæ lib. 1. De re rustica cap. 3.
cum ait: Præstat enim paruus
agellus bene, quam multo la-
xior male, veraque est illa Plau-
ti sententiã, Mali mores succres-
cunt, velut herba irrigua.

Vide notationē nostram su-
per illis verbis Cant. ca. 1. Vineã
meã non custodiui. Videtur. n.
illa oratio esse aduersatiua huic,
Vinea mea coram me est. Nisi
forte per interrogationē illud
dictum esse dicamus, sicut con-
iiciendo potius quam affirman-
do ibi esse diximus. Neq; enim
omnino mihi probatur illa cõ-
iectura; sed tamen nihilominus
insinuare eam volui; permagni
enim refert ad sensum, si quid
affirmatiuè, an interrogatiuè le-
gatur, aut pronuncietur, sicut
exemplis manifestis ostendit
atque declarauit D. Aug. lib. 3.
Doct. cap. 3.

*Amici auscultant te, fac me audire
vocem tuam.*

Videtur Sponsus cum ro-
gat hoc modo Sponsam,
vt in gratiam suam & amico-
rum suorum osculantium tan-
tis per vocem proferre digne-
tur, intelligere nō de voce sim-
plici & communi, sed potius de
voce canora, musica & artifi-
ciosa, de more scilicet Hebræo-
rum antiquorum, vt patet ex
multis locis atque exemplis di-
uinæ Scripture, præsertim vero
Exo. cap. 15. vbi scriptum est
quemadmodum Israelitæ tam
viri quam mulieres pro victoria
gratias & laudes Deo cecine-
runt. Tunc (inquit) cecinit
Moses & filij Israel carmen hoc
Domino, & dixerunt, Cætemus
Domino, &c. Deinde sequitur:
Sumpsit ergo Maria prophetis-
sâ soror Aaron tympanum in
manibus, egressæque sunt om-
nes mulieres post eam cū tym-
panis & choris quib. præcinebat
dicens: Cantemus Domino, &c.

Mos etiam erat apud Ethni-
cos, præsertim verò apud Græ-
cos, & præscos Romanos, & per-
uices singuli suam cantionem
canerent in conuiujs post cæ-
nam. Vt testatur Plutarch. in li.
Symposiacō. Suffragatur Quin-

Atil. lib. 1. cap. 16. de Musica, vbi
inter alias Musicæ laudes in hūc
modum scribit: Et testimonio
sunt (inquit) clarissimi Poætæ,
apud quos inter regales conui-
uia laudes Heroum ac Deorū
ad Cytheram canebantur, &c.
quæ prosequitur. Apulei⁹ quo-
que lib. 1. Floridorum pag. 132.
B varia genera musicorum com-
memorat, nempe Lydium. Et
lib. 3. pag. 143. congruenter dis-
ferit de voce cōmodè exercēda.
pro qua re (vt profana, seu profa-
nos Authores omittamus, & ad
nostra veniam⁹) vidēdus præfer-
tim erit D. Aug. li. 1. Confess. ca.
33. vbi disputat de voluptate au-
rium, & musicæ suauitate, qua
proprie & maximè aures no-
stræ afficiuntur & delectantur.
Sic enim inter cætera ita scribit.
Voluptates aurium (inquit) ten-
naci⁹ me implicauerāt, & sub-
iugauerant, sed resoluiſti, & li-
berasti me; nunc in sonis quos
animant eloquia tua cū suauis &
artificioſa voce cantantur. Fa-
Dteor, aliquantulū acquiesco, nō
quidē vt hæream, sed vt surgā,
cum volo, &c. quæ prosequitur
in eandem sententiā. Contenta-
nea sunt & valde pulchra, & eru-
dita, simul & pia quæ super hac
re scribit idem D. Aug. li. 4. con-
fess. cap. 6. & 7. & 12. & item li. 2.
Retract. ca. 11. & c.

Si quis autem plura desiderat, A
legendus erit Basil. Mag. Conc.
ad Adolescentes. Quinetiā D.
Hieron. in epi. Paul. ad Ephes. c. 5.
Super illis verbis, Cantantes &
psallentes. Præterea vidēdus erit
Niceph. li. 13. ca. 8. & li. 9. ca. 6. &
li. 11. ca. 12. & li. 13. ca. 8. Denique
legendus erit inter recentiores
qui de hac re scripserūt, Pame-
lius Theolog. in D. Cypr. Mart.
trac. de Ora. Dñica pa. 273. vbi
præsertim differit de antiqui-
tate Ecclesiastici cantus. Neq;
abs re erit legere quæ scribit D.
Isid. Pelu. li. 1. epi. 90. vbi disertè
ostendit. cur olim fœminis etiā
in Ecclesia canere permissum
fuerit. Importunas enim (in-
quit) in Ecclesijs loquacitates
Domini Apostoli comprimere
studentes, modestiaq; & graui-
tatis magistros sese nobis præ-
bentes, vt mulieres in ipsis Ec-
clesijs canerent sapienti consi-
lio permiserunt, &c. quæ prose-
quitur.

Cæterum, vt finem tandem
imponamus, atque planè intel-
ligamus quanta sit vis musicæ,
legēdus erit etiā Seneca philos.
lib. 2. de ira ca. 2. & Strabo Geo-
graph. li. 10. pa. 48. & deinceps.

Cæterum videri potest Spon-
sus his verbis cū ait: Amici aus-
cultant te, &c. videri (inquam)
potest, Spōsam rogare vt etiā in

gratiam amicorū canere digne-
turaliquid de diuinis amoribus,
qui in hoc ipso cantico mirificè
continentur vel etiam de laudi-
bus diuinis & operib. Dei mira-
bilib. quorū pleni sunt libri fa-
cri. Nam apud Hebræos iā olim
non solum laudes diuinās, sed
etiam humanas canere publice
solebant, vt patet 1. Reg. ca. 18.
& Psal. 67. & Iudit. cap. 15. Adde
quod etiam in summo illo cæ-
lo, quo beatę mentes incredibili-
lib. gaudijs perfruuntur; laudes
diuini numinis suauissimis cāti-
bus celebrari pia nobis religio-
ne persuasum est, & credibile at-
que probabile, Quamobrem in
terris imitari sonos & cantus in
diuinis laudib. & sacrificijs ad-
hibemus. Vt iam diximus aliās.

*Fuge dilecte mi & assimilare capre
hinnuloque, &c.*

Prouerbiorum ca. 28. ait Sa-
lomon vel potius Oraculū,
beatus homo qui semper est pau-
idus. Et hoc fortè in ænigma-
te innuere voluit Sponsa hūc cū
ita per comparationē dilectum
suum alloquitur, & rogat dicēs,
Fuge dilecte mi, assimilare ca-
preæ, &c. Nihil enim suapte na-
tura fugacius, pauidius, & timi-
dius capreolo, seu capreæ Syl-
uestri hinnuloq; ceruorū; sem-
per enim fugere videtur: vnde

2. Reg. cap. 2. de Asael scriptū
etiam per comparat onē sic est:
Velocissimus cursor quasi vnus
ex capris quæ morantur in syl-
uis. Contra vero de leone Ec-
clesiast. ca. 30. scriptum est: Leo
fortissimus bestiarū ad nullius
pauebit incursum. Vnde etiam
Authore Plinio leo fuga, nisi in
abdito, non vtitur.

Nihilominus tamen iuxta ra-
tionem allegoriæ, laudatissi-
mum, & consultissimum est, at-
que tutissimum, vt homo sem-
per sit pauidus, timeat, & caueat
sibi ob tot pericula & mala. Pro
quæ re legendus erit præsertim
D. Amb. in lib. de fuga sæculi, &
item Hugo de S. Victore in alle-
goriis pag. 246. & Isichius pres-
byter in sermone de temperan-
tia Cent. 2. cap. 42. apud Marcū
Eremitam pag. 505. Vbi ita in-
quit. Cum in camprestiloco
canis venaticus apparet, in quo
sint agni recēs nati, hic cum sint
innoxij & pusilli ad eum quem
conspexerunt, frequenter cur-
sitant velut ad propriam matrē.
Ad eum modum cogitationes
præcurrunt imperitæ ad cun-
ctas dæmonicas illusiones ani-
mam ingredientes, verum ne-
cesse est eodem momento in-

teriora corda ab illis educere.
Hæc ille, vsque adeo turpe non
est homini Christiano fugere,
pauere, timere, & cauere sibi,
cumque timore & tremore sa-
lutem suam operare, vt præcipit
Apost. inter tot laqueos & vitæ
huius pericula & mala. Vide
Adag. Parthus fugiendo vincit.

^B Pro qua re facit etiam locus ille
Platonis in Theæt. Vbi animo
suadet è terris fugere, & circa
Deum super quantum fieri po-
test cogitatione ac mente ver-
sari. Et refertur hic locus Plato-
nis ab Arnobio lib. 2. contra
gentes pag. 55.

Sensus igitur horum Sponsæ
verborum tunc erit is, quasi di-
cat Sponsa, Oportet & decet ho-
minem pium semper in vita ef-
se pauidum, de more capreoli
hinnuloque ceruorum canem
venaticum fugientis, sic quasi
ad matrem confugere, & curre-
re ad Deum, atque ab eo solo
semper pendere, salutemque
sperare, & expectare. Vnde etiā
Apoc. cap. 12. in ænigmate legi-
mus, Mulierem illam amictam
sole, id est, Ecclesiam in perfe-
cutione fugisse in solitudinem,
vbi habebat locum paratum à
Deo, &c.

F I N I S.



I N D E X R E R V M

MEMORABILIVM QVÆ IN HIS

AD CANTICA NOTIS
continentur.

A



- A**RON frater
Moyſis ſummus
Sacerdos oleo ſeu
vnguento vnctus.
pag. 18.
Abel paſtor Deo
placuit. 136. b. 140.
- Accubitus conuiuiarum. 183. d.
286. a
- Acies quid ſit. 605
- Adagium vide Proverbium.
- Admiratio quarundam rerum, 246.
- 247
- Adoleſcentularum vox quid ſibi
velit. 37. d. 38. a. & 55. b
- Adonidis pueri forma. 519. c. d
- Aduerſitates non deſiderantur.
494. 495. 499
- Æmulatio quæ in amore eſſe ſolet.
740. 741. 742. 743. 744. 745. 746.
- Ænigmatibus excelluit Salomon.
167. d
- Ærarium ſanctius. 67
- Aſoth dicitur habere duas dexte-
ras, & cur. 703
- Albus color ſeu candor Deum de-
cet ob eximiam ſimplicitatem. 520.
c. d. 539. c. d. 544. d
- Alexander Ariſtotelis diſcipulus
ſummo ingenio ſummaque mode-
ſtia tuit, poſtquam Rex appellatus
fuit, ſuperbum, crudelem, & immo-
deratum exiſtit. 378. d
- Amaneus mons. 420
- Amantes languere dicuntur. 268. d
- Amanti pauca verba ſufficiunt.
503. 504
- Amantium labores non ſunt one-
roſi, ſed etiam ipſi delectant. 494. 495.
496
- Amaracina vnguenta. 22. d. 23. a
- Amaracus puer. 22. d
- Amare amore quodam excellen-
tiz. 32. c
- Amare quid. 16. b
- Amat Deus vt ametur. 83. 133. d
- Amator bonorum per omnem vi-
tam in amicitia perſenerat. 10. c

Ccc

Index rerum.

Amator prauus est qui corpus
magis quam animam amat. 10. b. c.
Amatoria pocula. 481. d.
Amatoria pocula. 700. 701. d.
de Amatoribus Dei. 58. 59.
Amatorius pulsus. 479. 480. 481. a.
Amatorium iusiurandum. 273.
Ambidexter quis dicatur. 703.
de Amicitia mutua. 648. 649. 650.
651. 652. 653. 654.
Amicitia species quæ in excellen-
tia consistit. 32. b. 33. a.
Amicitia vera & perfecta quæ
dicatur. 568. & 569. a. b.
Amicos habere necessarium est,
maximè in aduersa fortuna. 507.
Amor conjugalis seu nuptialis. 577.
578.
Amor cum fascibus & pennis
depingatur. 269. a.
Amor Dei amorem animæ parit.
257. a. b.
Amor dilatat intellectum. 84. d.
Amor diuinus extasim facit in Dei
vehementer amantibus. 14.
Amor diuinus quomodo differat à
vulgari. 745. 746.
Amor & potestas maximam co-
gnationem inter se habent. 4. d. &
5. a.
Amor imperator vocatur. 5. a. b. c.
Diis ipsis imperat. ibid. b. c.
Amor magna res est, quo anima
accedit ad Deum. 310. a.
Amor mundi adulterat animam.
651. 652. 653.
Amor quid sit & quo pacto corpus
afficiat. 649. 650. 651. 652. 653. 654.
Amor unde nascatur seu originem
sumat in homine. 480.
Amor zelotipia. 740. 741. & seq.
vsque ad 746.
in Amore multa vitia. 744. Amores

significari per vbera. 13. & 76. c. d.
Amores existere solent ex auditu.
29. a.
Amoris figura depicta in Neptuni
templò. 368.
Amoris laudes, prærogatiua &
proprietas. 169. d. 170. & 171. a.
Andromache Hectoris vxor statu-
ra longissima fuit. 638.
Andromache. 337. 338.
Angeli mali. 113. boni. ibid. & 114.
Anima ex seipsa parturit, plerumq;
abortiuum. 176. b.
Anima pudica. 160. d.
Anima vbi amat, magis est, quam
vbi animat. 514.
Anima duæ animus vnus. 651. b. c.
Anima Deum amantes mentis ex-
cessum seu iubilum interdum pa-
tiuntur. 69. c. d.
Anima ægrotanti medicus est ora-
tio. 513.
Anima perfectæ sequela post Deum.
84. 49.
Animales spiritus aluntur ac resi-
ciuntur aëre, atque rebus odoriferis,
floridis & suauè olentibus. 266. b. c.
Animarum perfectarum proprium.
55. c. & d. 56. 57. 58.
Animicandor. 523. & 524.
Animi intentio nimia aliquando
remittenda. 657. d.
Animus in oculis habitare videtur.
541. c.
Animorum non est differentia, in
Christo Iesu non est masculus & fœ-
mina. 37. a.
Annulli aurei quæ à Sponso da-
bantur. 731. 732.
Antigonus Rex filium de Regni cura
monet. 141. 142.
Antiochus magnus Rex Syriæ tres
filias habuit. 11. g. 12. a.

Index rerum.

Aod princeps inclitus quomodo
imitandus. 554. a. b.
Appelles hæresiarcha & eius hære-
sis. 629. c.
Appetitus duplex. 650.
Aqua tepida ad vomitum prouo-
cat. 445. a. b.
Aquila ventus. 434. & 435. 436.
Arabum mos est in Operum prin-
cipiis sua nomina adscribere. 1. b.
Arca fœderis. 362.
Arcana silentio veneranda. 387.
388. 389. 390.
Armilla aurea quæ à Sponso,
Sponsæ dabatur. 731. 732.
Ascalon Syriæ maritima ciuitas.
214. b. d.
Attrum & nigrum in quo differant.
337.
Aues suis vocibus delectantur. 295.
c. 297.
Auis Iunonia. 591. c.
Auris zeli. 283. & 284.
Auroræ laus. 591. 592.
Aurum purum putum. 533. ignitum
535. d.
Aurum symbolum diuinitatis est.
534. b.
Auster ventus. 434. 435. 436.
Austro rapem consecratam. 437.
Author huius operis castigatus. 12.
d. & 13. a.

B

Balsami succus. 203. c.
Balsamus seu Balsamum arbor
seu arbuscula vbi nascatur. 203.
recens Baptizati lac & mel gusta-
bant in veteri Ecclesia, & cur. 447. d.
Barba prima quomodo consecra-
batur apud Romanos cuidam Deo.
538.

Beatus quis dicitur. 77.
Beati qui dicantur. 590.
Beelmon dictio Hebraica quid si-
gnificat. 756. 757. 758. 759.
Belli finis quis. 749. 750.
Belli incommoda. 751. 753.
Bellicosa ingenia præexercent se
in venationibus. 135.
Beneficos esse oportet homines.
551. 552. 553.
Benignitas in principe desidera-
tur. 24. b. c.
Benignitas laudata. 551. 552. 553.
Bethel Hebraica dictio, diuisionem
significans. 336. b.
Bissina Regum verba esse debere
quid sit. 647. b.
Blatheus regius & militaris. 558.
559. a.
Bona domini quæ. 80.
Bona spiritualia non videntur ocu-
lis sed corde. 85.
Bonum est id quod omnia appe-
tunt. 400. 401.
Bos. 336. d.
Botrus apud Hebræos nomē æqui-
uocum est. 203. b.
Botrus Cypri quid sit. 201. d. 202.
204.

C

Cælebs quis dicitur. 588.
Cælibes leges. 370.
Cainus Abelem fratrem occidit.
105. maledicitur. 106. c.
Calceamenta auro, gemmis & mar-
garitis exornata. 625. 626.
Calcei Sicyonei. 623.
Calidus quis dicitur. 684. c.
Canis & quid in eo admiratione
dignum. 347. 348.
Canes venationem somniant. 458. a.
Ccc ij

Index rerum.

Canticum Salomonis est imitatio
cantici seu carminis pastoritij. 150.d
Cantiones in conuiuiis post cœnam
apud Ethnicos & Romanos. 763.
764
Capere verbum pro decipere. 311.
d.312.a
Capillus vnus habet umbram
suam, adagium 425
Capilli flauī laudati. 394
Capilli ornamentum mulierum.
391.392.393
Capillorum alienorum appositio-
nes reiciendæ. 392.393
Cassus mons. 420.d
Cedrus cariem & senectam non
sentit. 235
Cella quid & vnde dicatur. 258.d.
huius vocis vis & proprietas. 259.a.b
per Cellaria quid significatur. 67.
a. b
Chaldæorum mos est in Operum
principiis sua nomina adscribere. 1.b
Charitas fraterna Christianorum.
107.108
Chorea seu cantilena Lacedæmo-
niorum antiqua. 618
Chorus siue chorea quid sit. 619
Christus est quasi mammilla Dei
Patris. 17.b
Christus crucifixus. 193.194. resur-
gens ex mortuis iam non moritur.
194.d.195.a
Christus est verus atque perfectus
Magister & Doctor. 52.a
Christus est in sinu Dei Patris. 17
Christus aliis prodest ad salutem,
aliis verò vertitur in ruinam. 241.b
Christi erymum. 20.b.c
Christi fraternitas maior quàm
sanguinis. 108.c.d.109.110
Christianismi nomen vnde deri-
uatur. 20.c

Christianorum nomen vnde deri-
uatum. 20.c
Cinamomum vbi nascitur. 433
Cingulum militare. 558.559
Cingulo spoliari quid sit. 558.d.
559.a
Ciuitas quomodo felix & beata.
493
Ciuitatis vox, ambigua. 349.350.
eius definitio. ibid. Iacob Patriarcha
cum Angelo luctatur. 351.a
Ciuitatis salus consistit in vigilia.
493
de Clementia. 24.&25
Cleopatra Antiochi magni Regis
Syriæ filia, apud Daniele filia fœmi-
norum appellata. 11.c.d. Ptolomæo
Regi Ægyptiorum nupta. ibid. & 12.a
Cleopatra soror & vxor Ptolomæi
vltimi Regis Ægyptiorum, fuit fœ-
mina impudica & infamis, & adama-
ta à Romanis Imperatorib. 12.b. ad-
motis corpori aspidibus sese intere-
mit. 12.b
de Cognitione sui. 157.158.159
Color amabilis vnicus in mulieri-
bus, & quis sit ille color. 396.&523
Columba fœcunda, mansueta &
simplex. 302. d. est symbolum casti
& honesti coniugij. 304.
Columba simplex est & fœcunda.
210.a.b
Columba symbolum pudicitie seu
castitatis coniugalis est. 210.d.211.a.
Columbæ proprius est albus co-
lor. 544.c.d.545.c.d
Comæ puerorum virginumque
apud Romanos cuidam Deo conse-
cratæ. 538
Comparatio Solis cum Deo. 79.d
Coniugalis dilectionis vis. 3.b.c
Coniugium, prima necessitudo
mortalium est. 370

Index rerum.

Coniugij sanctitas & honestas.
304. b
Conspicillum quid. 284.c.d
Conuiuarum accubitus seu discu-
bitus. 185.d.&186.
Conuiuia honesta atque sobria.
450.a.b. vnde dicta. ibid. c. tribus re-
bus constare debet, & quæ sint. 451.a
de Conuiuiorum sacrorum & spi-
ritualium apparatu. 452.453
in Conuiuiis oleorum aromati-
corum, seu vnguentorum suaue olen-
tium & balsami præsertim vsus fre-
quentarunt Hebræi. 186.d.187.a. Ro-
mani etiam in conuiuiis vnguentis
vtebantur. 187.c
Cor animæ. 726
Cor in medio pectoris situm. 196.
c. principium sensus & motus vitæ.
196.c.d
Cor hominis est in læua parte. 725.
d.726
Cordis vocabulum prudentiam si-
gnificat. 463.a.b
in Corde loqui. 691.692.693
Cordatus homo. 463.b
Cornix coniugalis concordie &
castitatis symbolum est. 295.d
Crateris vox ambigua. 631
de Cratorum generibus. 630. c.
631.a
Credat rectè, qui rectè amat. 83.d
Cupressus cariem & senectam non
sentit. 235
Curulis magistratus. 361.c
Currus bellici Pharaonis Regis
Ægyptiorum. 164.b
de Curribus bellicis Salomonis.
164.165.
Cursus bonus. 59.60.61.62.63.64.
& 65.
Custodes corporis Regum. 359.
360

Custodum ciuitatis officium. 347.
348
Cygnus præ dolore non canit, sed
gemit. 295

D

DAtiuus casus in lingua Latina
interdum redundat. 154.b.c
David pastor. 120. à pecudum pa-
stura ad Regnum peruenit. 136.d
Decolorare pro comburere. 103.b
Deformis quis sit. 224.225.
Delicia damnatæ. 234
Deserti vox, iuxta phrasim Hebrai-
cam quid significet. 351.d.352
Deserta loca quæ dicantur. 716.
b. c
Deus vnus summus, & verus in-
ueniendus, inuestigandus, cognos-
cendus atque colendus. 342. d. 343-
344. & 345
Deus nomine opus non habet.
249
Deus quomodo peruersus videtur
peruerso. 79.80. bonus est rectis cor-
de. ibid.
Deus sine modo diligendus. 34. d.
& 35
Deus quomodo attrahatur ab ani-
ma humana. 711.712
Deum sequi. 50.d
Dexteram duas habet iustus. 703.
a. b
Diadema olim insigne Regum.
376
Diana à venationis dea. 272.d.273.a
Dilectio vera, sincera, atque perfe-
cta quomodo fortis ac potens. 736.
737.738.739
Diligentia nimia sæpe nocere. 657.c
Διπλοτυπ. 429
Diuites in bonis operibus. 109.c.d.

Index rerum.

Doctoris improbi mores. 53. c. d
 Doctrina seu disciplina Christi.
 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697
 Doctrina lactea, elementaris ac
 simplex. 428
 Dolor quid. 513. & 514
 Dominus in nobis operatur. 40.
 & 41.
 Dulcedo cum labore coniuncta.
 497. 498
 Dux virginitatis. 677

E

Ebrietas pro copia abundantique
 rerum omnium. 449. c. d. 450. a. b
 Ebur est os elephantis. 561. album
 est. 633. c. d
 Ecclesia Catholica, quæ ad vnum
 vocat, sequenda. 589
 Ecclesia Christi sua tempora ha-
 bet. 596. 600
 Ecclesia grano sinapis comparatur.
 592. 593
 Ecclesia Israëlitica. 126. d
 Ecclesia nova. 126. d. 127
 Eclipses solis & lunæ. 599
 Edom quid significat. 527. c. d
 Ελαιον oleum. 20. b
 per Electi nomen quid Hebræi si-
 gnificant. 527
 Electio cum ratione est atque
 mente. 527. c
 Ελεος misericordia. 20. b
 Elephans est animal castissimus.
 561. c
 Engaddi vox. 202. d. 205. b
 Epaminondas Thebanorum dux
 & Imperator. 142
 Epitalamium quid. 9. d
 Equæ quæ in pretio fuerunt apud
 antiquos. 169

Etham quid sit. 610
 Eucharistiæ sacramentum. 6. a
 Expectate pro diligere. 68. b. c

F

Fabulas Græcas & Latinas olim
 sine personis à plerisque Poëtis
 editas fuisse. 1. c. & 2. a
 Fama bona atque præclara com-
 paratur oleo, seu vnguento effuso &
 pretioso. 26. c. d. 27. a
 Fama Sapientiæ Salomonis Regis.
 27. d
 Fama virtutis & miraculorū Chri-
 sti. 27
 de Famæ origine, studio & honesta-
 te. 28. d. 29. a
 Fauonius ventus. 437
 Fauonius ventorum omnium le-
 vissimus, & frigidissimus est. 330. d
 Felicitas hominis non in otio &
 somno; sed in actione & vigilia repo-
 sita. 493
 Ferculum vnde dictum. 361. quid
 sit. ibid.
 Ficuum multa sunt genera. 297. d
 Flos campi quid sit. 237
 Flos initium fertilitatis. 292. a. 293.
 c. arborum gaudium, decus & gloria
 ibid.
 Floris vocabulum pro ornamen-
 to cuiusque rei atque etiam pro vir-
 ginitate accipitur. 227. d. 228. a
 Felices qui dicantur. 590. d
 Fons olei qui integrum diem sine
 intermissione manavit Romæ, eo
 tempore quo Christus natus fuit in
 Bethleem. 29. d. 30. a
 Fraternalis charitas Christianorum.
 107. 108
 Fraternalis charitas violata. 106
 Fraternalis charitatis vis. 672. 673. 674

Index rerum.

Fratris vocabulum quid denotat.
 671. 672. 673. 674. 675
 Fratres sunt Angeli & homines.
 114. c
 Fratres Gentilium hæreditatum
 successores antecedeant filios, apud
 Arabes. 107. a. b
 Fratrum charitas, amicitia atque
 concordia rara. 105. 106
 Fratrum discordia vnde promanat.
 106. d. 107. a
 Frigidus est qui fidem nescit. 684
 Fumus pro suffitu. 357
 Fuscus color quomodo componi-
 tur. 89

G

Gothfredus Bulionensis Dux,
 sanctæ Terræ Rex. 377. c. d.
 378. b

H

Habitare fratres simul quid sit.
 18. c
 Hebræi adorauerunt Solem. 104.
 2. d
 Hierusalem vrbs clarissima fuit.
 604
 Hierusalem sita est in Syria seu Pa-
 læstina. 639. & 640. c. palmis abun-
 dat. ibid.
 Hædi suapte natura lasciui. 163. a
 Hædi vocabulum in sacris literis
 interdum in malam partem accipi-
 tur. 162. d
 Holofernis sandalia. 622
 Homo benefaciens Dei imago est.
 551. 552
 Homo creatus est rectus quomo-
 do intelligatur. 81
 Homo totus in capite existit. 532.
 533

Homo rectus quis dicatur. 78. 79.
 83. d
 Hominis mensura seu statura. 638
 Horti Salomonis 609. 610. Syria in
 Hortis operosissima. 610
 Hyacinthi vox, ambigua est. 555. 556

I

Iacob adhuc in vtero existens,
 supplantavit fratrem suum vteri-
 num. 105. d. 106
 Iacob Patriarcha pastor fuit. 121. &
 136. c. d
 Iesus nomen quanto in honore ha-
 bitus à B. Paulo, D. Francisco &
 Dionysio Areopagita. 31. a. b. c
 in Imaginum sacrarum oculos vel
 fractores. 728. c. d. 729. cur eas hono-
 remus. 729
 Imitatores Christi esse debemus.
 402. 403
 Imperium quam graue onus sit. 142
 Inebriandi verbum non semper in
 malam partem accipitur in sacris
 Scripturis. 449. 450
 Infantes lacte & melle vtuntur.
 448
 Infantium ætas, & innocentia
 commendata. 678. 679
 Ingenia præcocia similia præcoci-
 bus fructibus. 299
 ex Inimicis utilitas cupienda. 115
 Iniuria soluit & prouocat amorem.
 491. 492
 Inuidiæ natura quæ. 679. 680
 Inuidiosum esse, satius est quam
 miserabilem. 102. c
 Ioannem Euangelistam Christus
 amabat. 56. c. d. 57. a
 Ioseph pastor fuit. 134. c. d
 Iouis lac. 446. b
 Iudæorum variæ captiuitates, cla-

Index rerum.

des & calamitates. 124.125.126
Iunonia avis. 591. c
Iustus habet duas dexterās. 703

L

Labarum. 265. b. c. d
Labores amantium, venantium aucupantium, &c. non sunt onerosi sed delectant. 496.497
Lac quid denotat in sacra Scriptura. 447.448
Lacedæmoniorū antiquissima chorea seu cantilena. 618
Læva magis insidiis obnoxia est quam dextra. 270
Lamech duas accipiēs vxores, matrimonium prophanavit. 380
Laud, & quis eam meretur. 590
Lecticarum genera quibus veteres Romani utebantur. 361.362
Lectus seu Lectulus genialis & nuptialis. 228.229.230
Leo ad nullius pauet incursum. 767. Fuga non vititur nisi in abdito. 767. a
Libanus mons. 419. omnium montium altissimus. 565
in Libera ciuitate, linguas etiam liberare esse oportere. 101. c
Liberalitas laudata. 551.552.553
Liberi nostri arbitrij Deum auctorem, ducem, & rectorem esse. 47
Lilij genus duplex. 242. d. 243. 244.
Lilia rosæ Iunoniæ antiqui appellabant & cur. 245
Liliis candidis olim Iuno coronata. 245.
Locuples in Ecclesia quis. 109. d
Locutiones Dei ad animam. 692
Loqui quid. 307
Loqui in corde. 691.692.693
Luna in plenilunio pulcherrima.

595. laudatur. 596.597.598. pro Dea habita à prophanis. 597.599
Lusciniæ cantus suauissimus. 297. b
Luxus damnatus. 233.234

M

Magistratus curulis. 361. cur ita appellatus. ibid.
Magnes lapis mirabiliter attrahit ferrum. 711. d. 712. a
Malum, genus pomi, symbolum amoris. 267. d. 268
Malorum alienorum condolentia. 505. d. 506
Mammæ siue mammillæ muliebres instrumenta quædam amoris & fomenti sunt. 425. d
Mammillæ. 14. a. b
Manfuetudo in Principe desideratur. 23. d. 24. b
de Manfuetudine. 24. 25
Manus sunt instrumentum orationis. 554. c
Maria virgo genitrix præstantissima forma prædita fuit. 160. a. b
Mariam Magdalenam Christus amabat. 56. c
Marmoris genera seu species multæ. 563.564
Matres alere debent filios suos paruulos. 425.426
Matronarum crinium forma diuersa à virginum coma. 424
Maturitas rebus cunctis adhibenda. 611. d
Memoria venter animi. 726. d
Millenarius numerus perfectus, & in sacris litteris mysticus. 760
Misericordes imitandi. 511
Misericordes esse debere homines. 553. d. 554
Misericordes debent esse homines.

Index rerum.

nes. 509. d. 510
Misericordia quid sit. 517. c
Misericordia Dei indigenus. 509
Mitis imitandus est. 515. a
Molestiæ non desiderantur. 499
Morbus comitialis animi partem rationalem violat. 533
Mors quid sit. 736. d. 737. quam fortis & potens. 738. d. 739. a
Mors quomodo introiuit in mundum. 113
Morum bonorum similitudo. 577
Mors hominum scilicet quæ. 739
Moses pecudes paut in monte Choreb. 136. c
Muliebris pulchritudinis flos quis. 385
Mulier terram imitatur. 429
Mulier misericors magis, & ad lacrymas propensior quàm vir est. 505. & 506
Mulier pudica castitatis notas in facie gestans, eorum qui impudicos in eam oculos iniiciunt, expectationes reprimit. 160. c. d
Mulieres alienæ formæ inuident. 570.
Mulierum gloria, cura & opera stat in capillis componendis. 391.392
Musica in conuiujs antiquorum. 764.
Musicæ vis & efficacia. 308. b. 764.765
Musæ coronis à Palma confectis vtuntur. 64
Musæ Atticæ appellati sunt hi qui Athenis nati sunt & eloquentia præcelluerunt. 278. c. d
Myrrha symbolum mortis est. 192. b. c. 193. amara est. 195. b
Myrrha vbi nascitur. 433
ex Myrrha fieri pocula amatoria. 481. d

Myrrhæ fabula apud Poëtas. 481

N

Natura mortalibus insita propè sequi quæ piget inchoare. 39. d
Natura siue gratia sordet. 176. a
Niger color mortalis vocat. 539. d
Nigredo symbolum solis. 103. a
Nigrum & atrum in quo differant. 537
Non aduerbium accipitur ab Hebræis plerumq; interrogatiuè, pro eo quòd Latine dicimus *Nonne* vel, *Nunquid?* 118. 119. a. 120. a
Nosce te ipsum. 157. a. b
Nouitas placet. 666.667
recens Nupta flammeo velo obnubebatur. 502. b
Nuptæ nouæ flammeo velo abnubebantur. 152. a. b
in Nuptiis accubitus quis. 185. 186

O

Obscuritas affectata à quibusdam. 387.388
Obscuritas in sacris litteris, species quædam silentij est. 389
Oculi appellatione inter amantes quid designatur. 213. a
Oculi columbini. 211. & 212
Oculi membra carnis sunt, atque fenestrationis mentis. 213. a. Ad cognoscendum in sensibus principes. 213. d. vnde concupiscentia oculorum appellata est. ibid.
Oculi in amore duces. 421
Oculorum vis atque efficacia. 581.582.583
Oculos si detrahas omnem cupiditatem detraxeris. 581.582
Oleum commune & oleum vna.

Ddd

Index rerum.

guentarium in quo differunt. 22. b
 Oleum Marifusum, sauum facile
 tranquillat. 21. c. d
 Oleum odoratum & pretiosum
 quid. 21. a
 Oleum est symbolum lenitatis,
 mansuetudinis & tranquillitatis. 21. c
 Oleum vnctionis quo Iudæi unge-
 bantur Reges & Sacerdotes. 18. c. &
 22. b
 Oleum vnguentarium. 21. b
 Oleum corpori humano gratio-
 sum ac salubre. 19. d
 Oleum vnguentum vnctionis per
 antonomasiam appellatum. 22. b
 Olei fons Romæ mirabiliter sca-
 turire cœpit. 29. d. 30
 Olei vocabulum pro Vnguenti
 vocabulo vsurpatum. 20. d
 Olei vocabulum generale est va-
 riasq; species complectitur. 20. d. 21. a
 Orationibus pauperum Deus or-
 bem sustentat. 375. b
 Ordinare verbum bellicum. 260.
 a. b
 Ordo rerum pulcherrimus est. 606.
 c. d. 607
 Ornatus virilis. 224. 225
 Osculum spiritale corporali osculo
 præferri debet. 10. b
 Osculum castum. 7. a. d. 8. a
 Osculum interdum in malam par-
 tem accipitur. 7. b. c
 Osculandi mos & ritus varius. 7.
 c. d
 Osculatio salutationis symbolum.
 3. d. & 4. a
 Ovis meridians. 140. c
 Ouium vtilitas. 139. 140
 P
 de Pœnitentia agenda. 612. 613
 Pallas virginittatis numen fuit
 748. 749

Pallij genus quo Episcopi & Ar-
 chiepiscopi vtuntur. 503
 Palma arbor victorialis & trium-
 phalis est. 639. 640. 642. pondere
 pressa non flectitur. 640. de eius na-
 tura. 642. 643
 Palmæ vis & natura. 358. in certa-
 minib. palma signū victoriæ fuit. ibi.
 Palumbes sunt columbæ siluestres.
 Vide Columba.
 Parabolas iungunt ad omnem Syri
 & Palestini. 167
 Parabolis excelluit Salomon. 167. d
 Parelcon figura apud Græcos. 154. d
 Parrhasius pictor excellens. 388. c
 Paruulorum innocentia & candor
 à Christo commendata. 678. 679
 Pastor quantæ dignitatis sit. 137.
 Christus Pastor bonus est. 137. & 138.
 144. 145
 boni Pastoris officium. 120. 121. 122.
 & 575. a
 Pastoris officium magnam simili-
 tudinem habet cum persona & offi-
 cio Regis. 134. 135
 Pastoralis ars, ad regnum est præ-
 ludium. 134. & 135
 Pathos quid. 501. c
 Pavidus homo beatus est. 766. 767.
 768
 D. Paulus similis ebrio præ nimio
 amore diuino. 15. b. c
 Pavo eius. 591. c
 Pauper quis imitandus. 510.
 Pax quærenda. 750. 751. 752. 753
 Peccata semel iniusta & impressa in
 animæ visceribus, non facile remit-
 tuntur. 548. c
 Pelles Salomonis quid. 93. 94. 95.
 96.
 sub Pellibus esse, quid sit. 96.
 Pellex quæ dicatur. 587
 Perfecti viri officium est publicum

Index rerum.

commodum spectare. 73
 Perfectio euangelica. 59. 60
 Periurium in voluptatibus seu re-
 bus amatoriis à diis veniam conse-
 quitur. 273. b. c
 Petrus Apostolus quomodo per
 totam fleuit. 548
 Peruersus homo. 79
 Pessulum & Pessuli hostij. 482
 Philippus Macedonum Rex, se ho-
 stibus Atheniensibus multum debe-
 re, & cur. 115
 in Pictura summa sublimitas quæ.
 388. c. d
 Pietas in qua licet esse crudelis.
 60. b
 de Poculorum generibus. 630. c.
 631. a
 Potestas & amor maximam cogna-
 tionem habent inter se. 4. d. & 5. a
 Potio amatoria. 700. 701. 702
 Polygamia illicita & infamis. 379.
 380
 Populi vocabulū honestius quàm
 vocabum plebis. 757. c
 Præceptoris furiosi mores. 53. c. d
 Principis probi simulachrum ve-
 teres Ægyptij quomodo represen-
 tabant. 543. d. 544. a
 Prodigia excidium Hierosolymita-
 num præcedentia, atque præfagia.
 346
 Prophetarum mos est in operum
 principiis sua nomina adscribere. 1. b
 Proximus quis dicitur. 115
 Prouerbum, oleo tranquillior. 21. c
 Prouerbum, Herculei labores. 34. d.
 aliud. Ne quid nimis. 34. d. aliud. Se-
 quere Deum. 50. b. aliud. Spartam
 nactus es, hanc orna. 122. aliud. Ovis
 meridians. 140. c. aliud. In meridie
 philosophantes. 140. c. aliud. Mega-
 senes neque tertij, neque quarti. 169.

c. aliud. Mulierum exitia. 173. d. aliud.
 Corpus sine pectore. 196. b. aliud. In
 sinu. 201. aliud. Medullitus, Oculitus.
 213. a. b. aliud. Mitior columba. 214.
 d. aliud. Dom^a amica, domus optima.
 233. a. aliud. Domi manēdū. ibid. b.
 aliud. Purpura iuxta purpuram diu-
 dicanda. 246. aliud. Malis petere. 268.
 a. aliud. Malis ferire. ibid. aliud. Hæ-
 dera lasciuior. 269. d. aliud. In corpo-
 reas syluestres. 273. a. aliud. Ex con-
 spicilio obseruare. 284. d. aliud. Per
 transfennam aspiciere. ibid. aliud. Se-
 quitur ver hyemem. 291. c. aliud. Hi-
 rundo æstatem loquitur. 291. c. aliud.
 Incaprificatus es. 299. aliud. Matu-
 rior moro. ibid.
 Prouerbum. Non magis parcemus
 quàm lupis. 312. b. aliud. Mihi ipsi ba-
 nea ministrabo. 325. b. aliud. Silentij
 Alcibiadis. 390. a. aliud. Sacro silētio.
 ibi. aliud. Mulietis oculus. 423. aliud.
 Morsus aspidis. ibid. aliud. Capillus
 vnus habet vmbra suam. 425. aliud.
 Boni ad bonorum conuiuia vltiō
 accedunt. 450. aliud. Cum aqua fau-
 ces strangulat. 451. a. b. aliud. Canis
 panes somniat. 458. a. aliud. Canis re-
 uersus ad suum vomitum, & sus lota
 in volutabro luti. 474. a. 475. b. aliud.
 Iniuria soluit amorem. 491. aliud.
 Iucundi acti labores. 494. d. aliud.
 Cui placet obliuiscitur, cui dolet re-
 miniscitur. 494. aliud. Boni viri la-
 crymabiles. 513. c. aliud. Sedens co-
 lumba. 544. c. aliud. Suam cuique
 Sponsam, suum cuiq; amorē. 569. c.
 aliud. Ingredi Iunoniū. 591. c. aliud.
 Nauibus atque quadrigis. 610. d. &
 611. aliud. Citis quadrigis. ibid. aliud.
 Iouis quadrigis. ibid. Vbi tu Caius,
 ibi ego Caia. 616. a. aliud. Fumus
 Troës. 618. aliud. Colophonium cal-

Index rerum.

aeamentum. 626. c. aliud. Sicyonia
calceamenta. ibid. & d. aliud. Ebur
atramento candefacere. 633. aliud.
Syncerum vas incrustare. 634. aliud.
Purpura iuxta purpuram iudicanda.
636. d. aliud. Stramam dibapho ve-
stire. 637. b. aliud. Andromachen ex
anguibus concinnare. 538. d. aliud.
Palmam referre. 640. aliud. Sera in
fundo parsimonia. 648. a. aliud. Pyr-
richen oculis præ se ferens. 619. b.
aliud. Manū de tabula. 657. b. aliud.
In gemma esse. 661. aliud. Placere vt
nemo. 681. a. aliud. Infernus æmula-
tio. 744. aliud. Flamma sine Vulca-
no. 745. b. aliud. Ex bello pax. 750.
aliud. Spartam nactus es, hanc orna.
762. aliud. Parthus fugiendo vincit.
768.
Prudentia simplicitate temperata
diuinam rem parit. 543
Prudentiam viris. natura. tribuit.
207. a. & b.
Ptolomæus Rex Ægyptiorū Cleo-
patram Antiochi magni Regis Syrię
in matrimonium duxit. 11. c. & 12. a.
Pudor in mulieribus. 478. 479
Pudor nature nostre inditus ad hoc
vt non peccemus. 502. Antiqui pu-
dorem tanquam Deum & nomen
quoddam diuinum venerabatur. 502.
d. 503. a.
Pulcher quis sit. 224. 225
Pulchritudo & eius definitio. 384
Pulchritudo duplex. 219. 220. 225
Pulchritudo corporis humani. 410.
411. 412. 413.
Pulchritudinem mulieribus natu-
ra tribuit. 207. a. b.
Pulsus quidam amatorius. natura.
liter datur. 479. 480
de Purpuræ variis generibus. 636. b.
Putare verbum id est aliena exci-

dere & auferre. 294
Pyrriche est saltationis genus. 619

R

Rationabilis, animæ pars. 532.
533.
Recti qui vocantur. 78. 79. 80
Recti corde qui appelluntur. 81. &
82.
Reginæ Saba aduentus ad visen-
dum Salomonem. 27. 28. 607. 608
Regnum cœlorum grano sinapis si-
mile. 523
Regnum splendidam quandam ser-
uitutem esse. 141. d. 142. a.
Resurrectio mortuorum quomo-
do fiet. 410. & 411
Rex probus & iustus populo seruit,
potius quam dominatur. 141. c. d.
Reges sunt pastores populi. 134. d.
135. c. d.
Reges oleo seu vnguento vnge-
bantur apud Iudæos. 18. d. 22. b.
Reges olim creari solitos qui erant
maximè benefici. 552. d. 553
Regum custodes corporis sui. 359.
360
Rosa florum pulcherrima per ex-
cellentiam flos appellatur. 237. 239
Rosæ sanguinei coloris sunt. 549
Rosæ Iunoniæ. 245
Rosa Soron. 237. b.

S

Sabæorum terra. 433. c.
Sacerdotes summi oleo seu vn-
guento vngebantur apud Iudæos.
18. d. 22. b.
Salomon typus Christi. 27. d.
Salomon in somno diuinam sa-
pientiam accipit. 461

Index rerum.

Salomon tria millia parabolarum
scripsit. 167. d. 168. a. b.
Salomonis nomen quid significat.
614. d. 615. a.
Salutationis forma apud Persas.
4. a
Salutis via res ardua & difficilis.
40. a
Samaritana illuminata à Christo.
147. b
Sanctorum sermo oratio est, tota
oratio & deprecatio extorquet cle-
mentiam Creatoris. 45. d. 46. a
Sandalium genus quoddam calcea-
mentorum. 622. a
Sapientiæ Salomonis fama. 27. d.
Sapphirus gemma est celeberrimæ
nobilitatis. 558. & 560. eius color
quis. ibid.
Sapphirina veste sacerdotes Ægy-
ptiorum Deum induebantur. 560. d.
561
Saron. 237. b. c. 238. a. quid signifi-
cat. 239. d. 340. a. b.
Satietas cunctarum rerum conti-
git. 34
Satyri cur cum caprinis cornibus
depinguntur. 163. a
Sene. 336. d.
Senectus voluptatis plena, si ea vti
sciamus. 663. c
Sicyon vrbs vbi olim calcei elegā-
tes fiebant. 623. d
Signaculi vox quid significet. 723.
724. 725. 727.
Silentij commendatio. 389. 490.
386. 387
Sol meridianus fulgentissimus exi-
stit. 595. 596. 597. 598
Sol spiritus vocatus à Salomone.
318.
Sol cum Deo comparatur. 79. d.

Solis symbolum est nigredo.
103. a
Solis effectus. 79. d. 103. & 104.
Somnia rerum quæ optamus ve-
hementer vigilantes. 457. 458
Somniare quid. 459. b. c.
Somnus est otium animæ. 702. b.
Sperat rectè qui rectè amat. 83. d.
84
Spiritus animales aluntur ac re-
ficiuntur. acreatque rebus odorife-
ris, floridis & suauè olentibus. 266.
b. c.
Sponsa quæ dicatur. 441. d.
Sponsa quæ domum & familiam
mariti ducitur. 687
Sponsalium ritus. 686. 687
Sponsus quis dicatur. 441
Statura hominis quæ. 638
Sufannim vox Hebræa tam li-
lia quam rosam significat. 325
Sulamitis quale nomen sit. 614.
d. 615
Synagoga, Ecclesia Israelitica.
126. 127. c. crudelis in Christum. 127.
128
T
Tabernaculum quid. 97. 98.
99
Tabernacula Cedar, sunt ten-
toria Cedarenorum. 96. a
Taurimons. 420
Temperantia à cibis & potibus
est principium mentis conseruandæ.
293. c.
Templum Pacis à Vespasiano fa-
ctum. 94
Tentatio est vita hominis super
terram. 499. & 500
Tepidus homo. 445. a. b.
Ddd. iij.

Index rerum.

Terra mater est.	429	corde.	477
Terra est umbilicus mundi.	628.	Verecundia quid.	396. & 523
629		Vernum tempus.	291. 292. 293
Terra sancta. 293. c. d. eius descriptio.	ibid.	Veteragrata.	664. 665. 666
Thorus connubialis.	227. 228. 229	Vexillum. 260. crucis. 262. d. 265. c. d	
Thus vbi nascitur, & quid sit.	359. c. & 433.	Vigilum ciuitatis officium.	347. 348
Thus symbolum piarum actionum & orationis.	191	Villa quid sit.	657
Tiberius Cæsar Imperator.	142	Vinea apud Hebræos nomen æquiuocum est.	203. a. b
Tibi pronomen paragogitum seu otiosum plerumque est & emphaticum.	154. c. & d. 155. a	Vinea pro vite. 302. quando florer.	
Timor quid sit.	523	ibid.	
Tobiæ reditus.	281	Vinea Domini.	126. 127. c. d
Topiarium opus quale sit.	546. d.	Vinea pro Synagoga & gente Israelitica.	755
547. Pictores hoc opere Topiario vtuntur.	547. b	Vineæ vox pro Synagoga.	126
de Tornandi arte.	549. 550	Vinum medium quale sit.	684. d
Trahendi verbum emphaticum.	48. a	Vinum nectaricum.	13. c
Traianus Imp.	142	Vini cratera quæ profunt.	648
Turturis vox gemitus est potius quam cantus.	295	Virginitas est instar floris cuiusdam pulcherrimi inter reliquas virtutes.	228. b
		Virginitatis laus.	430
		Virgines quæ mortem obierunt propter Christum.	618
		Virginum proprium est timere ac vitare virorum aspectus.	152. a. b
		Virginum est trepidare & pauere seu vereri.	478. 479
		Viri perfecti officium esse publicum commodum spectare.	73
		Virtus mansuetudinis in principe valde desideratur.	23. d. 24. b
		Virtus heroica.	527. 528. 529
		Virtus comitata multis pedisequis.	38. b
		Virtutis premium honor.	591. a
		Virtutes ciuiles & purgatoriæ, seu purgati animi.	529
		Vita pastoritia prior & simplicior quam politica seu ciuilis.	151. a
		Vitæ rusticæ laus.	656. 657
		Vitium putatio seu purgatio.	294. c

V

Varietas iucunda est. 171. d. 172. 174
 Vbera amores significare. 13. 76. c. d
 Vbera virilis sexus cur habet. 14
 Vbera propriè fœminini sexus sunt autaxat ad nutriendum fœtum à natura data. 14. a
 Vbi, pro quomodo. 146
 Velum quo olim nouiter nuptæ obnubebantur. 152
 Velum flameum quo nouæ obnubebantur nuptæ. 502
 Venatoria exercitia sunt necessaria futuro Imperatori. 135. a
 Venter pro præcordiis, seu pro

Index rerum.

Viuens homo non videbit Deum, quid sit.	72. b. c	Vrbes esse muratas & mœnibus circumdatas esse oportere.	749
Vmbra. 330. 331. de ratione & differentia vmbraarum.	331. 332	Vrinatores oleo vtuntur & cur.	21. b
Umbilici vox in sacris litteris interdum in malam partem vsurpatur.	629	Vulgus loquax Regum vitiis non parcat.	101. d
Vnctionis symbolum, apud Iudæos quale.	19. a. b	Vxor quomodo differatur à concubina seu pellice.	587
Vnguentum quo apud Iudæos vnguebantur Reges & Sacerdotes, præfertim in capite.	18. b. c. & 21. b		
Vnguenti vocabulum speciale est.	20. d		
Vnguenta amaracina.	22. d. 23. a		
Vnguenta gratiora quæ.	195		
Vnguenta quibus vtiebantur anti-qui in conuiujs.	186. 187		
Vnguenta varia.	189. b. c. d		
Voluntas bona.	78. 79. mala. ibid.		
Vox viua quâ vim habeat.	308. 309		

Z

Zeli auris. 283. 284
 Zelotes seu zelotypus dicitur Deus. 847
 Zelotypia quæ in amoris esse solet. quid sit. 740. 741. 742. 743. 744. 745. 746.
 Zelotypus. 283
 Zephyrus ventus. 437
 Zona militaris siue blatheus, siue cingulum. 558. & 559

FINIS.

